J. ŁISSNER
KSIĘGARNIA ANTYKWARNIA I HANDEL
PRZEDMIOTÓW ARTYSTYCZNYCH
W
POZNANIU

Uc 9148 2°

1892. 8494

Biblioteka Jagiellońska
stdr0015391
Uc 9148/3

ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTER TERTIUS.

Ad pũctum Abdicationis JOANNIS CASIMIRI Reg: Per Regnum Poloniæ res geſtas incluſivè continens.

SCRIPTORE
VESPASIANO
à KOCHOW
KOCHOWSKI,
Tribuno Terræ Cracovienſis Generali, Cubicul: S. R. M. & Hiſtoriographo Privilegiato.

CRACOVIÆ
Ex Officina Franciſci Cezary, S. R. M. Illuſtriſsimi ac Reverendiſsimi Dñi Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novoduorſcianarum Typographi.
Anno Domini M. DC. XC. VIII.

Divinisimo ac Sacerrimo
PNEUMATI,
In Unitate Trino, in Trinitate Uni,
A PATRE FILIOQ;
Non Ore sed corde. Non linguâ sed Flammâ
Procedenti PARACLETO
DEO Veritatis.
Hic Tertius Annalium Poloniæ Climacter
Sacer Esto.

Ex Biblioth. Regia Berolinensi.
Vtls 644423

SERENISSIMO ac POTENTISSIMO PRINCIPI,
AVGVSTO II.
POLONIARUM REGI,
MAGNO DVCI LITHVANIÆ, &c. &c.
Necnon
Nato SAXONIÆ DUCI,
Ac Sacri Romani Imperij
ARCHIMARESCHALLO, &c. &c.
Longævam Vitam & Felicitatem.

SERENISSIME ac POTENTISSIME
R E X,
Domine, Domine, Clementissime.

VBi stetisti in fastigio Throni Sarmatici, in prominente Antemuralis Christianitatis specula, in continua adversùs Crucis hostes statione; sanè est, unde applaudat gratioso Hospiti, Catholica Mater Ecclesia; Sospitatorem ac Tutanum gratuletur sibi Polonia; neq; minùs Vniversa Europa, diuturno bello gemens & lacera, ob datum sibi eum Atlantem, congaudere debet. Europa (inquam) Nobilissima Orbis por-

tio; aſt eheu! amicis ſub uno charactere Fidei Gentibus, in theatrum gladiatorium verſa; inclyta olim armorum gloria, ac in Barbaros & infideles luctatrix & pugil; neq; nunc veteris immemor virtutis, niſi ſuismet ipſa viribus, & cognato ad invicem ferro vinceretur. Quam ſi requiſiêris, unde fatale enatum diſſidium? non facilè cauſam belli, nec juſtum armorum prætextum oſtendet. Draco interim ſanguinolentus Turca, Provincias Fidelium inſaturabili gutture haurit, Stellaſq; è Cælo horribili cauda detrahens, Patrimonium Chriſti impunè prædatur. Auſu uix cohibendo, præſertim ubi orbata capite Polonia, Magnum illum IOANNEM III. Regem, quem unum pavebat Ottomanus, requirentibus Fatis Cælo reddiderit; in eo ſimul Cor fortis Conſilij, & dexteram Protectionis amittens.

Sed non eſt quòd invidiam Cælo faciamus, immortalitatem cum homine mortali partiri nolenti: rependêre abundè jacturã Boni Superi, ubi Magno, AVGVSTVM ſubſtituunt, nomine & omine felicitatis SECVNDVM: cùmq; Sobieſcianũ, quo protegebamur adversùs Orientis minas Vmbonem detraxerint; jam nunc Gentilitios Saxoniæ ſuggerunt Enſes, quibus velut delapſo cælitùs Palladio, in eum hoſtem offenſivè armemur. O virtus! quam aliquis ſervam Fortunæ incongruè dixit, cùm palam ſit, quo vivimus ſæculo, ipſam de cæco Numine, ſi quod unquam exſtat, triumphare. Fama Virtutis Tuæ REX inclyte, & fortitudinis opinio, aureas catenas animis Polonorum injecit, dum credũt non Te pro forma accingi ferro, quod geminis in Pannonia Expeditionibus cruentatũ ad latus ferres; imò Cãpidominam Libertatem, nihil fortius in arena Electorali permovit, quàm Heroicus animi Tui vigor, & prompta ad utramq; Palladem indoles.

Exi-

Exiſtant licet, quibus ſub Monarchia natis præplaceat per Succeſſionem regnari; ac prout Naturæ libitum, oblatam in cunis adorare Majeſtatem. Certè (quod præfiſcinè eloquar) neq; avita Sarmatiam pudefacit Libertas, Optimum quemq; Electione inveniſſe; & inventum per Suffragia admovere clavo; ut cunctis regnet, Electus ab omnibus. Hinc manifeſtum erit, plus deſtinantis Numinis placito, quàm parientis utero deberi; cùm ſæpiùs ex hominibus generari noxas cõtingat: datos autem à Deo Principes, vel ipſa faventis Cæli providentia corroboret, vel diuturnior rerum praxis, in abſolutum regnandi proferat exemplar. Id ſæpiùs ante, ſed nuper vel maximè Centuriatis Poloniæ Comitijs compertum liquet; ubi inter Factionum æſtus, & deſudantium pro Diademate Competitorum ambitum, Te AVGVSTE noſter vix cogitãtem, vox Divina per vocem Populi, liberrimæ Gentis Regem prodigiosè declaravit. Vox Domini confringens Cedros ſubmovit æmulum, ac digitus Dexteræ Excelſi, in incomprehenſibili Providẽtiæ abyſſo inſcripſit. A. F. S. D. quadrilitero arcano Te deſignãte, quod aliqui non ineptè interpretarẽtur, illud Titi Cæſaris dogma. A Fato. Sceptra. Dari.

Sic Electus, pari prodigio Regium Diadema accepiſti, eò maturiùs inaugurationem accelerantibus Ordinibus, quòd ob impendentia diſcrimina, magis Te ambirent Sceptra, quàm Tu illa: & Corona Poloniæ, vetus Rom: Imperij donarium, non poterat æruginẽ ſitu cõtractam, niſi in capite digniſsimi tot Cæſarum Nepotis, depoſuiſſe. His prodigijs, velut gradib⁹, promovente Deo in Solium aſcendiſti, ubi priùs innumeram illam, pro Roſtris Varſaviẽſibus Quiritium turbã, non fucatæ virtutis opinione implêſti.

Vnum porrò fateri neceſſum. Quòd in hac Regni

cõpage, intempeſtivis diſturbijs agitati Cives, vel bonum publicum ex interna tranquillitate proveniens, haud intelligãt; vel ſuſpicionibus aut reſpectib⁹ faſcinati, in diverſum agantur. Sed ignoſcẽdum eſt ſuperfluo metui, aut indulgendũ ſolicitudini: ſicut quippe oculus, (qui etiam jocum non pati dicitur) ad lenem deciduæ feſtucæ caſum, muro palpebrarũ cõſulit pupillæ ſuæ. ita Libertas Polona, ſcrupuloſæ ſemper circumſpectionis plena, ſua quandoq́; præſidia formidat, ac dum avitis immunitatibus proviſum vult, in ſcirpo nodũ quærit. Sed dexterrimè admodùm, & Regia via incedis Ser: REX; Clementiâ indolis reluctabũdos trahens; rurſùs ſoliditate cõſiliorum conſervationem Patriæ ingerẽs: cùm & acephalon Regnum velle, non ſit Civilis prudentiæ, & ut cælum duos Soles, ſic nec geminos Monarchas Thronus Poloniæ patiatur. Ergò dum hoc ſubjectionis debitum, cũctatrix Circumſpectio moratur; per partes, quòd benigni Creditores ſolent, recipiendum eſt: donec & iſtud alijs prodigijs accedat, ut Vniverſi convolent, ubi plures fuêre.

Eximium ſanè tantis à propitio Cælo favoribus cumulari: eſt tamen aliquid, quod omnia Encomia ſuperet, quod laudib⁹, humanis trophæum ſuperaddat, & quamvis Coronata Capita ſupra cæteros emineant, quoſvis tamen faſtigiatos trãſcendit vertices, veræ Religionis ſtudiũ, & ſincerus Numinis cultus. Hoſtem armis domare fortitudinis eſt, rectè adminiſtrare Remp: polytica prudentia docet; probitatem excitat indoles, robur Heroicum corporis vigor, Autoritas, Magnanimitas, aliaq́; virtutum ſupellex, magnorum animorũ pediſſequæ ſunt: ſola Fides Orthodoxa, Donum Dei, lumen animæ, oſtium vitæ, fundamẽtum ſalutis; non eſt volẽtis hominis, ſed miſerẽtis Dei opus; quam Tibi inſtillatam divinitùs credi par eſt; ut à vagis opinionibus receſſũ, eò expeditiùs bella Dñi præliareris.

Neq́; hîc ceſſant prodigia, intra fidem, ſupra ſpem noſtrã exhibita, ac pro Te, velut pro Moyſe olim, cõtra Pharaönem ſtantia. Namq́; dum bello in Turcã accingeris, cùm ecce ab Exercitu Invictiſſimi Rom: Imp: LEOPOLDI, interneciva clade ſternitur Ortoman⁹, apud Sientam Pannoniæ; cæpto felicis prælij auſpicio, ubi fortiſſimæ Saxonum Tuorum Legiones, primæ in hoſtes invectæ depugnãt acerrimè; donec Sultanus probroſa fuga ultra pontem elapſus, exaggeratis in citeriori Tybiſci ripa Cadaverib⁹ ſuorũ, promontoriũ erigi; & rapidi fluminis undas, objectu cæſorum velut cataracta ſiſti adverteret. ſed quid majus adhuc Boni Superi præſtant; ubi belligerans Chriſtianitas, in Leges pacis convenit, cõditur vagina ferrum Principibus, reſpirant infenſi Mucrones, & exitiabilis hoſtilitas, ictis Fœderibus in ſe crudelis eſſe deſinit, meliori auſpicio in ferum Cappadocẽ depugnatura. His Tu Signis, & manifeſto ſic volentis Numinis inſtinctu REX Sereniſſime invitaris, quominùs adversùs hunc Pharaönem arma Chriſtiana expedias, cui ſi Ærythræum mare longius abeſt, aſt certè Pontus Euxinus vicinior, non defuerit ſubmergendo.

Perge porro per Miracula REX Sereniſ:, ac plus ultra in Crucis hoſtes progredere; quò Te Numen, quò Fatorũ deſtinatio, deniq́; Virtus & Fortuna Tua ducunt: accedente boni ominis præſagio, ut quandoq́; à Septemtrione immineat Machometiſmo interitus. Aſt dum Heroico operi accingeris, ne temne Literas, Regum geſta quacunq́; ratione poſteritati tradentes; nam fruſtra in parãdis deſudas Laureis, ſi poſtponis ex fortitudine memorari. Virtus quippè Heroës facit; Heroum Hiſtoria facta coronat; ac cùm vixerĩt fortes ante Agamemnona, ſilentur; carent quia vate ſacro.

Neminis intereſt magis quàm Tui, Regum geſta Faſtis conſignari, qui magna olim Orbis ſperaris Hiſtoria; & quem feſſa bellis Europa, Zeloſum Chriſtianitatis vindicem agnoſcat, eundem rebus geſtis clariſſimum, accuratè deſcriptum, vel in charta legat perenniter.

Quod dum decora meditamẽtis ſcribendi ingenia moliuntur, ego interim Anteceſſoris Tui IOANNIS CASIMIRI Regis noſtri, per unde xx. Annos productũ, ac demùm procurata Abdicatione cõcluſum Regimẽ, ne tanti Regis Acta obſoleſcãt vetuſtate, Mai: Tuæ lubẽs & ex debito conſecro, dedicoq́; Nam Præceſſorum Virtus, portio quædam Succeſſionis eſt, & Majorum inſtituta, debẽt eſſe Poſteris norma agendi. Accipe itaq́; REX Seren:, agreſtes iſtas ab aratro Muſas, quæ informes licet, nec ad ſæculi geniũ dedolatæ, mox à peritis, in ſubtiliorẽ formam recudentur, ibuntq́; per Hominũ manus AVGVSTO Nomini Tuo inſcriptæ: quas ego in Patrocinium S. R. M. Veſtræ nũcupatas, ex debito Subjectionis offero; vel maximè veritati cõtentorum, & libertati Hiſtoricæ anxius. Aſt utræq́; hæ in tuto mihi ſunt; modò Te Ser: REX propitium Numen, in ævum ſervet incolumem, & tam Te Poloniæ triumphantem, quàm Poloniam Tibi exhibeat dono Pacis florentiſsimam. Dabam Goleniovijs rure meo paterno. ipſo Annuntiatæ Virginis Matris Die, Anno Chriſti M. DC. XC. VIII.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ,

Regis ac Dñi mei Clementiſsimi.

Fidelis Subditus, & Servus.

VESPASIANVS à Kochow KOCHOWSKI,
Tribunus Terræ Cracovienſis Generalis.

IHS

Proëmium ad Lectorem.

PRodeo in occurſum Tibi erudite LECTOR, & quæ conſueta ingenuorum officioſitas eſt, obvius requiro? SATIN SALVI? Utinam verò ſoſpitem Te verus præſtet Dieſpiter, & ſi has Pagellas Annalium legendi cupido tenet, largiatur quæſo tam bonam mentem, quàm firmam ſanitatem: jam eſt amplius, quòd ſeriò confabulemur.

IOANNIS CASIMIRI Regis Poloniæ, geſtorum Climacterẽ Tertium, luci publicæ exhibeo; memoriæ tanti Principis ab oblivione, quantum in me eſt vindicandæ; certè ut in lucem ſe ea opella proriperet, audacem fecit, vel materiæ dignitas, vel non inutile Poſteritati argumentum; cùm contra metum incuteret, ſuſceptum ſupra vires onus, ex tenuitatis conſcientia. Oratorem quippe non aratorem requirebat hoc ſtadium, & exercitationis facundiæ Tropis dignus erat celebrari Princeps; non ſolùm in Hoſtes bellorum fulmen, ſed adverſæ fortunæ, etiam ſui ipſius victor. Auſus ego privatum, impendere Otium, ob ſuſtentandam non improficuarum tranſactionum memoriam, ut poſterior ætas in parato habeat, unde ſuum cuiq́ decus ex merito rependere poſſet. Nam ſi proletarijs artificibus licet, craſſa Minerva imprimere Folijs, Heroas, Divoſq́: neq́ Solis radij in lutulenta verſi contrahunt maculam: pari ratione quis me vetet? vel poſthumo in Principem ut memoretur Officio, vel Patriæ causâ, quo poſſit veteris Reipubl: meminiſſe, verba conari. Faciant exactiùs & ad amuſſim illi; qui facundiam in cenſu numerant; mihi in arcto talium vis; non tamen inutilis labor fuerit, ſaltem detegere ſcopulos, ac monſtrare vadum ſinceriùs, quo inoffenſo curſu ampla hæc Reip: ratis in tutum deducatur. Hic ut omni Hiſtoriæ, & mihi ſcopus.

Aſt dices? hos Annales velut fœtum Elephanti videri, quam gravidam ajunt perpetuis decem eſſe annis? cùm poſt Secundum Climacterem, & editionem Tertij, intercedat decennium. Sed dilatæ editionis rationem hanc cape. Diſtuleram ſanè, aut ſepoſueram gravem mihi & improficuum laborem, alicui alio tanti

momen-

momenti traditurus lampada; minutioribus interim editionibus, & quæ vergenti in senium ætati magis competerent, otium sustentans: Uti Horto Virgineo; Rubo incombusto; Psalmodia Polonica &c &c. in lucem emissis. Cùm Decessor Rex, quâ literis, quâ mandatis, per submissos urget continuanda cepta; Tribunumq; ideò facit, uti Tribuûm Patriæ prospera vel adversa continuato filo ad calcem deducerem. Parui demùm ut par erat, & excusso veterno, huic tertio Climacteri, trium ferè annorum, operam & manum admovi. Hinc serotini partus occasio, & diuturnior in editione mora.

Monitus ab Amicis ne obscurus fierem, dum brevis esse laboro; obsequor consilio, diffundens ubi opus narrationis laciniam, contrahens ubi expediret; imò ab experimento didici nihil facilius Senectuti factorum sterili, quàm verba dare. Quædam tamen omittenda, ac velut Timantis velo obnubenda duxi: nam licetsi nihil silere Historiæ lex sit, tacenda tamen quæ nocent, aut scandalizant, sana ratio permittit. Vocabula aliqua Neoterica hoc seculo usitata apposui, quo genuinum sensum rem denotantem explicarem. Colonellum pro Tribuno Legionis, Optionem pro Vicepræfecto Cohortis, ponendo: eadem ratio Campiducis, pro Magistro Equitum, Mareschalci pro Directore cæteris, & alia ejusmodi &c. quæ non studio nouitatis, aut Latij sermonis contemptu, sed accomoda rebus explicatione usurpavi. Cùm & ipse Romanæ parens Eloquentiæ Cicero, favorem pro gratia accepisse à Quintiliano scribatur. Quidni & Polono calamo liceat? (ut ferè mutuis commercijs cum Externis agimus) etiam verba semilatina eorum usurpâsse, modò sensus narrationis in integro sit. Eadem ratio Nomenclaturæ Aulicæ accipienda erit, cum Publicum, Audientiam, Credentiam, Complementa, & sexcenta alia vocabula occurrent.

Neq; Præli, seu Typographiæ errata, humanitùs commissa deprecari omitto; haud nescius Authori inde inuri insciti notam, etiam molestiam creari legenti. Veniam itaq; eo nomine quæso, quam eò magis concessibilem spero, cùm nullum mihi Tybur, aut Tusculanum Urbem prope; imò ultra decem leucas, loci distantia à Metropoli relegaverit habitantem, quominùs præsens, limas præli attentiore spongia delerem. Errores tamen ejusmodi in elenchum redactos, ubi vacabit subijciam, à benigno Lectore corrigendos.

Sed magis anxium reddit, sequax veritatis umbra odium, & tam bonæ Famæ negligens, quàm malè contemptrix malignitas. Nemini omnes, nemo omnibus satisfecit; sat superq; erit, si adulationis immunem conscientiâ absolvat. Quod si quis nigra litera aspergi se indignatur; sibi imputet & publicæ famæ; quæ vix quandoq; errat, præsertim ubi tempore defæcata, & consensu Memorialium ejus temporis approbatur. Ast in his parcior ego. Cui enim bono, vituperijs lacesserem ignotos, innoxios, immeritos, cùm veritatis dispendio? aut quomodo secus meritis laudes, discolis encomia, tribuerem? non sine evidenti probro adulationis? Certè cum modo utrumq;, ac ut appensa ad stateram dosi pharmaca solent, ex lege Historica adhibui modicè, ut & ipse Aristarchi nomen effugerem, nec Historia pateretur detrimentum.

Hinc Scriptorem me, non Authorem Annalium professus, similibus malevolentiæ telis, Lipsianam illam in notis objecto cautionem. Lapides & ligna ab alijs accipio, constructio tamen Ædificij & forma, tota nostra est: architectus ego, materiam operi undiq; conquiro. Nec aranearum textus ideo melior, quia ex se gignunt, neq; vilior noster, quia ex alienis libamus ut apes. Hic erubescente licet fronte, certum Benigno Lectori postulatum, insinuare sustineo. Etsi enim ulteriorem horum Annalium contextum, vix promittere ausim, cùm res quædam sint in nostra potestate, quædam non sint; mihi verò supra quintum & sexagesimum, sanè grande mortalis ævi spatium producta ætas, ad privatas magis vitæ & Conscientiæ rationes calamum abstrahat, quàm publicis vacare permittat; non ideo tamen manum de tabula submoveo, si ille velit, qui supra nos potest. Dum itaq; pergo ulteriùs Historiæ filum producere; confidenter exoratos Philologos velim, ut si qui præ manibus sint, Manuscriptorum ac Diariorum codices, gestorum præcipuè Michaëlis ac Ioannis III. Regum Poloniæ memoriam continentes, transmittere velint Cracoviam; suam ipsorum cumulaturi famam, neq; minus merituri de publico.

Tum quia ex antecedentibus elici solet Conclusio. Iam hic & nunc solenniter Protestor: me omnia Scripta, imò dicta mea, tam publici Iuris per prælum facta, (& jam ad præsentem Annum quatuordecimum prodit opusculum) quàm adhuc dum in fragmentis domesticis existentia; autoritati & Censuræ S. Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, de toto & in solidum subjecta velim; & ab ejus Matris, quæ errare non potest, infallibili Iudicio, me ne latum unguem, haud quaquam recessurum profiteor: recepta & approbata pro legitimis & genuinis; si quæ reprobaverit illa, pro Apocryphis & damnatis habiturus:

biturus: nec aliter tam ſcribenti mihi, quàm in revolvendis Lectori, niſi prout illa decernet, lus fore.

Non te amplius prolixiori anteloquij pompa, mi Lector, diſtinebo; æquanimem & diſcretum ſperans, vel ſaltem humanitatis non immemorem, ut ſublevare non impellere lapſantem velis, etſi candidum lapillum negas, ſaltem atro condemnare ne properes. Namquis noſtrum ſine peccato eſt? & fragilitas mortalium ſæpiùs in errorum ſcopulos impingit. Etiam ego, me hominem novi & memini, vel labilem ab imperitia, vel fragilem à continuo morbo & ſenecta. ô quàm rarus quiſq, etiam ſanorum & valentium, vitat inoffenſo curſu, inſida hæc Acroceraunia. Interim ſi mens eſt fruere Lector vividus, emenda ſedulus, & in ævum ſalve incolumis. Cui donec abeo (primam verbi literam ne immutaveris) diuturnùm Vale.

Approbatio Ordinarij.

EGo M. FRANCISCVS PRZEWOSKI, Sac: Th: Doctor, & in Academia Cracovien: Profeſſor, Eccleſiæ Collegiatæ S. Floriani Præpoſitus, S. R. M. Secretarius, Ordinarius Librorum Cenſor, Opus, cui titulus ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTER TERTIVS, ab anno &c. Scriptore VESPASIANO à Kochow KOCHOWSKI &c. &c Vidi & attentè legi, quod cùm nihil Orthodoxæ fidei, & bonis moribus diſſonum in ſe contineat: ideo illud in publicam lucem edi, & prælo imprimi; do & concedo facultatem. Datum in Præpoſitura S. Floriani ad Cracoviam, 2da Maij, Anno Domini 1698.

Idem qui ſupra mpp.

ANNA-

ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTERIS TERTII, REGNANTE JOANNE CASIMIRO, LIBER. I.

Elenchus Contentorum.

STatus Poloniæ, & cum vicinis Pacta Fœdera, tum reſiduum Belli, & perdurans cum Moſcho hoſtilitas. Quæ inter Electio futuri Regnantis inſurgit; turbarum in Republica fons & origo. Mala exinde pullulantia, & Confœderationi Militari fortè motuum. Quæ anno præterito cæpta, præſenti maturuit. De hoc Nexu obitèr, qui ſacer appellatus. Czechanſcij Optionis caſus, ac propè ſupplicium. Confœderatus Miles, ſeu Nexus, Kielcijs mouens, Wolborij ſubſiſtit. Rex A. CH. 1662.

1662. *Comitia Varſauiæ indicit, ac ad ea Nexum vocat. Nexús cum miſſis è Senatu expoſtulatio. Comitia inchoata non ſine ſpe fauſtæ Concluſionis. In quibus Electio in theatrum prodit, multorum ſilentio, nonnullorum reclamatione. Nuncij ab Confœderatis comparent. Quorum poſtulata diſcutere Ordines æquum cenſent. Summa poſtulatorum Militarium: ac è contra ſubiuncta Regia Reſcripta, ad unum quodq; poſtulatum replicantia. Electio per Legem tollitur, nunquam aliàs ſuſcitanda. De hac Materia fuſior explicatio, ac ut inſtitutus fuerit ad eum finem in Aula occultus Nexus. Externorũ Legati, primi arcanum patefaciunt. Contributio Capitalis, ſeu Capitum Cenſus, in Comitijs laudatur. Legiones Confœderatæ propè Varſauiam aduolutæ. Mors Abbatis Calui Montis Sieracouij, & aliorum. Comitia utcunq; finita. Commiſſio Leopoli cæpit, cui Rex præſens adeſſe voluit. Variæ controuerſiæ cum Nexu ſeu Confœderatis, per Deputatos Cohortium agentibus. In Lubomirſcium Mareſchallum prima offenſæ occaſio. Legatio à Mag: Moſchouiæ Duce. Borzęcki Subſtitutus Leopoli moritur. Nexus Lithuanicus furit, Campeſtri Duce Gaſieuio, & Mareſchallo Zyromſcio atrociter cæſis. Czartoryſcius Epiſcopus ad nexum Polonicum mittitur. Eius ad Confœderatos ſermo. Mutuæ utrinq; Controuerſiæ, & acris pro pacanda Republ: concertatio. Donec in certa capita complanandi diſſidij conuenirent.*

QVod ſæpè longa fractis ægritudine euenit, ut ſensim conualeſcentes recidiuo iterum morbo ſuccumbant; hoc reuera videri poterat accidiſſe Poloniæ, ut tot bellorum ſuperatis ſcopulis, in Syrtes interni diſsidij impulſa, grauiore quam quem eluctata caſu, demùm conflictaretur. Quis non crudo vulneri obductam cicatricem credidiſſet? Hoſtium alijs per icta Fœdera in amicitiam admiſsis, alijs ſuffragante innocentiæ Deo, per arma & clades retruſis: niſi dum decumanos fluctus eluctata Reſpubl: ad Caput bonæ Spei emergit, rurſus grauiori internorum malorum Symptomate affligeretur. Et externis quidem morbis medella facilior, magis arduum latenti in viſceribus malo remedia ferre, infixumq; medullitùs vulneri telum reuellere. Id experta omni ſæculo Regna Monarchiæq;: periculoſiore ſemper diffidentiarum ac interni diſsidij verme, quam ad radicem poſitâ hoſtilium armorum ſecuri. Etiam nobis, Vniverſali coniu-

1662. coniuratæ viciniæ incurſu preſsis, inter ſimulatos Amicos, aut apertos Hoſtes agentibus; poſt edomitam Vkraynæ Rebellionẽ, conciliatam Pactis Sueciam, repreſſum armis Moſchum, non dèérat domi hoſtis in quem pugnaremus. Quibus verò malis ab intra vexati? quo Novercantis Fortunæ per internos motus petiti ictu? & vix non in agonem acti; animus eſt, extra adulationis & liuoris Confinia, ſincerè quò ad veritatem, ſimpliciter quo ad ſtylum, rerum transactarum ſeriem tradere. Bellorum quidem externorum cauſas, progreſsum, & finem poſteritati conſignando, ſegne & ſine ullo metu offenſæ Hiſtoricæ profeſsionis ſtudium fuerit; dum vel virtus hoſtium cum laude habetur, vel imbellia pro ſolatio Victoribus eſt: periculoſior Ciuilium rerum Materia, in quibus nec virtuti gratias, nec demeritis adæquata tutò affinxeris Iudicia; cum etiam hoc Hiſtoriæ Pelagus ſuas Syrtes Charybdeſque habeat, & quod raro deſtituant venti, Odij & Malignitatis. Sed utcunq; alea cadet, ego ad veritatis ſcopum (velut ad Magneticæ pixidis ductum navigantes ſolent) filum Narrationis meæ circumducam, non obnoxius cuiquam ut immeritos laudem, non iniurius ulli, ut præclarè facta ſupprimam; ex compilatis eius temporis Memorialibus, res geſtas componens; id ſolum in antè profeſſus ingenuè, laturum me æquiore animo odium propter veritatem; quàm ſeruile probrum ob adulationem.

Status Poloniæ.

Tranquilla nobis eò temporis cum Imperio Germanico Vicinitas, ſiue vinculo Sanguinis cooperante inter Regnantes, ſeu tam bona Pacis quàm Belli mala utriſq; ex æquo penſantibus. Suecus Oliuenſi Tractatu exarmatus; Brandeburgicus pingui offa ut quietem ferret inductus; Tranſyluanus haud perfunctoria clade mulctatus; Conſtantes in ſocietate armorum Scythæ; Coſaci inter ſe Factionibus ſciſsi; Moſchus quin etiam arma Gentis noſtræ ſuo malo expertus, adeo typhum remiſerat, ut gemina Legatione expetendæ Paci miſſa, non incommodis conditionibus reconciliari Regno percuperet. Nimirum triplicis belli impendente terrefactus tempeſtate, cum præter Polonos ablata per iniuriam repetituros; etiam Sueci in ſocios belli adſcribi vellent. Sed flagrantiſsimè omnium Crimenſis Hanus, veterum odiorum memor, cum omni Tauricæ ſuæ robore, ſe in commilitium Regis addiceret. Hic Status ab extra Regni noſtri, cum ab intra enata diſsidia, ingentes apparatus belli in Hoſtes mouendi, eluderent. Vt ſæpius magnas Spes, ac prægnantia vota, in ipſo tranſigendi articulo deſtituit eventus, ac plerumq; mortalium

1662. consilia Logica, in Argumentis cupiditatis aut ultionis, sine Conclusione existunt.

Equidem eâ permittentis Dei flagella, haud absimilia plagis olim Ægyptijs dixerim, quibus è dura seruitute Israèl emancipari iussus; etiam istis peruicatia nostra plexa est, dum Libertatem Populi restringendo, culpabili ambitu æternæ Prouidentiæ Decreta inuolamus. Quid enim aliud Electio erat, infausto sidere enatum curiosæ mentis inuentum? ac ab ore fugiens Tantali pomum? nisi quædam fatalis cæli fulgetra, unde in nos tot malorum dirarumq; tonitrua detonuêre? Hinc quippe prodijt, (de quo infra) arcanus ille Nexus, inauditum in Aula, raro admodum inter Milites usurpatum vocabulum; in quem manutenendum repetita nullo operæ pretio Iuramenta, simul multiplicata periuria; ac initæ cum Exteris diuersimodæ Factiones, & molimina (nunc Praxes vocant) in designandum improli Casimiro, qui post regnaret Successorem. Consecuta dein in promovendam factionem prodiga publici Æris dispensatio; Monetæ melioris ob quæstum depravatio; Ordinum Lithuaniæ contra Ordines Regni, ad Scissuram Vnionis consarcinata Manifestatio; Militis ob non soluta Stipendia in Confœderationem impulsus; Ruptis Comitijs contra leges usurpata, per Sen: Con: tractandorum actiuitas; Contra ordinem & naturam Iuris Iudicia; Magni Ciuis proscriptio, ac pro eo totius Reipubl: intercedentis, immisericorditer reiectæ preces. Vnde secutæ Motus intestini Causæ, Statuum Collisio, & temerè deletæ Legiones: insuper Princeps in odium Populi traductus, aliaq; errata Politica, Liberæ Genti pro grauamine habita: non tamen Principi Naturâ & indole probissimo, sed temporum calamitati, plura prauis Consultoribus imputanda. His Fautores pro se, aut studio partium anticathegorias opponebant. Primum perduellis genij notam esse, carpere Reges de facto, & assentari de verbo; lambere pedes & infigere cordi aculeum, nam imputare crimina Ministris, & excusare Principem, quid aliud? Nisi coronato Capiti acrius insultare, quia palam laudato. Id nunc fieri, cùm obliteratis supra quam Paternis Regiæ Domus beneficijs, velut inter æquales, prouocarent Scommatibus insulsi ciues Principem, cui nihil grauiùs nihil molestiùs ingratitudine Subditorum esset. Neminem decessorum Regum, magis de Polonia meritum Casimiro, neminem Maioribus ingratijs vexatum: & si is una die tantum diademate redimitus, reliquum vitæ sub cassside & inter discrimina egerit. Eum tamen malè suasis videri oneroſum, cum rectè calculum ponentibus,

Occasio malorum Electio.

Eius effectus.

Extra Fautorum nationes.

nentibus, Patriæ Stator, & Conseruator sit. In eum prauis sug- 1662.
gestionibus Odia Populi armari, in eum fabricatum Militarem Nexum, tantùm sibi licere opinantem, ut bonis Oeconomicis sequestro præhensis, vel necessariam è Mensa Principis escam subtraxerit. Hinc leuipensâ Maiestate factum gradum, ut sacrilegè Ecclesiarum Patrimonia inuaderentur; interceptos Sacerdotum reditus, sublatas Cœnobiorum fundationes, & alia miseranda magis quàm miranda. Exutum ante fas obsequij, concultatas Leges, arma in Principem motâ, concitatam seditiosè Nobilitatem, violatam emissarijs scriptis fidelium Ministrorum innocentiam, imó in his læsam Principis Maiestatem, cui literaria scommata telis hostium graviora essent. Neq; id satis. Redarguta nocentium Capitum in Ius Vocatio; impedita Rei Iudicatæ Executio; ac constricto Principe, ne quam Iureiurando Regio spoponderat Administrationem Iustitiæ, ad debitum finem perduceret. Hinc emersit iterum tumultuantis Exercitus turbida Secessio; desolatæ Prouinciæ; Moschum bello prosequendi adempta opportunitas; & omnia susq; deq; versa, paucorum Turbonum instinctu. Insuper peracrem Famem, pestilentiæ luem, ac Annonæ caristiam, dum unus alteri imputare nequit, ab irato cælo prouenire fassi, in culpam aduersariorum transferebant. Ea mihi in ulteriori contextu Historiæ, sepositis penitus Pòétarum Metaphoris, & abdicato lenocinantis Eloquentiæ ornatu, propria & competente verborum phrasi, veniunt enarranda.

Annum præsentem 1662. excipit Militaris Nexus, proximè præterito infaustis auibus cæptus; jam tunc Sacer à profanis conditoribus sui appellatus, Fortè mutuato à Francis vocabulo, qui post Henricum III. quo Troni Gallici Competitorem ob dissiduum in Religione arcerent, Sacram Ligam donec Henricus IV. Ecclesiæ reconciliaretur, vocaverant. Rectè ne, an perperam Nexus noster Saeer dictus? haud perinde de Nominalibus disquiram: certè per antiphrasim appellatum crediderim, quomodo & Lucũ quod minimè luceat, & Parcas dicant, quod minimè parcat. Subit tamen mirari, rem per se malã Iureq; vetitã, nempe Militis in Principẽ Legitimosq; Duces violentum motum, adeo concorditèr, ac ordinatè inter se egisse, tamq; exactè sub perfunctorio Magistratu tenaces obsequij extitisse, ut nullis exquisitis artibus, promissis, aut Largitionibus scindi, ne quidem intentatis minis aut ostentata vi rumpi potuerint. Vt vero Directorem sibi sub Mareschalli nomine, ac XII. Consiliarios, qui Cætum moderarentur elegerint, anteriori Climactere memoraui, neq; nunc repeto. Apud hos condendarum

Nexus Sacer.

De Nexu mentio.

1662. darum Legum poteſtas, Iuſtitiæ adminiſtratio, retinendæ Militaris diſciplinæ cura, & pro ſecuritate ſui vigil induſtria. Sub Mareſchalli Nomine (qui tunc Ioannes Samuel Swiderski erat) Reſcripta ad Exercitum (Vniuerſales literas dicunt) prodibant, ille pro Conſilio indicebat Circulos Legionibus, Legatos undecunq; venientes excipiebat, diſtribuebat Stativa Cohortibus, cunctorum planè cum admotis è Militari Magiſtratu Collegis, vitæ Neciſq; Dominus; at is ſimul cunctos reſpiciens, & omnibus obnoxius, tamq; in quævis acta ſua Inſpectorum patiens, ut non ſacris intereſſe, non ſomno aut venatu laxere animum, ne dum cuiquam colloqui niſi additis paraſtatis & inquiſitoribus poſſet. Hinc dum peccare non vacat, itum per ſpecies virtutibus ſimiles, acriùſq; coercita flagitia in ſubiectis, dum Magiſtratui delinquere vetitum. Certè adminiſtrata iniuriatis ad perpendiculum recti Iuſtitia, omitti non debet quin memoretur: nullo perſonarum aut gratiæ reſpectu plexis reis, & extra dillationes qui acculârent ſatisfactis. Accedebat Militaris in tractu Cohortium modeſtia, tam exactè ſub ductu Swiderſcij obſeruata, ut vel legitimis Ducibus neglectum diſciplinæ rigorem, diſſolutamq; in miſeros Agricolas lixarum rapacitatem, exprobrare potuerint. Inter ſe quin etiam haud diſsimulantèr egêre, alter in alterius actiones intenti, & ſi quis in ſancitas Nexui peccaſſet leges præſenti eaq; exemplari pæna vindicando. Haud remiſſæ exemplum ſeveritatis ponam. Michâèl Czechanski vetus Iaſkolſcij Caſtellani Sanocenſis Optio, ſolers inde ac plus ſibi licere ratus, quod anteriori Nexu (cuius Caput Iaskolſcius) Subſtitutum égiſſet, etiam tunc ſubera ſuberanda ratus, primo in arcana ſcripta cum emiſſarijs Aulæ ſe dederat, dein ſæpius colloquia miſcere deprehenſus, ſuſpicionem initæ conſpirationis fecit, præſertim intercepta manus propriæ ſchædula, quâ facilem ſuâ operâ adpromittebat Nexus diſſolutionem. Hinc iniecta manu in cuſtodiam datus; poſt die dicta Kielcijs Militari Iudicio ſiſtebatur. Vbi manus propriæ haud abnuens Characterem, ac pleraq; ingenuè faſsus, circulo Militari Sententiam ferente, qui capite peccauerat, ad pænam Capitis condemnatur, prævaricationem Iurisiurandi ſanguine luiturus. Is ad prælectum Decretum, in probroſæ mortis limine, Confeſſarium ſibi exhiberi poſcebat, eo magis quod errorum Calvini tantiſper ſequax, vel Mundo moriens, Eccleſiæ, quæ ſola Catholica dici meretur aggregari cuperet. Vbi ſatisfactum deſiderio, eiurato Calviniſmo in Matris Eccleſiæ gremium receptus, jam enſem Iuſtitiarij in area expectabat, cum enixiſsimis Czartoriſcij Epiſcopi

Czechańſcij Opt; Caſus.

piſcopi Cuiavienſis precibus relaxata pænâ, vitam impetravit ea lege, ut Inſtitutum Bernardinorum quos de Obſervantia vocant amplexus, reliquum dierum inibi traheret, ac Capiti Cuculum indueret quo in ſcindendum Nexum abuſus. Ita tunc Confœderati, boni in malo opere Legislatores videri voluêre, cultoreſq; in ſpeciem Iuſtitiæ rigidi, quam ipſi vel maximè violarent. 1662.

Etenim ſæpius quâ univerſalibus, quâ privatim ſcriptis literis compellati à Rege, ut excuſſa peruicatia ad obſequium redirent; vel ſaltem ſub regimine à ſe Conſtituti Magiſtratus, tendenti in hoſticum Principi adeſſent, primò reſponderant ambiguè, dein utrumq; pernegauêre. Imo Tauricæ Hanus miſſo (proh dedecus) ad Swiderſcium Internuntio urgentèr requirebat? quid ita veterani Milites intra parietinas deliteſcerent, adeſſe fortibus Materiam gloriæ, & ampliſsimæ prædæ faciles manubias, ſi in Moſchum æternum Poloniæ hoſtem, & tot Provinciarũ Regni raptorem ſigna movent. In quem & ipſe cum Centenis Millibus ſuorum, Regem antegrediendo in procinctu itineris eſſet. Aſt illi non inuitantis Principis reverentia, non exprobrantis deſidiam Barbari monitis, nullo cenſus & vocationis Equeſtris reſpectu; imò velut abiecta honeſti & Patriæ cura, cancri via incedebant: in Meditulium Poloniæ ſerpendo, cum tunc magis expediret Moſchum, utraq; Boryſtenis ripâ arcere. Erant qui obſtinatiores reddi crederent, jactis ab Aula improvidè minis, præcidendum ferro nodum an Nexum, qui civilibus medijs ſolvi non poſſet? nec amplius perduellis Exercitus temeritatem molliendam indulgentia, ſatius frangendam Imperio dictitantibus, ac hanc licentiam Legibus damnatam vi comprimendam, dum ſponte ad meliorem frugem redire nequit. Exaſperabant quinetiam Epiſtolæ Prazmovij Cancellarij ad Swiderſcium ſcriptæ, quibus perſtringebat ad modicum tempus duraturam eius functionem, ac velut in ſomnio exercitos Mareſchalcatus Faſces, aliaq; addebat per Ironiam, non falsò quidem ſed importunè; ad injuriam ſui literarios ſarcaſmos referrente Exercitu, cum qui uni minaretur, timere faciat plures, & intutùm ſit lædere eos, quos perdere non poſsis. Hinc dum acta Exercitus acerbius carpuntur, creditum datam Majori diſsidio viam, militemq; ad tranquillandi media intractabiliorem reddidiſſe. Iam iſti Kielcijs Cracovienſis Cathedræ ditione, diu & præjudicioſè morati, domicilium non hoſpitium fixiſſe videbantur: ob ſitum commodum loci, qui velut in centro Regni poſitus, Majoris Minoriſq; Poloniæ confinia attingat, & ad diſtribuenda in utram vis partem Imperia idoneus exiſteret.

Nexus à belloſe excuſat.

Nexus inualeſcit.

Hic

1662. Hic per momenta temporis insurgebat latiùs glisçens ignis, præsertim cum quæ tam diu moratæ pedestres, Legiones, accessu suo firmiorem Nexum redderent; ut & ipsa Prazmòvij Cancellarij Raytarorum Ala, sub Colonello Iacobo Gissa, tam diù fida & adhærens Patrono, demum desertis partibus se in Nexum adjunxerit. Hinc circumspicere illi sese, viribusq; expensis, quæ triginta Millia Armatorum, præter innumeros lixas aliamq; Castrensem turbam excederent, ad majora erecti, jam tunc Cohortes sparsim per Provincias in Hyberna locant; Commissarios ex gremio sui seu Reuisores bonis Regalibus etiam Spiritualium præhendendis, immittunt; adeoq; strictè sequestro militari detinent, ut vix pauxilla aliqua portio in alimentum Possessoribus relinqueretur. Sic ad curas Oeconomicas in alieno villicantes versi, non modo exactè Proventus Bonorum inspiciebant describebantq;, verùm & fideliśimè pecunias conservabant tanquam reddituri, sola excepta pro Revisoribus alimonia. Vnde postea aliqui bonorum Possessores, eas curas Revisionum tam solicitè ac industriè obitas fassi, ut ipsi auctos reditus post quam solutus Nexus agnoscerent.

Bona Reg: & Spiritualia præhendit.

Tam acris & quidem principales Reipubl: partes invadens luès, unico persanari videbatur remedio, si extra Ordinem indictis Comitijs Rex, medendo vulneri ea prosperitate manum apponeret, quâ tot decumanos fluctus externorum bellorum sopijsset. Et si indignum pleriq; censebant, nimiæ in suos benignitatis Principem, & cum exuiscerationе sui Publico bono obnoxium, ad usq; contumeliam Majestatis tractari; peracerbùm à stipendiarijs & Subditis multiplici injuria affici; dolendùm conficiendi armis Moschi, ac sopiendæ Vkraynæ manibus eripi opportunitatem: ac quod magis Regem Orthodoxum pungeret, Immunitates Ecclesiæ inaudito apud Gentem hanc exemplo violari; Ius & fas obsequij cum enormi Majestatis ac Legum læsione subverti, & quæ alia patienti cordolium movent. nisi Casimirus sæpius adversis quam prosperis exercitus, exindeq; in tolerandum firmior, Civilia violentis medijs efficaciora cernens, ad indicenda Comitia inclinaverit. Cum etiam in Reges ipsos aliquid Iuris, Necessitas usurpet, juxta illud Philosophi Oraculum. *Omne sub Regno graviore Regnum est.*

Rex Comitia indixit.

Adhibitis proin Rex quibus fidebatur maximè, Comitia Generalia Varsaviæ ad diem xx. Februarij celebranda decernit: ad Senatum Deliberatorias, ad Nobilitatem Vniversalium programmata dimittit; explicatis fusiore energia rationibus, cur ita expediret.

1662. *Legatio ad Nexũ.*

expediret. Ad quæ etiam Militares in Nexu existentes, sat prolixè Regis nomine invitati fuere, missis Stanislao Witowski Sandomirienśe, & Achatio Ligęza Czechovienśe Castellanis, qui Kielcijs comparentes, licet primò cunctabundè accepti, præter perampla solvendorum Stipendiorum ac Donativorum promissa, gratiæ & favoris Regij complementum adijciebant. Ea in Circulo Militari publicè exposita Legatio fuit. Ad Propositа respondente Christophoro Leszczyński Nexus Consiliario, qui Exercitus nomine gratias Majestati egit, quod Sereniśimus Rex verus Patriæ Pater, Exercitum postremam licet Civium Regni portionem, sed non usq; de Principe & Republica malè meritam, in patrocinium Regale susciperet; provideretq; Comitiorum Indictione, quominus cruenti asses, ac pauxillo ære æstimata militum vita, repræsentatis tandem aliquando Stipendijs contentaretur. Semotis arbitris proponebant Legati ea, quibus deliniri pervicatia posset, quæ ut verbis magnifica dici, sic rerum vacua esse haud nescij reijciebant Milites, palam incusando, profusis in externas Factiones largitionibus, insumi Tributa Populorum, cum interim superficialibus verborum tropis male sustentata Exercitus indigentia existeret. Instantibus ad hæc Legatis, ut si prævalet festinata emeriti Stipendij requisitio, saltem amori Patriæ tribuerent, uti confinia Regni laceranti Moscho, ac superbo huic exarmatæ Reipubl: insultanti, obviam iretur. Nihil enim justius esse, ut cum Patria uel extrema tentaret, quod ad satisfaciendum Militi faceret, ita vicissim Miles jubentem Principem & Patriam requirentem, imò Deum ipsum revereretur, in quem non perfunctoria offensa redundaret, subtractis Sanctuarij ac Ministrantium Levitarum reditibus. Ad ea cunctantèr quippe prævia deliberatione responsum. Deo, Patriæ, Principi, reddenda esse quæ sua sunt, ex Evangelio probè doceri; quæ itidem sibi debita, Legis Christianæ paginam inversam continere. *Redde quod debes.* Vbi verò debitum ad assem exolutum Exercitui maner, enimvero & Templis reditus, & Patriæ veneratio, & Sereniśimo integrum redibit (*ajebant*) obsequium, ac æquabili statera unus quisq; reddita rerum suarum proprietate gaudebit. *Neq;* (adijciebat) *satis mirari possumus quid rei sit? ut dum ad pacandas Ciuilibus medijs Exercituum prætensiones Comitia indicuntur, interim ferro & auxo pertinaciter ab Aula oppugnemur? En è Cancellaria Regni emanatas Literas, quibus Seruitia nostra in cædes Dominorum concitantur? Reddimus ecce aureos, quibus Collegæ nostri solicitata in proditionem fides, meliori animo rejecta quam dabatur turpis licitationis illecebra, & ingenuè spretum corrumpendi Exercitus illicium. Recipiantur ergo & Thesauro publico inferantur*

Expostulatio cum Legatis.

1662. bi Nummi, ut malè dispensatas publici æris summas, ob quas Populus gemit, & uniuersa quærulatur Polonia augeant, & donatio hæc in naturam exoluendi debiti transiens, probrosam animorum mercaturam auertat. His Legati insperatò pulsati, ne infra dignitatem Ordinis ad impertinentia se demittere viderentur, dicto utrinq; vale festinantèr in viam abiêre. Siquidem nec in Hæricidia concitatos famulos negari factum poterat, prænensis qui concitarent, & Complicibus è Famulitio aliquot laqueo enecatis, ut plures paucorum pœna emendaret. Aureos quod attinet, id revera fuisse comperi.

Nexus dissolvēdi tentatio. Paulus Borzęcki Cohortis Myszkovianæ Signifer, jam post Swiderscium in Nexu Substitutus, Religiosum aliquem à Spiritualibus consilijs sibi adsciverat, (in Exercitu Capellanos vocant) notabili ut præsetulit virum modestiâ, & superficiali virtutis opinione. Is ad familiaritatem Heri admotus, animum religione, ac Conscientiam scrupulis implicabat, & postquam seriò apprehendentem cognovit, melius fore dixit, si traducto in partes Regias Nexu, animæ suæ, rerumq; temporalium indemnitati consuleret. Borzęccio verò modum & viam ardui facinoris exquirente, ille Mediatrice ac Patrocinante Ludovica Regina fieri posse asseruit; quovè persuaderet facilius, Literas (fidei) agenda præscribentes reddidit, simul cum amplioribus pollicitis, aliquot centum Hungaricorum donarium. Ast

Eruditus nec. viro robustioris animi suasit, non persuasit; quippe ille vel suâ sponte præstiti Nexui Iuramenti memor, vel ignominiosa Czechanscij pœna deterritus, Mareschallo Swiderscio Collegisq; Militaribus arcanum in cætu patefaciens, Literas Reginali manu subscriptas, simul oblatos Aureos exhibuit: securius eosdem publicè recepturus, quam dabantur secretò; interea bono Patre illo ubi retectam tentationem comperit, celeri abitu sibi consulente.

Conventus Particularis non sine motu. Ad Conventus Palatinatuûm ubi ventum, non sine strepitu consilia publica tractari incipiebant. discordibus partium studijs, cum alij placita Aulæ, alij perseferrent zelum libertatis. Ac ut fulgurantium Nubium collisio, proximæ est tempestatis indicium, sic motus ille animorum, haud tranquillum Comitiorum euentum portendebat. Vnus quisq; partes Reipubl: tueri pervincebat, alius convulsarum Legum Corrector videri voluit, plures persanandis Exorbitantijs non nisi Equestribus Comitijs remediari censebant: cum revera inter malè informatos, aut privatis respectibus intentos Quirites, rarus esset, qui occasionum intelligens in turbido piscari non vellet: Fermento illo Electionis saporem multis, spem quæstus pluribus excitante. Hinc evenit tunc primum in Conventu Sandomirienſi Opatoviæ, ut Terrestres Nuntij ad Comitia designati, Iura-

mento

mento adstringi debuerint; quatenus intra Sphæram Instructionis datæ se continentes, non ultra quam jussi essent, licere sibi opinarentur. 1662.

Comitia Gen: Varsaviæ. Comitia mox Generalia, in diem xx. Februarij Varsaviæ indicta, magna omnium expectatione incidebant. Aderat frequentior Senatus, etiam concursu Equestrium notabili. Rex ipse Casimirus si unquam alias solicitus egit, tot impendentium negotiorum curis animum distrahentibus, cum æq; seditiosi Militis Nexu, quam insurgente Moschi armorum potentia, prævalidè domi foriſq; Reipub: premeretur. Et in sedando quidem Militari motu, suggerebantur Consilia scindi non solvi Nexum; sed quia vana sine viribus ira, & tam sine effectu minæ, quam promissa sine rebus despicatui essent, satius visum sepositа severitate, eas turbas Clementia & dissimulatione ad tranquilitatem componere. Qui Circulum Equestrem moderaretur disceptatum inter Competitores, in hunc vel illum inclinantibus votis, donec unanimi consensu electus, Ioannes Wielopolski Præfectus tunc Biecensis; tractandis animis indole ætatis idoneus, etiam Parentis Castellani Woynicensis Senatoria gravitate, ac in Aula favore florentis, commendatus. In hunc Collegij Nuntiorum directione collata, Publica consilia auspicari placuit; itumq; ad Stubam superiorem salutando Regi, frequenti Senatus Corona circumfuso. Vbi osculata Principis manu, non infacundè peroravit Biecensis, nisi quod altiùs mala Poloniæ, quam malorum causas perstringens, melior in demonstrativo quam in Iudiciali genere Orator fuit. Dehinc factâ à Trono per Cancellarium Majorem propositione, ad vota Senatus audienda descensum est; quæ ut quisq; prudentior ad brevem sensum reducebat, velut diviso inter Principis Majestatem & Legum reverentiam affectu; donec se partes aut studia partium proderent. Hinc evenisse reor, ut prima in Codice Constitutionum Lex poneretur. sub Titulo CONTESTATIO BENEVOLENTIÆ Ordinum Regni & Mag: Duc: Lithuaniæ, erga S.R. M. Quæ tamen ut adnotem diversos habuit interpretes, nec sat omnes æquos tanti Mysterij arbitros. Nam in quem usum Nova Iuramenta ac Fidei sponsiones in Principem iterari expediret? si semel factæ ex integro obligant: vel quæ Polonis Regum veneratio connata est, eam velut solutilem, adjecta reste vel fibula connectère animis Subditorum? superfluum id, nec nisi meram ceremoniam sapiens, cum ab ævo notum sit, à Gente Polona bonos Reges diligi, qualescunq; tolerari. Cæterum patuit, sic volente Aula, in eam legem nomine Ordinum consensum fuisse, paucis tunc in quem usum conderetur assequentibus.

Nūtij Terrestres Regem salutant.

Mox

1662. Mox rationes Ærarij in deliberationem veniebant, cum proponerent aliqui exotica contribuendi genera, ac diversos acquirendarum pecuniarum modos, magis ex subtili inventione disputandi materiam, quam ex reali successu corrogandi æris possibilitatem. Etiam prolongatio Comitiorum plus concertando temporis insumpsit quam speraretur. Per edictum Regium semestri tempore definita erant, potior pars Nuntiorum ad sesqui mestre spatium reduci volebat, idem Rex necessarium judicavit. Intercedebant Lituani ac Borussi, quibus à domo major distantia, & ideo gravior sumptuum impensa est: ac cum duas hebdomades ne prolongaretur Actus disceptando consumpsissent, tunc demum ad quatuor reduci permittebant, illi ipsi operosa verborum morâ dispendium temporis facientes, qui in abreviando actu festinabundi videri voluêre. Sub hæc Christophorus Iaranowski Brzestensis Cujaviæ Subjudex accepta dicendi venia, acerrimè in errores Cancellariarum invectus est; quod hæc trina, imò quandoq; quaterna Privilegia, super uno eodemq; Beneficio aut Tenuta extradentes, sementem discordiæ inter concives sererent, Commissis inter se competitoribus, ut non qui tempore prior, sed qui viribus validior, ex principis munificentia participaret. Privationem itaq; Officij super negligentes earundem Legum Custodes extendendam ursit, (Castrandos crassa metaphora dictitans, quos privandos Officijs ex sensu Legis dicere debuerat) unde arguebant pleriq; phrasim proletariam in præsentia Majestatis prolatam; erant qui indignarentur; se eo Scommate peti arbitrantes. Subrisit enixè Rex, ac sublata manu, haud se lædi ea circumlocutione ostendit, ut qui ingenuitatem dicentis, quam elaboratum verborum delectum probaret magis.

Comitiorum prolõgatio tẽpus extrahit.

Iaranowij dictum salsum.

ELECTIO dehinc velut amoto sippario leniter in scænã prodibat, ingens illa quatiendorum animorum machina, tam qui suscitatam, quam qui consepultam vellent. Diu erat ex quo se Nuntij Terrarum mutuò respectabant, ecquis impugnandæ præsumeret primus autor haberi? donec Petrus Telephus Podoliensis Nuncius, invidiosam Materiam silentèr transmittentibus Senatus votis, primus intulit. *Gladio se ignem (quod in proverbio est) fodere nolle, scilicet cineribus silentij inuolutam suscitando Electionis materiam, si modo illa in tantùm animus omnium exclusa fuerit, ut nunc taciturno ore præmitur. Sed cum Instructionis à Palatinatu sibi datæ impulsu, imo Iurejurando in id præstito, efferre commissa obstrictus maneat, primò precarè humillime S. R. M. nomine Confratrum Domi manentium, quatenus eam vomicam, unionem animorum inter Status dissuentem, ac totum Libertatis Polonæ Corpus unicè afficientem, Lege Publica proscribere patere-*

Electio oppugnatur.

tur.

1662. *ELECTIONEM (inquam) nullatenus amplius suscitandam, ac qui eo nomine res innouare deprehensus fuerit, ut pro perduelli, & hoste Patriæ reputaretur. Eo facto præstiturum Seren: Regem, ut quem Patria vindicem sui, & præsidium in bello habuit, eundem in Pace, Liberi Status Conseruatorem agnoscat.* Conclamant ad hæc invasarum à Moscho Provinciarum Nuntij, ac se dicenti adjungunt: vel acriore Exilij sensu permoti, vel dolore quod omnium inopes, ne sportula quidem è Pane benemeritorum relevarentur. Excipit vocem Ioannes Woronicz Bracłavienſis Nuntius, qui *Indolere bonos Ciues dixit Remp: misceri his pernicioſis Nouitatibus, & inclinatam S. R. M. valetudinem turbari, simul & compagem Regni nec dum à bellis externis de toto liberam, bifariam scindi. Æstuat apertissime male tectis factionibus Patria, omnes diuersa in studia agimur, Turbæ Militares innatescunt, Hostes dissidijs malisq; nostris cristas erigunt, florentis quondam Russiæ ex Polonis Prouincias rapiẽdo: Nos interea Penatibus patrimonijsq; exterres, Patriam in Patria quærimus, sine lare, sine tecto, cum pignoribus in miserabili consenescentes exilio. Horum non alia malorum causa, nisi improsperè suscitata Electio: quæ Hostium nostrorum animos & potentiam suscitat, Ordines Regni diffidentijs implicat, te Seremſ: Rex populi amore, & tot bellis parta gloria priuat: nos quin etiam impedit, uti tandem aliquando in Domibus nostris capita reclinare valeamus. Ergo abolendam omnino Electionem poscimus. Hæc desideria esse Palatinatus sui, ut si florentissimæ olim Prouinciæ Incolis, in Exilio viuendum sit, at saltem in Libertate mori liceat.* Commovit vehemens expostulatio omnes, quibus eadem vigore Instructionum à Palatinatibus suis Commissa fuerant, proin consurgere aliqui, alij Trono advolui, alij subito misceri, nonnulli Marescallo Nuntiorum inculcare, quominus sedato motu, concors Provinciarum desiderium unus ab omnibus, ad Majestatem deferret; se ipsos si silent, ingratijs Aulæ subtracturi. Quippe è fenestra Perijstilij prospectabat Regina, identidem ad obstrictos missitans, neu per tumultuaria postulata vis Regi fieret, per quæ non rogaretur magis, quam cogeretur. Defixus in Trono præsedit Rex aliquantùm commotior, donec communicato cum Ministris consilio, quod serum diei esset Sessio in crastinum solveretur. Fervebant interim Nummulariæ Officinæ, jusso Conductore rei Monetariæ Boratynio, affatim conflando æri incumbere; quominus sparso in plures metallo, vel largitione traherentur, qui verbis nequirent. Repertis etiam majoris dignationis, quinimo & Sacri Ordinis, qui sine fronte, vel pro se, vel pro alijs, turpi quæstu se commacularent, prompti per nefas ad lucra Quirites. Hinc aliquis Solidipetas illos, non illepido disticho per Projectum notaverat.

Quam Roxolani Nũtij perstringunt.

Insurgit motus in Senatu.

1662.

Inflare buccinas, Martemq́ accendere cantu,
Moris erat, nunc mos. Ære ciére Viros.

Nuncij ab Exercitu utroq́.

Hos inter conſiliorum æſtus, reſumptis aut ſepoſitis nulla formali Concluſione diſceptationibus, viſum ad Legationes ab utroq́; Militari nexu, deliberationem vertere, Nuncijs Exercituûm præſto comparentibus. A Polonico aderant, Alexander Polanowski Alæ Equeſtris Ductor. (Chiliarcham vocant,) Franciſcus Zaleski Cohortis Loricatæ Optio. Januſsius Bieykowski Iudex Militiæ. Stephanus Iaſtkowski; Stanislaus Grabowski, ac Vladislaus Kruſzewski Nobiles, è diverſis turmis Commilitones. Præter hos Elias Łacki Legionis Legatus, cum Adamo Golinski pedeſtri Centurione à Legionibus Germanico more militantibus ad Comitia Delegati. His ubi pleno Senatu data venia enuntiandi pro quibus venirent, ſat reverentèr ſalutabant in Trono Principem, in caſtris Ducem, in acie victorem Regem, ubiq́; clementiſsimum. conficiendo Apodoſim recapitulatione geſtorum, ductu & auſpicijs Regis, quæ ipſi pro Repub: egiſſent, & quam patientes in repetendis Stipendijs forent, omnium inopes, & in hanc diem debita mercede fruſtrati; aliaq́; adnectebant, ut ferè nunc Loci communes declamanti Militi, ad Clementiam Principis appellare, & ni ſolvatur minari. Subjungebant de exuto obſequio, velut temporaneum delictum excuſantes, ac mox meliori actu reparandum; ſi modo ab æquanimitate Ordinum in prætenſionibus quas exponunt, ſatisfit. Simul porrigebant Inſtructionem è Circulo Militari Kielcijs die ſexta Februarij Anni 1662. datam, ac unde quadraginta fere capitibus ſeu articulis compræhenſam. Ea Inſtructio, ſimul & Reſcriptum Principis, cum ad manum utraq́; ſint, haud gravatìm interferam, patere ut poſsint Incuſantis Nexus, & Excuſantis Aulæ rationes, integrumq́; Legenti ex infra poſitis relinquatur judicium, utramvis partem tantorum motuum ream, ad poſteritatem damnandi.

Primum Inſtructionis Confæderati Exercitûs Punctum ſeu Poſtulatum.

OFficioſam continebat Sereniſ: Regis Salutationem, cum adjecta debiti obſequij per expreſſum clauſula. Qua inſigne beneficium Altiſſimi fatebantur, quod bene valentem & Triumphantem Regem, in Trono liberrimæ Gentis adorarent, ut ſummo ſubjectarum Gentium ſolatio, ſic pari Hoſtium terrore. Quod ob initum Nexum vapularent, eſſe factum, Neceſſitatatis impulſu excuſabile, illibata in poſterum fide & profunda erga S.R.M. reuerentia penſandum.

Gratam

1662.

Gratam eſſe Sac: Reg: Majeſtati ab Exercitu debiti obſequij recognitionem, eo magis quod Patriam tot bellorum procellis, ſolius Dei beneficio ereptam, ingenuè fateantur. Cui ſoli uti Exercituum Deo, pro tot partis Tropheis, Honor & gloria eſto. ut veto omnia ſub ſole viciſsitudini obnoxia ſunt, ſic eum Exercitus ab obſequio receſſum, ad pœnam Læſæ Majeſtatis divinæ referendo, huc omni conatu ſtudioq́; S. R. M. ferri, quominus redintegrata inter Cives unanimitate, ac reddito unicuiq́; quod ſuum eſt, optata pace florere Patriam videat, ob idq́; vel maximè ad indicenda Ordinibus Regni Comitia acceſsiſſe.

RESCRIPTUM.

PVNCTVM II.

Non prece aut prætio, non grandi aliqua fundibilis metalli congerie, ſed haud parco ſanguinis impendio, vindicata antiquitus Majoribus Noſtris Iura Majeſtatis fuêre, Liberæ Electionis ſuperſtructa Fundamento. Id ab immemorabili æuo antecedaneos Reges recognouiſſe; Id felicis memoriæ Zigiſmundum III. Parentem, ſpeciali Diplomate; id Vladislaum IV. Fratrem, etiam modernum Sereniſſimum Pactis Conuentis cauiſſe: vel explicitè poſita cautella, ut qui viuente Principe Electionem promoueret, pro Perduelli, imò hoſte Patriæ cenſeretur. Hinc confidenter coram Sereniſſimo, Patriæ huius Patre, eiuſdem Matris Filios quærulari, in & contra Status Miniſtros, & ex Officio Legum Cuſtodes, qui non modo viuente, ſed feliciter vincente Principe, jure vetita conſilia Eligendi Succeſſoris agitantes, Rempubl: turbis inuoluerint: eo magis non obſeruatis Solennitatibus, & excluſis Equeſtri Ordini debitis Suffragijs, in ſpecificationem ſubjecti abſolutè ſubſcribentes. Quod cum non ſolum pupillam Libertatis unice tangat, verùm & cum periculo ſecuritatis perſonæ Regiæ practicetur, per Dei & Communis Patriæ Amorem, humiliter depoſcere Exercitum, ut reproducto horum ſubſcriptionum Inſtrumento, autores tam pernicioſi in Rempubl: moliminis condignis pœnis mulctarentur.

RESCRIPTUM.

Notum apprimè S. R. M. quibus Legum cancellis, libera Electio circumſcribatur in Polonia, quas & ipſe ſolennitates Tronum inſcenſurus obſervare debuit, Sereniſsimus. Quod verò præteritis Comitijs in deliberationem propoſita Ordinibus Theſis, utrum expediat præſenti rerum ſtatui, vivente Principe Succeſſorem evitandis Interregni malis eligere? problematicam tantum quæſtionem fuiſſe? & ex qua nihil Iuribus ac Liberæ Electioni derogatum eſt; propoſita tantum Materia non concluſa, ſubſecuto jure vetandi, & intermiſſo negotio ob paucorum diſſenſum; hinc integram manere, ex nullis præmiſsis, illæſi Iuris Electivi conſequentiam. Vt vero ea Propoſitio in præteritis Regni Comitijs penitus repudiata; ſic in præſentibus non reaſſumitur, niſi in ſenſu negativo: mox per novellam de

Libera

1662. Libera Electione Constitutionem obliteranda. Designationem subjecti quod attinet, & initos cum ambientibus Externis Tractatus, id pro circumforaneis rumoribus habendum: melius persuaso Exercitu de paterna S. R. M. solicitudine, cui nihil bono Patriæ potius sit, & hunc affectum ingentibus sanè argumentis comprobante.

PVNCTVM III. *Enormis Ecclesiæ Dei injuria afficit Exercitum, ob spoliata Sanctuaria, per subtractionem Argenti, in usum & decorem Altarium Domus Dei à fidelibus donati, inaudito ante hac exemplo & nunc dolendo scandalo facta. Cum interea sparsus rumor in vulgus emanet, Sacratas Deo Opes in Stipendia Militi cessisse, etsi Exercitus ne unum quidem argenti frustulum in rem suam expendi viderit. Proin per Diœceses, eius rapinæ valore & quantitate computatis, Sacrilegos prædones in ius vocandos, ac surrepta Templis decora reddi, juxta Constitutionem 1659. æquissimum fuerit.*

RESCRIPTUM. Haud indigna laude pietas Exercitus, pro injuria Ecclesiæ agentis, ac in quem usum conversæ Templorum Opes solicite vestigantis. Factum id quidem in summa Reipubl: angustia, cum scitu & dispensatione Summi Pontificis; quantùm vero & in quem usum acceptũ, publicis tabulis expositum est, specificatis tam Perceptorum quam Expensorum rationibus. Constitutione Anni 1659. Etiam in præsentibus Comitijs Calculum qui dispensabant facturos, ac in proxima Commissione Leopoli Calculationem liquidaturos.

PVNCTVM IV. *Res oculis subjecta, continuis Populum exhauriri Contributionibus, quæ ne tertia quidem parte Militi in stipendium cedunt; sed rapaci Euripo aliquo absorbentur. His maxime de causis. Quod Potentiores & amplioris Fortunæ Ciues non contribuant. Quod præcipua in Prouincijs capita, ubi se Publicis Pecunijs dispensandis ingesserint, contra Legem Nuncios se facientes, Rationes Ærarij conturbant. Fiscus autem seu Thesaurus Regni, his fautoribus declinat realem stipendiorũ exolutionem, friuolis assignationibus illudens Cohortium Deputatis & interuentu talium de Generali Quietatione sibi prouidens. Sic in Comitijs Anni 1649. irrepsit in volumen legum Quietatio Danielouicij Thesaurarij Regni, pridem demortui. Similis Leßczinio Vicecancellario data, qua non obstante submiserat se Reipubl: ad cuiusuis instantiam iterum expediendi Calculi onus subixe. Ditari interim & nimisquam in crassas opes euehi sorices Fisci, cum interim splene hoc tumente, totum Corpus Reip. marcescat. Modernus quin etiam D. Thesaurarius redderet generalem administrationis Ærarij rationem, ac summas repertas in parato ex nunc Exercitui exolueret; Retentas quod non forti vindicauerit Executione de proprio exhiberet reponendas. Similiter in alios Fisci Procuratores sevio animaduerteretur, qui modo extorsiuo Cohortes circa stipendiorũ solutionem depactassent, & pœna Exemplari punirentur.* In

1662. In rationibus Ærarij excipiendis, procedere Rempubl: juxta Ordinationem Legum eo nomine latarum; sub initium Comitiorũ Deputatis, ex utroq; Ordine, ad ineundum eum Administris Ærarij Calculum. Quod si satisfecerint, ex administrato Officio quietari à Republ:; ad quam ut contribuendi necessitas, sic dispensandi pertineat potestas. Et sic disponente lege factum. Iam verò ratiocinia anteriorum Thesaurariorum iterari, plane impossibile: cum & ipsi vita functi sint, & successores Fide Publica freti, Tabulas seu Regestra Thesauri, haud perinde ad iterandum Calculum comportare valeant. Comitiorum interim autoritatem in dubium vocandam, si dicta pro non dictis, & acta pro non actis reputarentur. Quo ad Assignationes cassas, pro persolutis circa Calculum à Fisco susceptas, & hucusq; in retentis existentes; intentarentur Notarijs Fisci Actiones, qui eo nomine adcitati, in futura Commissione judicabuntur. RESCRIPTUM.

PVNCTVM V. *Perjuria ex Præcepto Diuino & humana Lege vetita, adeo jam pro veniali delicto haberi, ut Boratinius solidariæ Monetæ conflator, ex vi Contractus cum Republ: initi, Duos Milliones tantùm Solidorum cudere permissus, jam ultra quintum Millionem procuderet, majori in Regnum hoc damno & injuria, quam tot Hostes violentis armis intulissent. Proin tam ipse ob depauperatam Rempubl:, & omni meliori metallo exhaustam, quam qui rei Monetariæ cum illo Præfecti non attendebant tantæ jacturæ, aut damnosi lucri participes existiterunt, in ius vocarentur.*

RESCRIPTUM. Damnata Legibus perjuria, ne Boratinio quidem impunè essent, si ad accusandum Delator comparens, evidentibus documentis Reum Prævaricationis convinceret. Illi vero quibus commiserat R. P. rei Numerariæ Ordinationem, in futuris Comitijs exactam reddent rationem, cur non majori lucro & obventu solidariam Officinam elocassent.

PVNCTVM VI. *Euidens inclytæ Gentis opprobrium est; Peregrinos Aduenasq;, nec ullo Natalium, aut virtutis, Actu probatos, in Legationibus ad Exteros Principes expediri. Quod cum apertè contra Legem fiat, ac Gentis Polonæ reputationem afficiat summoperè, incusari Ministrorum Status apertam Legibus contrauentionem, qui exclusis Patricijs, ad obeundas Legationes Externos intruderent, per quos & Legationum dignitas minuatur, & arcana Status nostri alienigenis patescant.*

RESCRIPTUM. In obeundis Legationibus, non qualitatem tantùm ac prærogativam Generis, sed eo magis obeuntis subjecti habilitatem, ac rerum peritiam spectandam. Hinc æstimari Legatos, & mittentis Principis augeri dignitatem. Quominus vero ad eas functiones Patriotæ

1662. triotæ deſtinarentur, reaſſumpta in præſens veteri Lege, facilè præcaveri poſſe.

PVNCTVM VII. *Periclitatur euidenter ſalus Reipubl: ubi limitaneæ Arces & Fortalitia, in manibus & diſpoſitione ſequioris ſexus exiſtunt. Proin eiuſmodi Caſtra, ut extincto Aduitalitiorum beneficio, Viris in arte Militari probatis traderentur, rationi conſentaneum eſſe.*

RESCRIPTUM. Ex Lege competit Cætui Nuntiorum Terreſtrium, inchoatis Comitijs exigere vacantium Beneficiorum rationes; non modo quæ vitâ functis poſſeſſoribus vacarent, verùm etiam quæ contra Legem de Incompatibilibus tenerentur. Paratus ergo Seren: Rex ubi à Circulo Equeſtri requiſitus fuerit, limitaneos Capitaneatus juri fœmineo ſubductos, exnunc bene meritis Viris tradere, & in poſt ne tradantur Lege lata occurrere.

PVNCTVM VIII. *Ad eandem ſecuritatem Regni pertinet, majoris nominis Arces comitti probatæ fidei Viris: hinc dolenter ferre Exercitum curam Fortalitiorum Pruſſiæ Chriſtophoro Korycki demandatam, qui adhuc dum ſpiraret imbutum exotico factu genium. Reuocato proin eo, uti ſubſtitueretur ex Conſenſu Ordinum alius, quem intacta fides, ſimul habita in Regno poſſeſſio idoneum monſtraret.*

RESCRIPTUM. Non in Gubernatoris Pruſsiæ Officium, ſed ſimpliciter in Præfectum Elbingæ Vrbis ſub Commendantis nomine inſtitutus eſt Chriſtophorus Korycki, Vexillifer Kiiovienſis. Vir præter commendationem Generalis Exercituum Ducis, ſemper in opere Martio expertæ dexteritatis, idemq; ad Nutum & arbitrium ſuæ Mttis: inde amovibilis. Quodq; is adhæſerit Suecis, nihil obſtare, cum plures præter Korycium iniqua Sors tranſverſos egerit, quos omnes generalis Amneſtia ad æqualitatem Iuris & Libertatis reſtituerit.

PVNCTVM IX. *Veteres ac Nouellæ Leges exactè circumſcribunt, ut dignitatis gradum, ſic metas Officij Cancellariorum utriuſq; Gentis. Fidei eorum commiſſa Legum Publicarum cuſtodia; cum tamen illi euidentèr contra Leges excedant, jam plura ſuper uno beneficio extradendo Priuilegia, jam concluſis Comitijs approbatas conſenſu Ordinum Conſtitutiones immutando. Inſuper præter alios errores, nouiter contra fidem Iuratam de Electione Regnaturi tractare auſi; idq; ſecreta praxi in Nominationem Subjecti ſubſcriptiones extorquendo. Proin pro qualitate facti ex præſcripto Legum coercendos.*

RESCRIPTUM. Cum Diademate Regio, ſimul collata eſt lanx Iuſtitiæ diſtributivæ Sereniſsimo: æquo omnium officiorum ac dignitatum diſpenſatori, & quid cuiq; conferat, habilitatem concurrentium intimiùs & ſagacitèr penetranti. Iniq̃ue proin utriuſq; Gentis Sigillorum Præſidibus inuri notam, velut neglecti Officij & remiſſæ vigilantiæ in Cu-

1662. in cuſtodia Legum. Quod ſuper uno beneficio bina emanarent Privilegia, Competitorum, aut Scribarum errorem eſſe, ſed facile corrigibilem, ut poſterius obtinens, Antidatæ cederet.

PVNCTVM X. *Proximam Regiæ poteſtati Ducum Exercitus prærogatiuam & Officium, ad vitæ extrema tempora conceſſam; multum Reipubl: expediret ad determinatum temporis ſpatium reſtringere. Hinc committit Exercitus, eam quæſtionem maturiori Ordinum Reg: Iudicio, utrum functionem eam aduitalem, an temporaneam eſſe expediret?*

RESCRIPTUM. Omnem Novitatem nocivam eſſe quotidiana demonſtrat experientia, eo magis laudabilia Majorum inſtituta, haud convellenda recentibus inventis ratio oſtendit. Etiam nunc ad practicatam antiquitus Methodum recurrendum, Ducum Exercitus functionem non niſi morte Poſſeſſoris deponibilem conſervando.

PVNCTVM XI. *Factum noxium, ut Exercitus promiſſâ Leopolim pecuniarum comportatione, Deputates è Cohortibus mittens, turpiter eluſus, pro aliqua conſolatione non niſi opprobrium & jacturum ſumptus receperit; vix aliqua pecuniarum parte Leopolim conuecta, eaq; inter manus diſtribuentium euaneſcente. Miles interea ex bello redux & egens, dum comparandis neceſſarijs, imo refouendis vulneribus ne obulus ſuppeditatur, ad extrema verti coactus eſt; ut vel inito Nexu tam grauibus injurijs occurreret.*

RESCRIPTUM. Tardior conuectio Hybernorum Leopolim, Palatinatibus oſcitantèr contribuentibus, non Vniverſalibus è Cancellaria emanatis Literis adſcribenda eſt. Quod in his apponeretur Salvis Abjuratis, ex præſcripto Legis & æquitatis factum, cum quæ non exiſtunt bona, ab onere Contribuendi immunia eſſe debeant.

PVNCTVM XII. *Externæ Militiæ numerum, ne Natiui Militis quantitatem ſuperet, Legibus deſcriptum. Id contra euenire liquet, cum Magnates & potiores Aulæ Miniſtri, ſe in autorandas Germanicum ad morem Legiones intrudant, tam Seruitium Militare obtentu Aulæ, quam Miniſteria Principis prætextu Militiæ declinantes. Ab his infami mercimonio vendi emiq; Legiones, quæ abominabilis licitatio omnino tollenda: addictis Fiſco eiuſmodi Mangonum bonis, Militia interim Haſtatorum obliterata, per quam nomen & integritas Reipubl: ſtetit, ad priſtinum uſum reuocaretur.*

RESCRIPTUM. Nihil potius in votis S. R. M. regulata diſpoſitione Exercituum, tam Polonici quam Germanici moris, ſi modo utraq; Militia exuto obſequio ad veterem normam & Ordinem in præſens reduci poſſet. Daturum tamen operam Seren: Regem, ut nemo in utriuſq; Militiæ ſervitium, lucri gratia ſe ingerens, capax ſit autoramenti, & per conſequens ſtipendij. Militiam Haſtatorum in pace de-

1662. cus, in bello præſidium, liquidò conſtat; paratumq; Principem id armorum genus ſi præſto ſunt qui tractare velint, ſpeciali reſpectu reſumendum procurare.

PVNCTVM XIII. *Tykocini (etſi non in immeritum Ciuem) Iure hæreditario collati, indiſcreta tamen videtur Donatio, quæ in plures diuiſa multorum in Rempubl: merita repræmiaſſet. Verendum proin ne tam profuſis largitionibus bona Reipubl: exhauſta, alendo poſthac Militi ſufficere valeant.*

RESCRIPTUM. Viros Militia inſignes, ex condigno præmiari, uti factum in perſona Palatini Ruſsiæ Czarnecij, ex collata Tykocinenſi ditione, non omninò ingratum (ſepoſita invidia) deberet eſſe Exercitui; dum Ducis ſui veterani eò provectam virtutem videt, & præmio decoratam; Eniterentur & alij ad eum meritorum gradum, parato ſemper & facili Principe præmiandis benemeritis, & ſuffecturo in recompenſam virtutum Reipubl: Patrimonio.

PVNCTVM XIV. *More Militari receptum eſt, Hoſtes bello captos reddi Ducibus; à quibus poſt S. R. M. exhiberentur. etiam Inſignia bellica & omnem armamentarij congeriem, ad Principem deferri oportere. Secus nunc eripi Commilitonibus à Præfectis Legionum Captiuos, poſthàc grandi Lytro venales; Inſignia & aliam ex hoſte prædam in priuatas domos recondi, Majores Machinas, non Reipubl: quæ tanto impendio rem Armamentariam prouideret, ſed cedere Priuatis.*

RESCRIPTUM. Ex devictis Hoſtibus ſpolia ac Captivos, non de toto exhiberi; Sac: Reg: Majeſtas gratè præcuſtoditionem accipit. Serio Duces monitura, ut quid quid bello captum, integra fide poſthac redderetur Reipublicæ.

PVNCTVM XV. *Vitæ ac profuſi ſanguinis impendio emerita Stipendia, & diuturna in eam diem expectatione, retenta; tandem aliquando exoluenda repoſcit Exercitus. Dilatos aſſes recipiendi ſpem, in ſola benignitate ſuæ Mttis: reponens, quem ut debiti ſui vindicem, ſic & prætenſionum ludicem humillime præcatur. Vtq; caſſas Aſſignationes quibus eluſi Cohortium Deputati Fiſcus reciperet exequendas, Militi interim parata pecunia ſatisfieret, poſtulat enixiſſimè.*

RESCRIPTUM. Eo ſolo motivo præſentia Comitia Ordinibus indicta eſſe, quatenus initis cum Theſauro Regni de quantitate debiti rationibus, ad modos & genera Contribuendi cum univerſa Republ: deſcenderetur, ut hinc adæquata & reali ſtipendiorum exolutione, benemeritus debitum ſuum recipiat Exercitus.

PVNCTVM XVI. *Priuatorum in præteritis Comitijs liquidata Debita, in præſentibus ad ſoluendum aſſecurata, ut ad feliciora Reipubl: tempora Creditores expectarent, poſtulare Exercitum. Conuerſis interea in ſatisfactionem Militarem Publicis Contributionibus.*

Fir-

Firmare Creditoribus Fidem, quâ res tum Publicæ ſtant tum privatæ, omnino expedit Reipubl: præſertim cum non ex Contributionibus Populi, ſed ex auctione Vectigalium exolvi poſsint, nullamque adferant ſtipendijs Militaribus præpeditionem. 1662. RESCRIPTUM.

PVNCTVM XVII. *Aduertere Exercitum, in rationibus Theſauri, pro Conciliando Exercitu, alias (ná Vięćie Woyská) ſummas prægrandes poni. Quod exoſum ſibi & Reipubl: nociuum vocabulum, ut Adminiſtri Ærarij explicare velint, nimis quam cupere: ſimul reuelarent quis iſte improuidus Conciliator tantisper exiſteret.*

RESCRIPTUM. Attentiſsimè circa Calculum Ærarij, à Republ: veſtigatum eſt, an ſummæ aliquæ notabiles in conciliandas perſonas Militares erogatæ fuerint. Quod ubi ex præmiſſa Inquiſitione haud liquet, neq; Fiſcus quidquam pro eiusmodi largitionibus in tabulis Expenſorum ponat, pro apocrypha relatione habendum.

PVNCTVM XVIII. *Vt Viri Militares è Pane benemeritorum participarent, nihil æquius eſſe; hinc petere Exercitum, ut alternantibus vicibus, uno anno Togati Ciues, altero Milites, in Conferendis Vacantibus gaudere, ex munificentia Sereniſſimi poſſint.*

RESCRIPTUM, Recognoſcit S. R. M. diſtributionem in emeritos præmiorum ad ſe pertinere; & in eum diem huc ſe omni ſtudio collimaſſe, quominus condigna virtuti præmia exhiberentur: ſi modo voluntatem Principis, facultas benefaciendi exæquaret. Vt tamen æquiſsimo poſtulato ſatisfiat, quatuor Menſes in anno deſignari, quibus quidquid bonorum Reipubl: extincto Fatis Iure Poſſeſſorum, ad diſpoſitionem ſuæ Mttis: devenerit, omne id Viris Militia claris tribuendum.

PVNCTVM XIX. *Non abs re foret, ut ad latus Sereniſſimi è totius Exercitus corpore, Veterani aliqui reſiderent continuò, præcipuè ad Conſilia bellica, aliaq; Exercitum concernentia negotia adhibendi.*

RESCRIPTUM. Militiam Regni ex Concivibus lectam, unum Corpus Reipub: efficere; fruſtra ad quartum Ordinem reducendam. Sine hac Reſidentium in Aula manſione, patere facilem aditum unicuique Militarium ad Principem. Ergo moribus antiquis ſtandum, penes [illegible]natum Conſiliorum vim, penes Militem gloriam obſequij manere.

PVNCTVM XX. *Antiqua Exercitus inſtituta ſi immutantur, perturbationem Ordinis ac Caſtrenſis diſciplinæ laxamentum conſequi neceſſariò. Quod verò ſub digreſſum è Caſtris, inſtituendorum Circulorum Generalium adempta facultas Militi foret, ad oppreſſionem pertinere. Nomen verò & prærogatiuam Commilitonis ſeu* Towárzyſz *tollendam minari, prope contumeliam eſſe.*

1662. RESCRIPTUM.

Vſum Circuli Militaris, circa abitum in Stativa Legionum, ex veteri more inſtitutum, ſemper, etiam nunc uſurpatum liquet, cum & præteritis Comitijs Delegati ſeu Nuncij Exercitus, hìc Varſaviæ, coram ſua Mtte: comparuerint. Nomen Commilitonis in integro manſurum S. M. ſpondet, cui in votis præcipuum, ut Moribus antiquis ſtet res Polona, Viriſq;.

PVNCTVM XXI.

Hoſpitalia emeritorum Militum, cura & munificentia Regum fundata, nunc neglecta, & majori parte ſuppreſſa, per Inſtigatorem Regni vindicarentur.

RESCRIPTUM.

Imò verò ſuppreſſoribus Hoſpitalium ſpecificatis, ad competens Forum inſtituendam actionem eſſe, parato ex Lege Inſtigatore Reg: adverſum tales juridicè experiri.

PVNCTVM XXII.

Ex ſingulari Sac: Reginalis Majeſtatis liberalitate, collatam Exercitui eſſe Summæ Centum viginti Millium largitionem. Quod verbo Regio promiſſum Donatiuum, ut in reali & parata pecunia repræſentetur, haud dubitare.

RESCRIPTUM.

Promiſſum Sac: Reginalis Majeſtatis protunc erat, indigentiæ Exercitus ſubvenire volentis, apud Gedanenſes contracto debito, in vim Stipendiorum mutuo ſuccurrere. Factum per incommoda belli, ut nec mutuari pecuniæ, nec Sereniſsima liberalitatem ſuam Militi monſtrare poſſet. Nullam proin hinc Exercitui jacturam, quia ad rationem nihil datum, ex integro Stipendia recipienti. Nec omiſerant urgere Summas à Pontifice Max: in uſum belli ad Regẽ tranſmiſſas. Dato reſponſo, eam Sanctæ Sedis munificentiam, uſibus belli jam applicatam, in arbitrio Sereniſsimi poſita donarij diſpoſitione, ac ab eodem in impendia Armamentarij converſam. &c.

CONCLVSIO

Quæ Poſtulata Exercitus, ad perpendiculum rationis & æquitatis probe expenſa, Sereniſ: Rex ex innata Clementia, & hac qua fertur in Viros ſtrenuos inclinatione, Regio animo ſuſcipit, ac adimplenda ex Conſenſu Ordinum Regni promittit. Sperans non ingratum Militi fore, dum in favorem ſui, ſcriptas ac promulgatas Leges in volumine Conſtitutionum legere contigerit. Cui gratiam ſuam Regiam, tam univerſìm ſingulis, quàm ſingilatìm Vniverſis paternè offerrat. Datum Varſaviæ poſt Comitia Generalia Extraordinaria die Nona Menſis Maij. Anno 1662. Ex Cancellaria Majori.

Eâ claudebatur operoſum Reſcriptum coronide, cum & Principe impunè læſo nihil glorioſius, & Turbæ tumultuantis fervor, utilius quidem ſeveritate, ſed faciliùs componatur Clementiâ. Mihi certè Majoris tantum momenti Poſtulata Militaria interſerere viſum, minus pertinentibus omiſsis; ac velut Pictores ſolent ad umbram

1662.

bram faciendam appoſitis; ut ſcribenti laborem, ſic Lectori faſtidium minuendo.

Lithuanici Exercitûs Legatio.

Serius Lithuanici comparebant, die vij. Martij in Publico Senatus confeſſus Legationẽ exponentes, Conſtantino Kotowski Loricatæ Cohortis Regiæ Subpræfecto, ac Nicolao Drozdowicz Haſtatorum Signifero, in functionem eam vocatis. Conformia cum noſtris (in ante communicatis conſilijs) adferebant, niſi quod aliquot Captivos Moſchos, ac Triginta Vexilla hoſtium, rapta ad Wyſokie, manubias reddebant Lithuani; in jactationem meriti, ac velut exprobrantes, proſequi bella poſſe Militem ſine Ducibus, non poſſe ſine Milite Duces.

Sic pertentato in prætenſionibus Exercituûm vado, mox fatalem illum tranquilitatis publicæ ſcopulum lege lata tollere neceſſum erat; (ELECTIONEM inquam) donec Regnans viveret abrogandam. De qua anteriore Climactere obitèr memorata, nunc paulò altiùs repeto.

ELECTIO pndeemerſerit.

Virtutem in vitium degenerare, ac res ex natura ſua plerumq; bonas, pravo uſu aut imperitia tractantis corrumpi, experientia monſtrat. Ioanne Caſimiro Rege noſtro Liberis Orbo, nec amplius prolis per ætatem capace; non aliud reducendis in tranquillum Poloniæ rebus alexipharmacum credebatur, niſi Succeſſorem in Regimine ſe vivente haberet, quem ſibi modo naturali Fata negaverãt. In id conſilij Rex ſe dabat, ſincera intentione, conſultum iri volens Patriæ, in qua natus, & regnaſſet; quæ non aliter Interregnorum incommoda, ac æſtuantes Competitorum ambitus, niſi deſignatione Regnaturi, evadere poſſet. Cautum volebat ille ſuffragiorum Libertati, ac ſpontaneæ quicunq; placuerit Gentibus Succeſſoris Electioni, dum modo ſibi quo ad viveret, Iura Majeſtatis ſalva manerent, ac ut ad extrema vitæ, titulo & actu Rex Poloniæ haberetur, Nec me herculè damnanda Propoſitio videbatur, ſuperficietenus plauſibilis, & vel ſola integritate benevolentis Principis commendata. Aſt progreſſum & effectum negotij, præcocium ſubjectorum corrupit vehementia, vel ut apertius loquar, omnis boni Conſilij venenum aſſentatio; dum eum Cardinalem Actum, non ex Canone Patriarum legum, ſed abſolute & properantèr ex placitò deſignantis Aulæ exoedire intendit. Ad Promnikum olim curſorijs equis, pro expoſito diademate certatum, antiqua refert traditio: ac abeo, qui non ſat fideret Quadrupedis ſui pernicitati, inſtratum ferreis muricibus ſtadium fuit, ut inoffenſa ſemita decurrens ipſe, prior ad Columnam bravij compos evaderet. Iam nunc ex Apologo Hiſtoriam factam. Vbi inuoluitur multa ſubtilitate Electivi Campi apricum;

Ex bono ſemine corrupta ſeges.

1662. apricum; ſuffragiorum Libertas præpropera Nominatione tollitur; Gradus Electionis Lege deſcripti præcipitantia ſupprimuntur; & qui Vniverſarũ Gentium in unum Corpus Regni coalitarum voce, Regnaturus eligi debuit, unius perſonæ placito in Tronum ſubſtitueretur. Nec fateri pudet, dum graviſsimorum bellorum turbine involuimur, circumlatas undiq; ſpes Regni noſtri in oſtentationem, ac velut offam ambientibus Vicinis objectam, quominus illicio hoc, ut quiſq; appetens & validior, eo efficacius laborantibus ſuccurreret. Hac offa ſolicitatus pro auxilijs Moſcus, tentatus trahi in partes Tranſylvanus, etiam Domui Auſtriacæ quo magis ſuppetitias bello Suetico ferret, improlis Caſimiri orbitas demonſtrata. Dum hi cunctantur, aut ſegni ambitu rogari expectant, inventus domi Competitor, qui avidius hamum voraret.

Inconſultæ Diadematis oſtentatio.

Erat Ludovicæ Reginæ Anna Soror, Carolo Gonzaga Niverniæ & Catharinæ Lotaringæ Mayennij Ducibus prognata Filia, quæ Fatis functo Parente, enupſerat Philippo Eduardo Comiti Palatino, ſtirpis clariſsimæ Principi; niſi Fortunam Domus præpoſterus olim Regni Bohemici ambitus, in Patre Friderico Palatino Rheni aliquantùm depreſſiſſet. Huic Conjugum pari, aderat Matrimonij fructus, præclara trium Filiarum ſoboles, in ſpem ſummæ fortunæ per futura Matrimonia adipiſcendæ, ſuccreſcens. Iam major in Germania Duci Solmenſi enupta, regulam vitæ connubialis injerat; ad Annam alteram natu, Ludovica Regina oculos & affectum adjecit, quæ licet annis nondum nubilibus, hùc deſideria Amitæ traxerat, quominus Regnaturi poſt ſe in Polonia, Talamo & Trono conſors jungeretur. Sic in Neptim ductu Sanguinis animata Ludovica, mox de aſciſcendo Genero deliberavit; nullo dubio aut cunctatione quin is ex Contribulibus Gallis adoptandus foret. Id quippè perhonorificum genti Nobiliſsimæ, ſub extremos Septemtrionis receſſus Colonias Gallicas deducturæ; opportunum Chriſtianiſsimo Regi, ea parte Orbis transplantatis Lilijs, haud perfunctorium in æmulos ſubſidium, nec inutiles amicitias parari: non indecorum Polonis ab ea ſtirpe regi & moderari, quæ bellica gloria ab ævo inclita, quot Regna Orbis, tot oſtendat monumenta virtutis, ac dum pro Primogenita Eccleſiæ audit, nobile exhibeat trophæum pietatis. His curis intra animum ſeriò admiſsis, Ludovica Regina, robuſtas illas vaſti ingenij Vires, ad amolienda ſi quæ ſe darent obſtacula, impendit; quæ altiſsima mentis indagine, tam intra Regnum, quam deforis emergenda prævidebat. In ea præſertim æmularum Domuũm Auſtriacæ ac Gallicæ, pro Vniverſali Orbis Monarchia contentione; aut quod ſatius crediderim, fatali aliqua inter hos Principes antipathiâ.

Procos irritat.

præ alijs Ludouicã Reg. pro Nepte.

Quæ ſe viriliter eas ad cuſas accingit.

pathiâ. Quæ interim cum Exteris promovendo negotio agitata, infra patebunt: nunc quæ ad conciliandos Polonorum animos, ac paranda intra Regnum ſuffragia, adhibita machina ſubjungo. Tracto in ſententiam Rege, mox Proceribus non quicquam melius utiliuſvè exhiberi perſuaſum, quam ſi Succeſſor Regnanti non in incerto foret: hinc vinciendis in firmiorem conſenſum animis, Nexum aliquem complicare placuit, quo illigati cum Majeſtate Primores, non ſtatim nec facilè à ſemel concluſis reſilirent. Et Rex Caſimirus in arbitrio Conjugis poſitus; idem Conſilia ſuggerentibus, ſi plures & placita loquuntur, ad alienum ductum facilis; Regina munificentiæ Regiæ torrentes, in plures ut obſtringeret derivans, devinciebat ut quemq; promovendo negotio capacem; effeceratq; ut Senatorum plures, prudentiæ Reginalis opinione, ac magnorum Conſiliorum praxi imbutæ, fidentes: non male agi exiſtimarent. Deniq; Miniſtri, ac qui in intima admiſsione Placentini omnes; & deformi obſequio gratiæ Aulicæ obſtetricantes: reliqui Terentiani mures, fruges tantùm conſumere nati, ad oblata creſcendi vel habendi illicia, unde ſpes maior eſſet, illuc & animos vertebant; ineſcati favore, ſuaſu, largitionibus. Venceslaus Leſzczynski præmortuo Andreæ Leſzczynski Fratri Patrueli, in Archiepiſcopatu Gneznenſi ſucceſſor, & ſi primo ad ea conſilia hæſitans, mox tamen in partes inclinare oſtendit; quod pro deducenda olim è Gallijs Ludovica, Proxeneta & Legationis Princeps, etiam nunc ſatagente illa, Tyaram Primitialem obtinuiſſet. Huic adſtipulabantur plures è ſacro Ordine, vel recenter aucti beneficijs Aulæ, ac vitantes ingratitudine notari; vel quod temporali generatione carentes, minùs tangat cura ſucceſſoris & Libertatis. Eminebant in Senatu Sæculari autoritate & prudentia Georgius Lubomirski Supremus Regni Mareſchallus, idemque Campeſtris Exercituum Dux: tum Ioannes Leſzczynski nuper depoſito Palatinatu Poznanienſi Regni Procancellarius; in quos cæteri dum oculos animoſque vertunt, in placita Aulæ conſilia manibus pedibuſque ſe dabant, vel quod omnino id è Republ: fore exiſtimarent; vel in ſpeciem Theſim approbantes, cui oppugnandæ, impares ad Antitheſim ſe agnoſcerent. Ex his Procancellarius naturâ & praxi cunctatior, ita ſe admovebat igni, uti non algeret, nec adureretur. Mareſchallus verò apertior ingenij, & quæ vellet nolletuè abdere ſenſus indocilis, ubi cognoſcit Patrij moris ordinem in progreſſu confundi, ac multùm præjudicari Libero Statui præcipitantia, in receſſum ſe mox dederat. Vnde poſt Clariſsimo Viro dum reprobat quæ ante ſtudioſè promoviſſet, Aulicæ gratiæ ſcopulus ex-

1662. *In id conſilij Rex Caſim. trahitur.*

etiam è ſe. natu pleriquè.

1662. lus extitit, & ruinæ occasio. Quod ut prævisum Aulæ, sane metuenti ne abscessu plurium partes nudarentur, ac velut aquis destituta Navis in vado obhæresceret, addiderat inter conscios Iurisjurandi vinculum, complicato Nexu, quovè is adversus Tertij Ordinis quærellas excusabilior foret, Nomine & autoritate Regia se protectos Conscij volebant, confecto eiusmodi cujus supra memini programmate.

Nexus Aulæ pro Electione.

IOANNES CASIMIRVS
Dei Gratia Rex Pol: Mag: Dux Lithu: &c. &c.

VNiuersis & singulis innotescimus. Quia nos moti respectu Orbitatis nostræ, quando quidem superesse Nobis prolem, quam Reip: commendare possemus Numen noluit; & considerantes, solita Rerump: sub Interregnis pericula; Volentes insuper post Fata nostra euidēs relinquere Charitatis in hanc Rempubl: documentum, eamq; non modo Stante vita nostra, à noxijs Competitorum ac Ius aliquod prætendentium Factionibus; verùm etiam post obitum quoq; à periculosa tutari Orbitate, non modo consentimus, sed requirimus Motoresq; sumus, ut D. D. Consiliarij & Officiales nostri, utriusq; Gentis; exnunc nobis adhuc viuentibus de eligendo & designando Successore, qui post Fata nostra Tronū inscendat, & de acceleratione solennis Electionis seriò Consilium capiant, & Equestrem Ordinem ad eosdem cogitatus disponant, ac pertrahant, ad quod perficiendū omnimodā eis damus facultatem. Promittendo prædictis D. D. Consiliarijs nostris, Magistratibus, ac Ordini Equestri, quod in quemcunq; Candidatorum Vota conferent, in eundem Nos Consensum præstabimus, & exnunc scripto præsenti præstamus; illiusq; Partes in Rep: & contra quemcunq; tuebimur, & multò magis, nunquam ad ullos Tractatus cum quopiam prætendente alio, de Successione descendemus: nec spes cuiusquam in assequendo Sceptro, præter eum, qui fuerit modo quo supra designatus, directe vel indirectè promouebimus; nec obicem ullum Conclusis & Consultatis, circa designationem Successoris post Fata nostra Regnaturi, ponemus. Confidimus reciprocè in D. D. Consiliarijs, Officialibus, & tota Republ: quod etiam post Electum Successorē, integram Subjectionem illibatamq; Fidem nobis, ad obitum usq; præstabunt: prout id nobis verbo Nobili & seorsiuo Scripto sub nullitate supradictorum cauerunt. In quo eodem Scripto, quando quidem nullæ Conditiones designandi Successoris motu nostro sunt appositæ, ita per eadem non restringimus plenariam quam D. D. Consiliarijs & Officialibus nostris damus potestatem, quin omnia alia requisita Candidatorum, ex usu & bono Reipubl: & ratione temporis dispiciant, & examinent. Vigoreq; ipsorum Successorem designent; dummodo etiam illa requisita in scripto

scripto prædicto specificata, inter cætera comprehendantur. Quia vero 1662.
SER: REGINA Conjunx nostra Charissima, intuitu curarum & amoris sui, meruit semper à nobis amorem, à Republ: gratitudinem, ut potè quæ omnes spes suas in Republ: defixit; debebit habere circa hunc Electionis Actum proprium INTERESSE. & idcirco Ser: Reginam ad eadem Consilia admittimus, & volumus, ut de futuro Successore conferat cum Senatu & Republ:, suumq; recommendet INTERESSE. In quorum omnium Majorem fidem & certitudinem, scriptum præsens manu propria subscriptum, Sigillo nostro muniri jussimus. Datum Varsauiæ die 11. *Mensis Augusti Anno* 1659. *Sub Sigillo Annulari.*

Hac Ægide Regij Nominis tecta (quod apud Polonos sanctum ac uenerabile est) validè insurgebat Electio, adversus Popularium murmura, explicatis in programmate rationibus excusabilis: Nisi (quæ magnorum conatuum sors est) dum initia succedere ostendunt, finis inclinasset: Siquidem Externorum Principum in Aula Residentes, accuratè vestigabant Factionem, & postquam subodorati quid rei secreto tractaretur, obnuntiatis Principalibus suis, in obsistendum propositæ Materiæ solicitè intendebant. Idq; præcipuè perplexis involuit Aulam ambagibus, ut alij maturandum negotium judicantes, ad nominationem Subjecti festinabundi descenderent; vel præveniendis qui contraire deforis possent, vel cupiditati Regni quæ alijs affectibus flagrantior est, morem gerentes: alij avitæ Libertatis tenaces, in exclusionem tertij Ordinis, id est Status Equestris haud se rapi permitterent. Sed nihil captiosiùs Subjecti specificatione, dum pluribus haud indignis recensitis in Tabula Competitoribus, exigebant quasi vero eas à Regnaturo Conditiones, quibus circumscripti alij excluderentur omnes; solus in quem Aulæ intenderent studia, velut digito monstraretur. Primum requisitum erat, ut Catholicus esset; ut Casimiro bene junior annis; neu implicatus æmularum Domuûm protectione; non Poloniæ Hostium Amicus aut cliens; Non Piastus; Non Portæ Ottomannicæ Feudatarius; non sua aut Amicorum Principum potentiâ Regno mutuendus; neu Coronatum Caput &c. &c. ac post plures exceptiones, ne uxoratus esset, ex mente Reipubl: Connubio stabiliendus. His præmissis, velut grandi scrutinio anheli, ad Triumviros spem Regni devoluebant, ex selectis Electum unum ad Coronam destinando. Quorum Primus Dux Eboracensis Iacobus, gente Brito, Regis Angliæ frater, Ætatis ac indolis competentia laudatus: cæterum nec ambiens nec prensatus, primo loco ponebatur in speciem. Alter à primo Paris Longævillanus, illustri Comitum Sanpaulinorum

Ablegati Principū, arcanum patefaciūt

Triumviratus Candidatorū.

1662. linorum ſtirpe Gallica oriundus, ad oſtentationem. Tertium ſubjungebant Ludovicum è Borbonia Familia, Regij ſanguinis Principem, Condæi Filium, de Anguienne Ducem. qui ſolus deſtinanti Aulæ in deſiderio poſitus, paribus ſpe ac voto, ſed maximè volentis Reginæ inſtinctu, huc ſe daret; & ſi Patre Condæo aliquantum anxio, nec ignaro aſſequendi in Electivis Regnis Troni, opus arduum eſſe, ſecus quam in Succeſsivis, ubi Natura dat Reges, & in Cunis adoratur Majeſtas. Hinc ultro citroq; commeabant rebus explorandis Internuntij, à Gallia Trabucus, Badulus, Noijeres: ab Aula noſtra Fantonius, ac Stanislaus Woiẽnski Canonicus Cracovienſis, (in Epiſcopatu Camenecenſi poſt vita functus, ingenio perſpicaci admodum, ac moralium virtutum excellentia in paucis) qui officioſa ſalutatione Bruxellis Anguiennium conveniens, dum ſe altius introſpiciendo Competitoris animo immittit, injecta Regni mentione Vir ſagax adverterat, etſi ſuperficie tenùs recuſantem, flagrantiſſimè cupere. Aſt jam ultra privatas miſsiones eo in negotio res proceſſerant, palam ineunte Fædus Gallia cum Suecis, nimis quam infeſtum nobis; in promovendam & aſſerendam Principis ſuæ Nationis in Polonia Electionem. Recipiente Legato Todt, auctoraturos Suecos Gallico ære duodecim Millium Exercitum; quo armato ſuffragio, viam in Tronum Sarmaticum aperirent, à Gallis deſignando, à Polonis nolentibus volentibusve recipiendo Regni Candidato. Id Fædus Fontenebli in Gallia condictum Anno 1661.; Bono Poloniæ ſtetit Pactum ejuſmodi ab Ordinibus Sueciæ haud acceptatum; vel pacis Generalis Olivæ nuper coalitæ reſpectu, vel largiore in promiſsis Gallia, quam in exhibendo opere foret.

Et negotij per Nuntios tractatu,

Imò cum Exteris per pacta initâ.

Quas inter concertationes patuit, quam levibus prudentia humana inſiſtat fulcris, niſi conſilia publica ſtabiliat Deus. Siquidem per eos dies increbuerat rumor (de induſtria an forte non liquet) ſparſus, quo aliquis Gedano nuntiabat, plenum armatis Claſsibus Balthicum Mare, à quibus Pilavienſem Portum in exſcenſum tentari: etiam Dantiſcum propè advolui. Requiſitos qui eſſent? Gallicum ſtemma & idioma præferre, cum aliqui in Apluſtribus Suetica inſignia oſtendant. Advertit incerta relatio multos, ſed maxime Mareſchallum Nexus Swiderſcium, qui confeſtim ad limitem Boruſsiæ locatis in Hyberna Cohortibus, rem penitus fida exploratione dignoſcendam committens, ſimul expedijt Varſaviam verſus tres Legiones, quæ re crepera præſidio conſultantibus forent. Trepidatum quippe hìc etiam inter Primores, & qui rationum momentis flecti nequibant, ſparſa terrentis rumoris famâ, in faciliorem publicarum deliberationum aſſenſum, trahi oſtendebant.

Incerta relatio Com: turbat.

1662. bant. Iam condicta erat à Perſonis Boniſq;, imo & honoribus pendenda Exactio; Capitum Cenſus, haud perperam vocata, (Græcus Nomenclator Epicephalium dixit) ignominioſum ſane apud liberam Gentem, niſi neceſsitas excuſaret contribuendi genus, cuius ipſi Inventores ſanè pudefacti, Charitativi Subſidij nomen indiderê. Cum revera in his Contributionum generibus, Capita fatigari & redimi, nihil opus fuiſſet; ſi modo diſpenſandi Æris publici (qui ſanguis popularium eſt) major cura & parſimonia, cum neceſſario ſumptu & expendendi Rationibus congrueret. Tum demum illa animorum Sciſſura, & cui malorum noſtrorum artificium debemus ELECTIO, tamdiu defenſa aut impugnata ſuccubuit; aboleri per Legem permiſſa. Simul Amneſtia ſeu oblivio tranſactorum Confœderato utriuſq; Gentis Militi conceſſa eſt. Commiſsione ad xvj. Iulij Leopolim indicta, ubi pecuniæ publicæ comportarentur. ac ſubjectis calculo Debitorum & Perceptorum Nominibus, de toto & in ſolidum retenta Stipendia ſolverentur. Plura item conceſſa in ijs Militi, inclinato ad poſtulata Rege, quæ jã in Reſcripto ſuperius inſerto, fuſius explicata ſunt, verbis magnifica, rerum vacua. Inſuper adijciebatur favoris Regij appendix, Par Nocentum, Radziejovius ac Stanisławſcius. Quorum ille apud Suecos Exul; hic Ragotianæ hoſtilitatis aſſecla, ad priſtinum honoris gradum reſtituti ſunt: ut dum veteres Rei abſolvuntur, innocentibus mox in crimen ſubſtitutis, opportunè iraſci vacaret. Reliqua Comitiorum Acta tranſmitto, quæ ſcire volenti in volumine Legum reperiri facile.

Electio per legem tollitur.

Offenderat tunc Ordines, Vrbem propè Publicis Conſilijs vacantem, temeraria armati Militis ſuggreſsio. Tres Equitum Legiones erant, Stanislai Iordan, Severini Lipnicki, ac Stetkievicij, à Mareſchallo Nexus (ubi gliſcit rumor de exſcenſu Suecorum in Pruſsia:) ſubmiſſæ, quæ tertio ab Vrbe Milliari conſiſtentes, publicis itineribus inſeſsis, ut quemq; domum divertere vident, in regreſſum monebant, donec Comitia auſpicatum finem ſortiuntur. Etiam Stanislao Witowski, Sandomirienſi Caſtellano, Viro alioquin in Republ: meritis claro, ac nuper ad Exercitum Legatione functo, militari preceſuaſo, dum cogitur ad retrovertendum. Sic demum Comitia concluſa ſunt, omiſsis quæ definiri nequibant, laudatis quæ in effectum deducere animus non eſſet, conceſsiſq; ad importunam flagitationem pluribus, quæ neq; tunc prudenter negari, & facile poſt retractari poſſent.

Comitia finita.

Haud extra Sphæram facultatis Hiſtoricæ fuerit, Virorum Inſignium obitus, quos præſtantia virtutis, vel meritorum æſtimatio claros fecit, ad poſteritatem faſtis conſignare: imitaturis qui legunt exemplar,

1662. *Mors Sierakovij Abbatis Sanctæ Crucis.*

exemplar, aut saltem tædiosæ lectioni diverticulum. Stanislaus à Bogusławice Sierakowski, Ordinis S. Benedicti, in vetustissimo ad S. Crucem Clavi Montis Cænobio Abbas, altera sacri Pentecosten die, vitam cum morte commutavit. Genus illi in Cuiavienſi Tractu de armis Ogonczyk, veteri & honorata Sierakoviorum stirpe, à Vladislao jv. Iure Patronatus Regij in Præsidem Cænobio commendatus, susceptо demum regulari habitu, à Religiosis Loci in Abbatem canonicè electus fuit. Vbi re ipsa viginti septem annis verum Cænobiarcham egit, Vir solo divino cultui intentus, pacis amans, litium osor, & reditus omnes Abbatiæ in decorem Domus Dei convertens. Observavit exactè primævam Casinenſis Instituti Regulam, austeritate vitæ, ac morum innocentia in eam prolatus sanctitatis opinionem, ut adhuc dum vivus apud potissimum quemq; non fucatæ virtutis lauream ferret. Nihil magis quam à sæculi vanitate verus Ascetra abhorrebat; hinc ab humano consortio abstractus solitudini vacavit, à mundanis curis & passionibus liberior. Noveram ego, & quidem sæpius locum adiens, non sine aliqua vitæ Angelicæ admirabilitate, præsertim accedente publicâ famâ, complures morbidos à Medicis nulla curatione, ab eo miraculosè persanatos: ultima linea respondente anteactæ vitæ periodo, dum rite permunitus Sacramentis, placidè admodum & Christianè ex sæculo migravit. Relictis, non invidiosis in peculio Abbatiali opibus, non pretioso parietum cultu, aut mensarum supellectile, deniq; non evictarum litium monumentis; sed quod magis Religioso competit, repertæ carenulæ ferreæ, ægrè à corpore mortui avulsæ; cruentatæ spinæ; aculeata flagella, edomandæ carni instrumenta: & cum hispido è setis cilicio, paratus demum ad novissima Cucullus.

Finis vitæ anteactæ respondet.

Quo magis mirari libet! ut qui nunc Ascetræ ad alienum arbitrium vivere professi, & ad latebras Claustrales suo voto addicti haud celato terrenorum gustu in lucem se proripiunt; dum pro Abbatijs Cænobiorum, Principi & supremo Patrono litem, vix non bellum movent. Ille conferendorum in Regno suo Beneficiorum, ex Iure Patronatus Collator existit, impugnant isti acriter, & coram Vaticano Tribunali Iuris specie lacessunt? consultiùs facturi si determinationem litis, donec bellum Turcicum finitur, saltem suspenderent. Sed nec brevem patitur prægnans ambitus dilationem. Iura (inquiunt) nostra tuemur? Et unde quæso hæc Iura, nisi ab eo qui Fundavit, dotavit, Erexit? Electio Prælati nostra est? Sit sanè, modo ex commendatione Regia mereatur respectum Persona magis qualificata; quæ quid sceptrum, quid plectrum pernoscat; ac vobiscum consentiat Habitu & Votis, cæterum usui Patriæ accom-

Parergon ex occasione.

1662.

accomodari possit, & Reipubl: Ministerio. Quod infulatos Administratores renuant? non esse Religiosæ modestiæ; cum Status Episcopalis, statu Monachali perfectior sit, & dignior ex altari vivere, qui plus Altari seruit: imò conveniètiùs videtur Pane Ecclesiæ ali, pro Ecclesia & Patria operantes: quam in umbra & abstruso Claustri opima in Israèl, Pluto aut saginæ addici. Hæc ex occasione exemplaris virtutis (cum bona gratia) prolata sunto.

etiam obit Marescha lus Curiæ

Post hunc brevi interstitio mortalitatem explevit, Lucas de Bnin Opalinski, Curiæ Regni Marescha llus, elimati Iudicij, & priscæ integritatis Senator. Ingenium illi excellens, Linguarum exoticarum peritia, rerum politicarum praxis, etiam in literas favor, quibus eximiè excultus ipse, & ad usq; Græcæ Linguæ notitiam eruditus fuerat. In Aula Principis Ministrum egit non servum, assentandi expers, & parandæ Principis gratiæ per honesta tantum expeditus. Vnum piguit, Radziejovium olim Iudicio suo succubuisse, sed facto excusabili, ex iræ Regiæ mox leniendæ promisso, & impatientis Rei festinato ad extrema recursu. Hinc cautior vitavit posthac bonæ mentis scopulos, nullius servilis sententiæ autor, vel promotor, nisi ex præscripto Legis, & commodo publico. Vnde uno gradu dignitatis stetit, ampliora meritus, nec ambiens. cumq; fasces Mareschalcales post secedentem Patruum accepisset, animus erat cum gentilem honorem alicui ex agnatis in Domo Opalinia vicissim tradere, quod præveniente morte non licuit. Post Opalinium Marschalcatus Curiæ ad Ioannem Clementem à Ruscza Branicki translatus est; vel quod jugi ad latus Principis obsequiorum promptitudine meruisset: vel in favorem Soceri Russiæ Palatini, cujus emeritæ virtuti, nihil erat quod à Principe negaretur: quemq; antehac Præfecturâ Sandecensi post mortem Christophori Lubomirski Pincernæ Regni vacante, Rex extulerat.

Cui in Officio Successor Branicki.

Commissio Leopol.

Operosa Comitia, non minus ardua Commissio excepit Leopoli; imò magis intricatior actu priore, quo facilius est verba dare, quàm Nummos. Nomen Commissionis bifariam tunc acceptum, nempe pro Iudicijs Fisci, ad reddendas rationes Exactoribus institutis; præfixo ad diem xvij. Iulij Termino; vel pro actu Calculationis Cohortium, cui vij. Augusti dies expediendæ designabatur. Primo loco præsidebat Stanislaus Potocki Palatinus Cracovien:, Supremus Exercituum Dux; adlecto qui vices obiret Christophoro Rupniowski Tribuno Cracovienſe, sub vice Marschalci nomine; assidentibus è Sacro Ordine Ioanne Tarnowski Archiepiscopo Leopolienſe, & Casimiro Duce Czartoryscio Cujavienſe Episcopo. Consessum Iudicialem complebant præter jv. Palatinos, ac Sex Castellanos,

1662. Ianos, lecti per Provincias Equestris Ordinis Commissarij, unde quadraginta. Ærario præerat Ioannes Casimirus Kraśinski, Thesaurarius Regni, qui in anteactis Comitijs obtenta ab Ordinib⁹ officiosa Quietatione, velut securus jam præteriti, ad præsentia tantùm vertebat solicitudinem, tantæ moli negotiorum, in eo præsertim accipere volentium, & dare renuentium concursu, impar solus: nisi Collegarum consilijs, imò & adventantis mox Majestatis autoritate fulciretur. Siquidem Casimirus Rex, sive arma in Moschum conversurus, hàc planè iter in Vkraynam destinabat: sive ut quantocius Nexum dissolveret, ac ex Provincijs accelerandæ Pecuniarum convectioni, instinctum daturus, Leopolim die xvij. Septembris venit: consecuta mox Regina, quam sequior valetudo octiduum Zołkuiæ detinuerat. Ingressum Principis Magistratus Vrbis, multo honore & applausu excepit, & salutavit. etsi potior pars pompæ constaret in splendido Commissariorum, & numeroso obviam prodeuntis Confœderati Militis occursu. Iam quippe Paulus Borzęcki Substitutus Nexus, cum Quingentis fere Cohortium Deputatis Leopoli comparebat, & ut quiq; Veteranorum Officialium deseruita recepturi stipendia, frequentes confluebant. Vbi Cæpta Commissio inter satisfacere promittentes, & supponentes solvi velle, non omnino malè prima fronte conveniebat; demonstrato Tabulis Fiscalibus (Tariffam vocant) ex sola Charitativi subsidij Collecta, propè Decem Milliones corradi posse: præter alias exactas jam, vel mox exigendas Contributiones. Vnde ad Calculum Cohortibus vocatis, postquam isti Matriculas Stipendiarias Iuramento firmassent, patuit Summa Retentorum Nominum, ultra viginti sex Myriades (quas deinceps Fiscali vocabulo Milliones appellabo) excurrere. Hic Rhodus hic saltus fuit, expeditis ratiocinijs Cohortium, manus ad numeranda æra expedire. Fiscus siquidem ut Debitoribus mos, de die in diem solutionem differre, Provincialium aut Exactorum tarditatem incusare, multa promittere, præstare nihil: etiam largiri ne solveret, & cum distinuisset aliquantùm per subterfugia requirentes, deniq; vel autoritatem Commissionis objciebat; vel ipsa Majestatis interpositione diutius cunctationem suam tuebatur. Apud Patres Franciscanos Militi Confœderato tua conventicula erant, unde sæpius ad Principem ex illis missi; dein à Principe ad Commissionem remittebantur; sat acriter imò propè jurgium utriq; pro causa perorantes. Donec inclinante Autumno, postquam temporis & sumptus frustra jacturam fecissent, delegaverant ad Stubam Iudicialem ex gremio sui, qui re infecta & vacuis manibus ex Vrbe Deputatos Militares abituros nunciarent, simul dicto

Casimirus Rex cum Reg: Leopolim venit.

Calculatio Cohortium instituta.

Solutio hæsitat.

dicto vale, quam indignè illusi ad signa reverterentur, Commissioni exponerent. Et prior ex Delegatis Militaribus modestior, quo ad debitam Iudicum venerationem respectivè prolocutus: ast Ponikowski alter, audacius se ingerens. *Hic (inquit) Collega meus verecundus nimium Orator est; qui Vos Illustrissimi Proceres de malis nostris & miseria quâ præmimur, nec docuit, nec mouit: quæ ego etsi rudis dicendi in hoc amplissimo consessu exponam ingenuè. Quintus Mensis voluitur, ex quo ad recipienda stipendia Leopolim vocati, post exactissimam Matricularum dispunctionem, Numeros Turmalium amputatos aut diminutos, præstitum super realitate Stipendiorum Iuramentum, dum cruentos Debiti asses, & reductum ad Triginta septem denarios diurnum vitæ nostræ prætium, recipere intendimus, loco solutionis minas, pro ære debito opprobria, & prosperata stipe jacturam sumptuùm subire cogimur. Nam si soluendum est, ad quid iste ex opposito Pius Nexus vim in nos minatur? cui bono Scytharum & Cosacorum arcessuntur auxilia? A Proceribus honorariæ Cohortes scribuntur? tàm cum Exteris quàm Indigenis perdendi nostri molimina agitantur? Ad quid clausos muris, & ad libitum inimicorum sub malleo positos, dum ad ulteriorem in Vrbe moram sumptus necessarij haud suppetunt, velut lenta morte perimendos moramini? Absumptum diuturno in Vrbe hospitio quidquid in Marsupijs reconditum erat? Vestes, Equi, phaleræ, aliaq; militaris supellex pignorata, deniq; ad extremum obulum exinanitis, alia non suppetit viuendi ratio, nisi vel ad agendas prædas & latrocinia verti, vel ad mendicitatem. Quare siue bellum Ser: Rex meditetur, siue optata pace beare Rempubl: intendat, haud alterutrum successurum, nisi emeritæ Militiæ, quod est de justitia, quantocius & de toto debita Ærа exoluantur.* Ad hæc respicere se mutuo Commissarij, cum Potocius Generalis inibi præsens, quo erat animi & oris candore Venerabilis, ad Delegatos infit. *Nauis est Respubl: Commilitones, quæ quo melius compacta, natat commodius, diuisa mergitur. Absit benè meritos Milites, ab hac Matre male tractari. Si modo illi non Priuignos ostendant, haud scindentes Corpus Reipubl:, nec ponere vellint rumores ante salutem, ac forenses despicatui fabellas habeant, quorum Leopolienses Vrbs fertilis admodum sit. Sibi Duci suo crederent, qui ad extremam ætatem in armis & Castris enutritus, inter Legiones consenuerit, Numeraturos Mox pecunias, quas tantisper vel indigentia Prouincialium, vel grassans pestis, aliaq; incommoda morarentur.* Et sic aliquantum si non fracta pertinacia, certè mitigata in tempus necessitas fuit.

1662. *Militis ad Commissarios sermo*

Mareschallus sub hæc Lubomirius Dambrovæ aliquantum subsistens, attenuatæ Valetudini consulebat; aut revera quo se res variantis Aulæ inclinarent, melius ex distanti perspecturus. Itaq; accersiri

Mareschal: Lubomirski Leopolim accersitur.

1662. cerſiri placuit; ſeu nondum adulto odio, vel quod in arduis Reipubl: negotijs Conſiliorum eius vis, & operæ prætium ſucceſſus, probaretur. Sed ut Conſilia ex effectu æſtimata, ſic erectior viri indoles, & veritas offendebat: quæ privatæ Fortunæ bonum, non dicitur niſi cum periculo Regibus. Etenim Poſt-Comitiali Sen: Con: unus omnium diſuaſerat Regi iter Leopolim; prævidens fore quod evenerat, Solutionem Nexus majori cum dignitate abſentis Majeſtatis confici; & rationes Ærarij tolerabiliore inter pares peculatu, poſſe tractari. Quod ab æmulis traductum, præſcribi agenda Principi, & ab actu meritorio excludi Regem; uti ſubditus pacatæ Patriæ ſolus gloriâ frueretur. Accedebant & aliæ offenſionum cauſæ,

In hunc ingratijs Cauſa. quarum potior. Magnam Arcis Cracovienſis Procurationem, quoad Oeconomica Menſæ Regiæ bona, obtinebat Hieronymus Wierzbowski, Palatinus Siradienſis; agebat Præfectum Caſtri Mareſchallus; ad quem tam Iuris dicundi, quàm Cuſtodiæ Arcis rationes ex lege pertinent. Is ſub abſentiam Wierzbovij à Caſtrenſi ludicio commonefactus, apud Theſaurum Regni labefactatum multiplici fiſſurâ murum, ruinam minari; ac ſubtus ipſum Fornicem, ubi Inſignum Regni Depoſitorium eſſet, aperto Cellario ab Vice-Procuratore Arcis cauponari; hinc Loci ſecuritati providendo injunxerat Stanislao Kálinowski, Caſtrenſis Peditatus Præfecto, quominus adjecta duorum triumvè Satellitum ad Theſaurum cuſtodia, ipſe Portam Arcis cum cura haberet, tam introeuntium quàm exeuntium, ne quid doli ſubeſſet, attento examine. Contigit enimvèro ut currus Hungaricos vino onuſtos, aditu prohibuerit Kalinovius; quod acritèr pupugit ad Aulam delatum, incuſatuſq; in proximo Sen: Conſ: autor, nimiæ in Rempub: Tutellæ, & nullo prætextu uſurpatæ in Palatium Regium Iuriſdictionis. Ille comperto pro offenſa diligentiam

Quas fatile diluit. accipi (& reddendam facti rationem pro Literas mandabat Rex) reſcripſerat Łancuto (die 11. Septembris) omni qua par erat ſubmiſsione, fidem ſuam & cultum in Principem teſtatus, factum mera excuſans neceſsitate. Nam eo temporis, dum vicina internis motibus fervet Hungaria, ad limitem Sileſiæ Legiones Cæſaris armantur, Balthicum Mare infeſtis claſsibus obtinetur, quinimo intra ipſa viſcera Regni turbulentus Miles, non inanem Metum incuteret, hinc Cuſtode Theſauri abſente, Viceprocuratore per ſupinam negligentiam curam Palatij deſerente, ſe pro Fide Senatoria, & Præ-

Excationibus expreſſè poſitis. fecti Arcis Officio intendiſſe, ne quid inde Reſpubl: detrimenti caperet. Vtiq; Inſignia hæc (adebat) ſuæ Majeſtatis propria, & militem ad cuſtodiam appoſitum eidem Sacramento obſtrictum eſſe? ſe tantum pro muneris ſui ratione egiſſe, cui totius Arcis ſecuritas

Com-

commiſſa foret; ad Procuratorem ſpectante Oeconomica bonorum 1662.
adminiſtratione. Nunc quia aliter juberetur, mox Cuſtodes abducturum, ac fuſius rationes facti explicaturum. His ille permotus *Mareſcha: Leopolim venit.*
diuturniorem abſentiam ab Latere Principis haud ſuſtinuit, eo magis cum ut adeſſet vocaretur: ſimul diluendis in herba objectis intentus, antequam in ariſtam excreſcerent. Leopolim venienti ut quiſquis benevolentiam ac Clientum occurrebat, quod poſt livor in Crimen vertit, etiam Commiſſariorum pleriq; obviam progreſsi excipiebant. Hinc invidis ſtimulus, & major odio fomes, maximè dum Vrbica Plebs, & ſi à Magiſtratu coercita, ſub introitum effuſa, haud obſcuras voces jaceret, tum demum finem Commiſsioni, ubi is veniſſet imponendum.

Venerat ſubinde Leopolim & Internuncius à Magno Moſchoviæ *Internuncij Moſchi comparet.*
Duce, Oneſimus Karpowicz Dapifer, prima ſpecie Magni Legati autoritatem prætendens; tàm ex literis Fidei, quàm & Comitatu numeroſo, qui non niſi cum plenaria facultate Nuncijs attribui ſolet. Acceptus à Regijs comiter & perhumanè, aſt ubi primo aut altero colloquio deprehenſum, ſatiùs introſpiciendis rebus, quàm tractandæ paci Fœcialem agere, tantumq; triennales Inducias differendo bello condicere velle, adhibito Sen: Con: dimittere viſum: ex eo motivo peculiariter, quod in Literis Inſtructionis eius Tituli Ducatuûm Smolenſcenſis & Czerniechovienſis, aliorumq;, ſuperbè Regi *Sed nihil ad rem afferens expedatur.*
& cum præjudicio Pactorum detraherentur. Requiſitus eo nomine, opponebat audacter Cancellariæ Careæ Reſcriptum, quæ excuſaret amiſſa poſſeſsione locorum, fruſtra perditum Ius à Polonis nudo vocabulo tueri, neq; legitimè Titulum uſurpari alteri, niſi penes quem rei dominium eſſet. Quo loquacis Moſchi dicto offenſus Czarnecius. *Deo dante* (inquit) *breui futurum ſpero, hoc calamo (ad capulum enſis relata manu) ruditatem Literaturæ Veſtræ vel in ipſa Metropoli corrigendam fore: ut dum ad exarandos Regis noſtri titulos non ſuppetit atramentum, cruore proprio perfectè & inſolidum deſcribatis.* Ad quæ ſubridens Moſchus (ubi erat Præſto Fatto) *Haud mirarer* (*inquit*) *ſi aliquis luniorum talia feruore ætatis & ſanguinis diceret, Te vero ſenem, & qui uno pede in Cymba Charontis ſtas, & bella crepas, demirari nequeo.* Aderat & Scytha, ab Hano Crimenſi quantocius in Moſchum expediri arma repoſcens, & paratâ victoriarum ſegete, ne Poloni ipſi ſuæ officerent felicitati, ultra barbarum commonens.

Protracta per mutuas altercationes Commiſsione, Paulus Bo- *Mors Subſtituti Leopoli.*
rzęcki Nexus Subſtitutus, cui tum in Cohortium Deputatos ab Exercitu regimen commiſſum; vitâ abit Leopoli: in ipſo curarum æſtu leviore Febri, ſed ex continua imminentium appræhenſione jugi inſomnio

1662. somnio Vexatus. Erat è Belzensi Palatinatu, Patre Tribuni dignitate functo, ipse primam adolescentiam ad Martia vertens, Batoviana clade à Scythis in Tauricam ductus est; sed propitio ut videbatur fato, apud Lebedyn Sylvam elapsus, deteriori sorte à Cosacis interceptus, apud Wyssozanum Cosacorum chiliarcham, summe infestum nobis, carcerem sustinuit. Hinc liberatus, rursus ad Militiam se applicans, sub signis Marchionis Myszkovij, ad gradum Vexilliferi meruit, mihi multa per stipendia, etiam Officijs vitæ & amicitiæ familiaris. Aderat ingenuitas, militaris animus, præmeditata dicendi vis, ac præter virilem corporis symmetriam in stringendum ferrum manus promptitudo. Sed hæc fortuita. Tenerior plusquam in Milite conscientia, quâ licentiam oderat, rapacitatis in Miseros ruricolas severus ultor. Sobrietatem miro modo pro se retinuit, pro sodalibus non item, inter quos ex lauta vivendi ratione popularitatem consecutus. Ingens illi ab offensa Regina metus, à qua in conscientiam sequestro sacricola illo vocatus, & arcanum & oblatos aureos prodiderat. Passim sparsus rumor fuit veneno interceptum, nimisquam intumescente defuncti cadavere, ut ferè moritur nullus, cui non publica fama extraordinariam mortis causam assignet. cum ille expiatis apud Confessarium, vitæ noxis, & Sacramentis ritè permunitus, vitam clauderet, vi veneni tantillam moram non ferente. Dein majori credulitate vulgatum, Iankovio Commilitoni dum ad matutinum Sacrum pergit, defunctum apparuisse, & dixisse, protractam in longum Commissionem brevi finiendam: jam quippe Decretum scribi tùm Commonstrata in pedibus triplici compede rogasse, quatenus pro se recitaret Psalmum Davidicum: *Miserere mei Deus*, ex Libro quem fortè in Templo inventurus esset. Res mira. Iankovius ad Patres Societatis Iesu veniens, obvio in foribus Sacerdoti rem denarrat, cum quo ad proximum sedile allapsus, reperit Præcationum librum, in quo Psalmus ille interposita imagine notaretur. Quod narratum mihi olim, etiam nuper in Libris memorialibus repertum, subjeci posibilem creditu, non tamen de Fide articulum.

Et qualimites.

Rumor sparsus mortuum apparuisse.

Post Borzęccium directio Cætus Deputatorum Militarium, in Ianusium Bieykowski Iudicem Exercitus transiata fuit. eò vel maximè respectu, quod æque bello quam Iure versatus, perferendis Militaribus desiderijs idoneus esset, idemq; tractandi facilis ob prõptum ingenium. Is specimen sui daturus, frequenti Militarium cætu proponit, spem solutionis tamdiu dilatam, tandem aliquando allucescere, ubi ex Majoris Poloniæ ac Borussiæ Provincijs, comportatæ Pecuniæ in Vrbe præstò essent. Ergo adeundum Principem, ac solicitandam Commissionem suasit, quominus miserati contractæ diuturnâ morâ in Vrbe egestatis, saltem honorario ære, tantisper eximanito Militi succurrerent: vel ad rationem generalis debiti, summam aliquam notabilem enumerare indigentibus vellent. Placuit Consilium, ergo delectos qui ad Principem postulata ferrent mittunt, ab Aula addito Ioanne Szomovio Curiæ Regni Quæstore ad Iudicium Commissoriale, remissi; hæc præcipua ursere. *Cur Nexus Pius sub Niezabitouio Lublinensi Præfecto complicatus (qui sacro Nexui magis dolori quàm terrori est) in Cohortes circa Præmisliam Statiua agentes violenter inuehatur? aperta ut vis vi repellatur prouocatione? Cur in eodem Nexu recenter autoratis Cohortibus soluerentur Stipendia, easq; jam notabiles summas ex Thesauro recepisse? se prope nihil, & si plus septem annis Retentorum Stipendiorum deduxissent? Quod auctum Monetæ prætium in detrimentum suum vergat? ubi jam ad nouem Florenos Hungaricus Nummus excresceret, pari jactura in solidis Boratynicis, qui ex scoria æris & Mistura vitri conflati, heu quam leuidense fusi sanguinis Militaris prætium constituant? Accedit dolori, infamis quæstus Exactorum, quorum plerig; in Mensarios versi, & argentariam exercentes, deterrimam è Valachia & jam Vniuersalibus Literis proclamatam Monetam, pro meliori metallo permutarent?* Hæc aliaq; porrigebant in scripto Commissioni, ad quæ Iudices pro grato modestiam, & rogari pro necessitate accipientes, prævia deliberatione cum scitu Regis per missos quatuor è Stuba Commissoriali ad cætum Militarem responderant. *Nullam ex se moram quo minus solutio Militi debita quantociùs expediatur; illos ipsos in Causa esse, qui solutionem per partes renuendo, haud respicerent de toto exoluendi debiti impossibilitatem. Nexum Pium sub obsequio Serenissimi Regis existere, ad solam repetitionem debiti Stipendij institutum: huic aliquid ad rationem meriti æris in Thesauro collatum. Verùm uti ille se ad mandata Principis conformaret, non amplius Cohortibus Sacri Nexus in hyberna locatis incommodaturum. In reliquo, cum nec Tribunali Commissionis tantùm competat actiuitatis, nec Cætui Deputatorum Militarium potestatis concessum sit, ut interuenientes difficultates absolutè decidere, sopire, & in effectum utrig; deducere possint, (præcipuè ad Constituendam certam & tolerabilem debiti prouentiis summam, ob rationem temporum ad exoluendum arduam) æquum proin videri, ad generalem totius Militiæ Confederatæ Circulum, prope diem Wolboriæ cogendum, rem totam cum suo effectu remittere. quo per Ablegatos ex gremio Commissionis cum Vniuerso Exercitu agi & transigi concluduè possit. Interea Honorarium æs, quale Tractamenta vocant reciperent, paucilla interjecta mora, donec Wolborio reditum*

Bieykowig Borzeccio subsitituitur.

1662.

Deputati Militares cum Commissarijs expostulã.

Militum cum Commissarijs expostulatio.

Commissariorũ responsum.

Ad declarationem Wolboriẽsem.

1662. *ditum, de toto & in ſolidum acquietandi.* Sic factum, quod malum nomen Creditori ſolet, ut ne ſolvat quod debet, ſolvit quod non debet

Nexus Lithuanici Tragœdia.

Triſtis ac horrendus caſus eſt, cui memorando accingor. nempè dum Comicum actum Milites Poloni expediunt, in alienis ditionibus Villicantes feralem Tragœdiam Nexus Lithuanicus appararet. Etiam his indicta Commiſsio erat Vilnæ, ac diem xjx. Iulij celebrãda: aderant Militiæ Duces, Paulus Sapieha Palatinus Vilnenſis, ac Vincentius Gaśiewski Campeſtris, idemq; M. D. Lithuaniæ Theſaurarius; aſsidebant Georgius Białozor Vilnenſis, & Sapieha Samogitiæ Epiſcopi; cum pluribus è Senatu, & ex gremio Nobilitatis, lectis per Legem Commiſſarijs. Primo intuitu res ſuccedere viſa, uti & Leopoli; in expediendis rationibus Ærarij, & Calculatione Cohortium: mox offendit procurata Nexus Sciſsio, in dextram & ſiniſtram Alas; quarum prior, modo ſolventur ſtipendia non abnuebat obſequium; pervicatior ſiniſtra, & debitum ſolvi, & in prætenſionibus ſatisfieri repoſcebat: quod imputatum Gaſievio, velut eius Sciſsionis autori. Mareſchalcum Nexus agebat Caſimirus Chwalibog Zyromski; Conſtantinus Kotowski Loricatæ Regiæ Cohortis Optio Subſtitutum: Militia ambo veterani, ſed diversìm uterq; reſpicientes; Zyromſcius quippe devexa ætate & plurium Liberorum Pater, quantociùs evolvi diſcriminoſa functione ſatagebat, in finiendum Nexum promptior: Kotowski animo feruidus, & per Seceſſum Collegæ aut ignaviam, exitium ſibi ſtrui metuens, comperto illum Conſilijs Gaſievij immiſtum, & quo tutior ageret, Vilnam à Nexu commigraſſe; habito cum Cohortibus arcano apud Wołpam conſilio, proditionis arguebat; objecta palàm jurati Magiſtratus defectione, & ſuo omniumq; oſtenſo diſcrimine, niſi quantocius deſertoris pœna, ſibi Exercitus conſuleret. Suſpiciones auxit, dum Tabellario Gaśievij Leopolim miſſo, in manus venirent ejuſdem literæ interceptæ, Seditioſi Militis inobedientiam frangere promittentis: quem jam in Alas ſcindi adegiſſet, quæ ut in Circulo Militari lectæ, acclamatum ab Vniverſis antevertendos Parricidas, ac præciſa omni mora prout illi intẽderent mulctandos. Ergo confeſtim Mil: Quingentorũ agmen emiſſum, ſub ductu Chlewinſcij, ac Nowoſzynſcij Optionũ, imperata manus injectione in periculũ faceſſẽtes, vel ſi minus poſſent, omnino tollendos. A duum facinus juvit feſtinatio, & magna cura celatum arcanum. Quippè noctis beneficio Vilnam alapſus Nowoſszynius, dubia adhuc luce Niewiarovium Deputatis Militaribus Præſidentem adiens, de voluntate Exercitus certiorem fecit; à quo edoctus Zyromſcium in Clauſtro P. P. Carmelitarum

Divisio Nexus in duas Alas.

Præveniũt diſcrimen Militares.

tarum Diſcalceatorum hoſpitari, ibidem ſacris vacantem reperit; cum quo familiaritèr collocutus, eò tandem devenit, ut neceſsitatem obnuntiaret, ad reddendas muneris geſti rationes Exercitum requirere præſentiam Mareſchalci. Tergiverſabatur primò Zyromſcius, ſed poſtquam advertit tot adeſſe qui cogerent, voluntatem parendi ſimulavit, temploq; eductus, inſcendente Equos Milite, inter manus feſtinantium, ad Portam uſq; Rudnicenſem pedes ductus eſt. Dum curſim ducitur, notabili pietate in Patrem Filius Zyromſcius, ſeu ignominia ſeu periculo præhenſi Genitoris commotus, binas ejacularat in captivantes fiſtulas, uno ictu caſſo, altero Commilitonis brachium trajecit: ſed nihil in ſummam proficiente auſu, eò magìs Fatum Patris acceleravit. Nam mox impare vi irritati, apud ſuburbium quod Antokole dicitur, dum ſe aſperioribus verbis ab ea Contumelia vindicat, fortè & minas addit, Clavo ferreo in caput adacto vulneratur graviter, mox Commilitonum Manibus præhenſus, ac equo impoſitus Dubnæ tribus leucis diſtante ab Vrbe prædio, ferro proſtratus cadit, relicto ſub dio Cadavere, quod mòx præſtitæ operæ documentum Socijs monſtraretur. Similis ſucceſſus & Chlewinſcio, in atroci lanigena fuit. Diù ante Gaſievio notus dum poſtico domus veniens, pro veteri familiaritate admittitur, ad uſq; conclave cubantis penetravit; ipſa Gaſievij Conſorte ad ingreſſum Cubiculi peſſulum recludente. Tum excuſata importunitate adventus, pleraq; familiaritèr inferens, demum voluntatem Exercitus expoſuit, uti Dux ad dandas protractæ Commiſsionis rationes, ſe Exercitui ſiſteret. Ad quæ Gaſievius, male ſibi à morbo Sontico eſſe, etiam in præſens Vehementiore Catarro oppreſſum, non peregre modo ire, ſed ne ad Prætorium divertere poſſe reſpõdit. Cui Ieſman Socius. Eſt (inquit) aliquis Medicinæ peritus nobis, is percurabit & Sanitati reſtituet. Res planè fatali alicui diſpoſitione adſcribenda, totam noctem Peditatus Gaſievij in veſtibulo Domus excubabat, jam albeſcente Luce ex ſtatione diggreſſus: ultra ducenti familiares circumcirca per hoſpitia ſparſi, (fortè alea aut meravore potu de nocte occupati) ſub auroram (ut ſolet) altius indormierant, inſuper præmonitus à non nemine Dux in tertiam diem ut vitæ caveret, haud obtemperavit monenti (Iulij Cæſaris forte exemplo Idus Martias majore animo quàm prudentia contemnentis). Eſt certè aliquid quod Fatum Chriſtianè acceptum credam, illa nempè irrefragabilis divini effati voluntas, ut quem punire Conſtituat Numen, eius Conſilia corrumpat. Siquidem requirente iterum Chlevinſcio, ut ſe in viam daret, velut attonita mente è lecto conſurgens, ac perfunctoriè veſtitus, nihil de itinere quo eundum

1662.

Zyromſcij Mareſch: captivatur

Et trucidatur.

Etiam Gaſievius abducitur.

1662. eundum diſquerens, nullam ampliùs faceſsijt diſceſſui moram. Cum jam conglobati in cuneos toto foro ſtarent Equites, eductis acinacibus minaces, ex quibus nonnulli ad Carpentum bigis aptatis, ſuccurrente nemine, velut faſcinatum à Lupo Ovem, è meditullio populoſæ Vrbis raptim ducebant. Horum circa Octavam patrata hæc Vilnæ, abductuſq; ab Vrbe nullo adjuncto in viam comite Gaſievius, præter Aurigam, qui Herum veheret, Petro Rudomina tantum Vexillifero Oſmianenſi, à Conſilijs Nexus conſequi juſſo. Quãtus in Vrbe ex impræviſa violentia metus, vix dici poteſt: ſed nec minor Chlevinſcij audacia, qui præda ex voto potitus, rurſus in Vrbem regreditur, & ad Ducem Majorem accedens factum excuſat, ac velut actum legitimum defendit, ita ſe ab exercitu juſſum, & feciſſe: cætera per officium ſubijciens, quatenus nulla inde offenſa, Commiſsionem Dux abrumpi haud pateretur. Wolpam deducto occurrebat (die 25. Novembris) Selecti Equitatus agmen poſt abſolutum Militarem circulum tolutim veniens, & quâquâ verſum carpentem circumdans. Primo honorem ſibi eo occurſu exhiberi ille arbitratus, ad quæſita quid reſponderet animo agitavit? cum repẽtè ut quiſq, procatior, quid in Nexum molitus fuerit exprobrarent, inconditiſq; clamoribus inceſſerent, Proditorem ſui vocando, ac quominus ad ſubeunda extrema præpareret animum, à non nemine monebatur. Ad ea reſponſurum, dum obturbant, omni Conſilio & auxilio deſtitutum ſe videns, & morti proximum, conſidenti in ſtrue Lapidum Sacerdoti ſe applicat, vitæ noxis Chriſtiano more explicãdis; cum rurſus ante abſolutionis articulum clamore interpellantium pulſatur, neu tam prolixo ultimam ſententiam actu moraretur, qui totius Lithuanici Nexus Caput in momento præcidere intendiſſet. Ad quæ ille exitij jam certus, uti pro Militari gloria rebuſq; præclarè geſtis, non imbellis caderet, revocato ad firmitudinem animo, ne quicquam pro vita deprecari ſuſtinens, donec irruerent Siccarij ſtetit immotus, primiq; Nowoſzynski ac Narkiewicz fiſtularum ictibus proſternunt, donec alij ſuperveniendo pluribus plagis trajectum interimerent. Cæſi cadaver ſub dio relictum, tapeti miniſter curulis involuit, donec euulgato facinore, miſſo curro Gaſievia Conjunx ut erat fœdum cruore ac tabo oblitum, in Vrbem revehere imperaſſet Genus illi pervetuſtum, Pater Palatinus Smolenſcenſis, dignitate Senatoria & prudentia conſpicuus; cuiq; tantum Vladislaus IV. tribueret, ut pro detento in Gallijs Fratre Caſimiro, Legatum ad Chriſtianiſsimum Regem eſſe voluerit. Vincentius Filius prælta indole, & rebus gerendis ambidexter, ad ardua quæq; ibat, tam Marti expeditus quàm gratijs, niſi nimium imputaſſet Aulæ, quod

Stupente Urbe populoſa.

Militaris audacia.

Gaſievij Ducis interitus.

Stirp: Gaſievij intercepti.

Et qualitates.

1662. quod ei caſum acceleravit. Bello Suetico à Moſchis abductus, carcerem biennij ſuſtinuit; vitæ apud hoſtem ſecurior, quam nunc in Patria profudit. Non exiguæ illi cum Majore Duce Lithuanico ſimultates, quibus ex antipathia quadam mutuò colliſi, non publico tantum ſed & privatis rebus offecêre; etſi illaudata ea æmulatio ſit alieno malo creſcendi, ac Duces in exitium ducant, qui disjunctis animis conjungunt Copias, aut nimium odio licere permittunt, dummodo æmulorum deprimant autoritatem. Sic cecidit Senator à Civibus, Dux à Milite, in quem illi imperium non contra: immani & pluſquam barbara crudelitate, cui illa Syllanorum temporum feritas, haud iniqué comparari poſsit.

Lucanus.

Colla Ducum pilo, trepidam geſtata per Vrbem,
Et medio congeſta Foro.

Calamis olim Ludimagiſtrum à diſcipulis ad necem actum, pro miraculo retulit antiquitas: quid ſi Præfectum Armorum, ab armatis Legionibus, indemnem, inauditum, vel ſi maximè intentaretur actio, nulla in factum & perſonam Iuriſdictione, obtruncatum; majorem ſtuporem movet; & inurit egregiæ alioquin in bellis Genti labem indelebilem. Sed aderit Rhamnuſia Nemeſis, quiq; nunc tantum ferociæ oſtendunt, reſtinguent mox inhumanam nobilis Sanguinis ſitim, cruore proprio, manu Iuſtitiarij cum ignominia refundendam. Et eam tunc præletulere in patrato flagitio autores cædis pervicaciam, ut porrecta ad Acta publica Manifeſtatione, jure cæſum Theſaurarium & Ducem teſtari non erubuerint, ac ad Primatem Regni è Gremio ſui miſerint, qui expoſitis Facti rationibus, incuſata Gaſievij in Nexum, imò univerſam Patriam proditione, tanquam legitimum actum, & neceſſariam cædem excuſarent.

Nexûs patrata cæde pervicacia.

Peſtilentia graſſatur.

Peſtis interea, non omnino faventis Cæli indicium, Provincias Regni torrentis more invadens, ac cumulatis funeribus paſsim graſſata; nullo prorſus præter ſeceſſum & in avia fugam remedio, ubiq; funeſtam ſtragem mortalium edebat: & quamvis Vrbibus & municipijs haud quaquam parceret, ruricolas tamen acerbiùs afflixit, quibus nulla in peſtilentem luem antidota, & moleſtiſsimi Tributi exactione mors ipſa mitior videretur. Is quippe erat ad inſtitutam Capitum deſcriptionem, contribuentis Populi fremitus; ut pleriq; deſertis penatibus, peregre domo abirent, alij ſemina in hyemem ſolo mandare omitterent, multi perjurio ſe immunes ab onere pendendi eximerent, repertis demum, qui nulla peſtilentis contagij evitatione, vitæ ſatius, quàm imperati nummi diſpendium facere mallent: omnibus in eius vectigalis autores diras vomentibus. Contigit alicubi, ut dum agricolæ vomere agrum ſubigunt, in exaratis

1662. ratis sulcis mortui, pro fovea, levi cespite tumularentur. His malorum acerbitatibus accedebat publica egestas; jam ob adulteratam Monetam excrescentibus pretijs rerum, jam inhibita Gedanum à Confœderatis, frugum defluitatione, non usq; probato vel ipsis autoribus ex effectu consilio, quod ad causas paupertatis omnium cooperaretur. Quippe præteritorum annorum fertilitas, notabilem annonæ faciebat vilitatem, majore in horreis frumentorum copia, quàm ut ab indigenis consumerentur. quæ media parte venunda ta, & alimento possessorum, & mercatui Exterorum suffeciſſet, in ea præsertim nummorum ad usum publicum indigentia. Sed & ultramarinæ Gentes, quas, fruges Sarmaticæ sæpiùs alunt, negatæ mercis copiam ægrius tulerê, Batavi præcipue, quorum Onerariæ Naves, exeunte Autumno magnâ copiâ Gedanum appellentes, irrita navigatione, & pelago subinde tempestuoso, per varios maris Baltici portus hybernare debuerant. Hinc emersisse fama vulgavit, armatam Classem illam, quæ sub tempus Comitiorum ad Mindam Gedani, ac alibi se visendam præbuit; commentum instructum ab Institoribus, ob negatas venum fruges, aut terriculamentum, securis qui instruerent; cùm nobis pelago nullæ vires, & qui terræ opes indigentibus non communicavimus, impunè à Neptuni Filijs in salo lacesiebamur.

Publica impia.

Ex inhibita Frugum defluitatione.

Tam Leopoli quam Vilnæ, utraq; Commissione interpolata, iterum Aula, ad res pacandas desiderio pacis, aut turbarum tædio, animos disponebat: præsertim, cum futiles illæ spes trahendi in partes Regias Nexus, in spatijs imaginarijs à quibusdam demonstratæ, passim evanescerent: non aliter Confœderatis ad legitima Imperia redituris, nisi protinùs ære parato, retenta Stipendia sine ambagibus solverentur. Cui tunc in controverso habitæ deliberationi, visum ex Sen: Con: habita temporum & necessitatis ratione, Wolboriam mittere; ubi Magistratui Bellico sedes, & indictum Circulo militari tempus appetebat. Iuerê proin è gremio Commisionis Delegati, Florianus Dux Czartoriscius, Cujavienſis Episcopus, qui tunc à Milite Connexualis Præsul dicebatur; Christophorus Rupniowski Tribunus Cracouienſis, idemque Commisionis Vice-Marschalcus; Chrisostomus Gizicki Wielunenſis Iudex, ac cum Stephano Sarnowski Łęcicienſe Vexillifero, Rogatianus Pstrokonski Brzestenſis Succamerarius. Etiam Duces Exercitus comparere illuc volebat Rex, si non imperio ad obsequium, saltem suasu ad modestiam inclinaturos, jamq; ambo iter apparabant, Ioanne Zamoyski Palatino Sandomirienſi (qui & ipse Germanicæ Militiæ regimen obtineret) associato; cùm parandis hospitijs præmissi renuntiant, adventum Ducum Wol-

Commissarij ad Nexum mittuntur.

Etiam Exercitus desistunt.

cum Wolboriam non sine discrimine fore, fremente passim Milite, ex nullo accepto Leopoli: etiam atroci casu cæsi Gasievij, ad ferociam concitari. hinc in alieno exemplo cautè dispiciendum, quid magis eo rerum statu conducat, venire ne an regredi? Etiam Suierscius Mareschallus venturos sciens, adventum dissuasit, per literas apertè innuens, non sat gratos Hospites expectari, & se mitigandis animis imparem esse: ubi egestas concitat turbulentos, vel bilem movet tam diu elusa emeritæ Stipis expectatio. Ver in proximo adesse, quo appetente contractas in Castris Legiones, commodius adeundas à Ducibus, nunc per stativa sparsas, & situ squallentes, non tanti esse ut viderent & aspicerentur. Præcustoditiones eæ, non tantum itineri moram, sed magis scrupulum animis & indignationi motivum obiecerê, visitantium Ducum officia contemni à Milite, & sinistrè interpretari benevolentiam. Vnde repulsam spretæ ab Exercitu autoritatis, indignè ferentes, instituto regressu contemptum Imperij accusabant. Commissarios tamen Reipubl: Nexus pro dignitate accipere visus, designato ad conferendum tempore & attributis hospitijs, præcipua in Cujavienſem humanitate, cui tanquam Feudi Domino, Arce Wolborienſi in speciem decedere velle ostendebant. Quibus ubi publicum datum, pleno Militarium Circulo, Czartoriscius, ut erat promptæ & popularis facundiæ, imperato per Magistratus silentio, in eum modum peroravit. *Quem præsens, communis Patriæ Matris Chariſſimæ, Status non mouet; enimuero ille, non omnino Chriſtiani, sed ne humani quidem pectoris est. Decora, Libertates, Reputatio Gentis Polonæ collabuntur! flos ille perennis gloriæ marcescit! cedimur & perimus; horribili Dei Iudicio, dum alij in Captiuitatem Barbaricam abducti, alij gladio, alij fame, aut ineuitabili pestilentiæ lue turmatim cadunt. Et cæpit Iudicium à Domo Dei, ab Ecclesia Matre, ultrix scelerum nostrorum manus Executionem incipit, mox per Vniuersas Domos, diuites & pauperes, paruos & maximos, debiles & robustos, consternatione inuoluit, & grassatur inuisibilis: ut ipsi mala nostra non videamus, quia tenebræ contexerunt nos. Luctata olim cum aduersitatibus varijs Polonia, nunquam tamen grauiore quàm nunc mole malorum pressa fuit, nunquam discriminosius periclitata, quàm in præsens, vel à discordibus vicinis, vel à simulatis Amicis, vel ab apertis Hostibus, ab extra impetita; florebat ab intra, unanimi omnium concordia & fraterna animorum unione constans, ut unum sentientes domi Polonos, nulla vis deforis quatere posset. Nunc scissi inter se, non cointelligimus; mutuò suspicaces diffidimus; quia Patrum nostrorum Virtutes, Charitas & Concordia, à nobis exulant, Mores & Instituta Majorum abjecimus, candorem exuimus, quid mirum si Polo-*

Sed præmoniti retro vertūt.

Sermo Czartoryscij Episcopi ad Milites.

1662. niam in Polonia quærimus, à Virtute & Candore Polonico degeneres &c. conficiebat mox. In hoc ergo dolendo Poloniæ Statu, à Throno Principis Domini noſtri Clementiſſimi incipiendo, Proceres & Omnes Ordines Regni, à primo ad ultimum, quiſquis ille ſit, modò è Gente noſtra, dominijſq; eidem annexis Indigena exiſtat, tenetur juxta Deum & Conſcientiam, extremè periclitanti Patriæ auxiliatricem manum porrigere: præſertim ubi pro Fide Catholica, pro retinendis luribus & immunitatibus Gentis, pro totius Chriſtianitatis ſecuritate, cuius Polonia in hanc diem inuictum ſtetit Antemurale, ſuccurrendum eſt ab omnibus, quod omnes tangit; & cunctorum manu amouere mala expedit, quæ premunt colla Vniuerſorum. Ergo uniuerſi velut ad Campanæ incendiariæ ſonum, ſi conjunctim ad reſtinguendum hoc domeſtici ignis incendium concurrimus, Deo fauente non eſt deſperandum de Republ:. Exoluit comprimis Sereniſſimus Rex boni Principis officium, dum ſciens & intelligens, quòd Gloria Regnantis eſt in multitudine Populi, tam in præteritis quam Nuperis Comitijs ſolicitiſſimè cum Ordinibus Regni egit, etiam nunc in præſenti Commiſſione cum Proceribus à Republ: Delegatis allaborat, quatenus emerita Stipendia, requiſita Amneſtia, & omnes Prætenſiones Exercitûs ex æquo & bono Publico ſopiantur. Solis excluſis Nouitatibus, quas maxime in libero vitandas Populo cenſet &c. Eo ſtipendiorum exoluendorum intuitu, ad inſolitam ne dicam ignominioſam liberorum Capitum Taxam, condeſcendere haud dubitauit: ut extremam Patriæ egeſtatem videntes, Matrem conſideretis Milites, Matrem cogitetis, non fucatum Filialitatis affectum ſpoliatæ & depreſſæ monſtraturi; ſi Prætenſiones non quidem injuſtas, ſed planè impoſſibiles, Chriſtiano moderamini ac charitatiuæ condeſcenſioni ſubijcitis. Rem planius explico. Retenti Vobis Æris quantitas ſuperat aliquantum ſupra xv. Millliones. Fatetur Reſpubl: debitum, agnoſcit Princeps, Virtutis Veſtræ haud iniquus æſtimator minus adæquatum eximijs meritis & fuſo ſanguini pretium. Nemo noſtrum negat, imo palàm & in confeſſo eſt, impares nos rebus à vobis præclarè geſtis retaliandis, quæ non tam fuſili metallo, quam potius ipſa immortalitate gloriæ compenſanda eſſent. Ea vos certò certiùs manet, ſi modo cum Eccleſia uti Catholici Milites, cum Patria uti non degeneres Filij, cum Principe uti obſequentes Subditi, ad tractandum compromittitis. Ad Vos modo inſit Patria, quod olim ad obſequentem Filium prolocutus Pater. Fili omnia mea tua ſunt. Si reputatio Gentis, ſi Majeſtas Principis, ſi deniq; totius Reipublicæ ſecuritas ſalua manet, facile diſpendia Fortunarum aut bonorum jacturam ſarciri poſſe. Labefactata Patria aut peſſundata ubi alteram degeneres quæremus? aut ex aliena noſtram facere poterimus? Hæc igitur optima Mater, nouiſſimam ſanguinis guttam eliciendo, ex Tributis Prouinciarum

ciarum, non niſi octo Millionum ſummam ad exigendum poſſibilem, & perceptibilem, ex rationibus Ærarij deductis Tabulis, liquidiſſimè demonſtrat. Hoc ergo accipitote, & contenti ſitis in gratiam Patriæ. Amplius Reſpub: nec promittere audet, nec præſtare poteſt, imo Majoris ſummæ ſpem facere, eſſet fallere Exercitum, & jugulare Remp:. Plus ab exſucco Populo requirere, quam dare poteſt. Chriſtianæ diſcretionis non eſſet, nec Polonæ generoſitatis extorquere. Verum imputatis Commiſſioni tardam Pecuniarum conuectionem? cuius tarditatis cauſa ex vobis ipſis eſt, quando tam Regalibus, quam Spiritualium ſequeſtratis bonis, in manu veſtra omnium Prouentus hærent, unde conſuetum erat, in pendendis Exactionibus, Colonorum noſtrorum ſubuenire egeſtati & inopiæ. Feciſtis quod non oportebat, euenit quod fieri non debuit. Rurſus ſi parum videntur octo Milliones, in ſufficientem emeritæ Stipis compenſationem? Date veniam (quæſo) ſat ſuperq; eſt, etſi ritè ponimus calculum, ne hoc quidem à Republ: juſtè repoſcitis. In alterum jam annum excuſſo Reipubl: obſequio, ac munijs Militaribus intermiſſis more duri Creditoris cum Republ: debitum repetendo agitis, cum interim donec ſoluitur, Hybernorum nomine, ex tredecim Millibus Laneorum in Regno exiſtentium, ad viginti milliones æris indebitè exegiſtis; quod de luſtitia in Summam Capitalem imputandum foret? Nec leuis protelandæ ſolutionis Obex, Gedanum inhibita per vos Frugum defluitatione? ob probatam quidem vobis rationem, ne inopia panis laboraretur, eadem illa ratione nobis noxia, Exactiones ob defectum Nummi impediente, cum nec ſtipendia ſine pecunijs, nec pecuniæ ſine frumenti venditione, natiua Sarmatarum merce, haberi poſſent. Iam vero ſi Miniſteria noſtra priuata, vel ignauè ſeruiunt, vel proteruè agunt, ne dicam aduerſus imperia calcitrant, tunc diminutione ſalarij plectuntur, & neglecta ſeruitia detracta mercede penſant. Nec eſt fuſius explicanda Apodoſis &c. Liberaliter nobiſcum Patria agit, Vitam, Genus, Honores, & Fortunas impertita: hinc ingenuè pectoribus duntaxat generoſis, cum illa procedendum eſſet; nec requirenda hæc intolerabilis fœnoris, dum cogit ſtipem, compenſatio. Debitor ille Euangelicus caſſo unde ſolueret Marſupio, pedibus Heri acclinis rogauit. Patientiam (inquit) habe; & mox audit: omne debitum dimiſi tibi. Hæc Mater Reſp: lacerata undiq; imo vix ſpirans, & in nouiſſimum agonem acta, ad generoſa Militum ſuorum pectora appellat, prehenſat manus, ac genibus cuiuſq; aduoluta orat. Patientiam habete, Mater ſum, Vos Filij, Mementote Parentis & miſeremini perituræ. Subuenite itaq; Generoſi Milites dum tempus eſt, & rebus ſuccurrite lapſis, ne forte omiſſa temporis opportunitate, magis voluntas poſthac adſit, ubi deerit facultas ſuccurrendi, dum propter malum nolle, amittemus bonum poſſe &c. Hæc & plura

1662. plura patheticè Præsul pro innato Zelo erga Patriam, reliqua transmisit ad colloquium mox instituendum, in quo de capitibus pacificationis cum Delegatis ab Exercitu ageretur. Ac ne collocutorum copia prævalerent Militares, placuit Commissarijs Nuncios Procerum sibi adjungere; nempè à Primate Regni Bonaventuram Madalinski, ac Petrum Dunin Prælatos Gneznenses; à Generali Potocio Sebastianum Machowski veterem Cohortis Ductorem; à Mareschallo Lubomirio Ioannem Woiakowski Vexilliferum Præmislienſem, ac Sigismundum Hynek Venatorem Podlachiæ: quibuscum in Triclinio Palatij Episcopalis congressi, singulatim utriq; Capita pacisscendi contulerê. Non tamen incipi negotium sine jurgio potuit, nonnullis ex Nexu acerrimè invectis, in Rupniovium Tribunum Cracov: cujus uti Prælidis Commisionis damnoso permissu, solidariæ Officinæ tunc procudendis æreis Nummis allaborarent, (expirato jam contractu, & Sancitis Comitiorum clausæ) quando militi solvendum esset? quominus deteriore commisti æris metallo accipientes involuerent, auctis per injuriam pretijs rerum venalium. Etiam pleriq; Pstrokonscium Brzestenſem Succamerarium graviter incessebant, quòd is privato ad mensam sermone, inverso ordine rem agi dixit, ut postularentur qui petere debuerant. Quod si irritas preces Reipubl: Miles reijcit, adesse bonæ causæ fiduciam, ac armatæ Majestati tum internas, tum externas vires, quibus inflexibili edomita pertinacia, vindicaret, à Stipendiarijs despicatui habitam Majestatem. Biduum plane hic motus absumpsit, ut fere etiam musca famelicos irritat, etiam tunc prompto Militari indignationi fomite, quod diuturna mansione Leopoli exhausti, evacuatas Crumenas & Marsupia, ad Cohortes retulissent. Sed coortas nec rationibus sopiendas Controversias componebat sensim modestia tractantium, qui licet acclamationibus pulsati, accedendo Militarem Magistratum, cum lachrymis obtestabantur, neu quæsita discidio via, pertinaciter ad falsos rumores aut verborum inania creduli descenderent, neu tam pacandæ Patriæ, quam suæmet ipsorum securitatis egregiam (Deo dante) opportunitatem è manibus elabi paterentur. Tum rursus velut tranquillato mari, instituta controversorum capitum disceptatione, non magis res, accisas Fisci explicitè enucleabant Commissarij, quàm subtiliter errores Thesauri & in privata Commoda æris publici abusus exponebant Legionum Delegati. Vnde inter affirmantes negantesq; nova iterum altercatio, qua invalescente, prope erat; ut utriq; infecto negotio digrederentur. Quippe deliberantibus Commissarijs, dum patientia & lenitas nomine Reipubl: oblata, despicatui est, an potius regredi salva Principis Majestate expediret? sed omnino obstitit Czartoriscius, ad extrema promptos impellere nollens, breveſq; iras & famelicæ turbæ pertinaciam mox tempore ipso persanandam asserens; si modo Potiores meliorum consilijs ad modestiam revocati, cæteris imponunt resipiscendi necessitatem.

Tractatur inter Commissarios & Delegatos Militares.

Non sine contentione utrinq;.

Iterũ resumũt disceptatq;.

1662.

XV. Dies Decembris erat immediatè Natalitijs Christi proxima, cum velut arcano Classico concitus Miles, turmatim visitantium in morem Hospitium Czartoriscij adit, ac quominus semiconfectum opus non desereret, ipse infecti causa precatur. Colligebat Famulitium vala in viam se daturi Præsulis, similiter alij Collegæ iter adornabant, cum Osczepalski unus è Consiliarijs tantillam moram præmissus deprecatur, post quem Swiderscius ipse, publicum errorem haud sibi imputabilem excusans, ab abituris petijt suasitq;, quominus post tot exantlatas ærumnas, pauxillam præstarent moram, donec in multitudine coortis disidijs, dexteritate sua finem imponere dignarentur. Qua animorum inclinatione utendum rati, curribus in viam cum supellectili dimisis, iterum ad Colloquium ac si invitos se trahi pasi sunt. quærente ex abrupto Præsule, quorsum ex itinere revocaretur? Conclamant omnes, vivat Rex, vivant Commissarij: tum demum in proximum Conclave semotis arbitris digressi, ac à primo mane ultra meridiem disceptantes, demum in ea pacificationis capita convenerê, quorum magis ad rem pertinentia interfero.

Demum & finiunt.

I. *Amnestia seu Obliuio præteritorum, ut speciali Ser: Regis Diplomate, totius Commissionis Iuramento, utriusq; Tribunalis tàm Lublinen: quàm Petricouien: ratificatione, in proximis demum Comitijs, ex consensu Trium Ordinum per Legem publicam confirmaretur.*

II. *In gratiam & ob respectum Patriæ, Exercitus decedit ex summa prætensa Stipendiorum, debiti æris quantitatem reducendo, ad summam Nouem Millionum, taliter exoluendorum. Nempe in parata pecunia sex Milliones, in spatio sex Septimanarum ab actu præsenti Deputatis Cohortium Leopoli realiter enumerandos. Septimum in rebus promercalibus apud Mercatores, in Fidem Publicam recipiendum. Octauum in Retentis apud Palatinatus per Executionem Militarem vindicandum. Nonum ex Theloneis & extraordinarijs Reipubl: vectigalibus jam acceptum, & ex Calculo in summam Principalem includendum.*

III. *Enumerata sex Millionum summa, protinus tàm Regalia quàm Spiritualia Bona sequestro Militari eliberanda fore.*

IV. *Nexum præuia reali satisfactione dissoluendum, ac ad obsequium Sac: Reg: Maiest: Ducumq; Militiæ rediturum.*

V. Pro

1662. *V. Pro Nexu Lithuanico ut itidem in exſoluendis Stipendijs fauorem ac gratiam Reip: obtinere poſſit, ſubmiſſe Sacrum Nexum precari: & quidem juratæ correſpondentiæ ergo, ac Fraternitatis Militaris reſpectu.*

VI. Tractatum præſentem ob Majus robur & valorem, reciproca tàm Commiſſariorum Exercitui, quàm Exercitus Commiſſioni obligatione, in manu tenenda tranſacta, obſtringi lurejurando. Si poſt Sextam Noui anni Hebdomadem, non ſatisfit, à condicta pactione libero ab utrinq; receſſu partibus reſeruato.

VII. Sereniſſimus Rex, & Stuba Commiſſorialis tranſactionem præſentem, ſuprema autoritate firmabunt Leopoli; ac ſcriptum præſens per Præſidentem Deputatorum Militarium offerendum, manu propria ſubſcribere S. R. M. dignabitur.

Sic Ius datum Sceleri & quos in actu Legibus damnato veterrima inſtituta pro hoſtibus Patriæ judicaverant, jam tum ex Mammona iniquitatis facere Amicos oportuit: in formulas iſtas Tractatuum, ſeu ut nunc vocant Capitulationes, deſcendendo velut cum paribus.

A. M. D. G.

ANNA-

ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTERIS TERTII, REGNANTE JOANNE CASIMIRO, LIBER II.

Elenchus Contentorum.

REx Caſimirus hyemem Leopoli tranſigit, Status Vkraynæcis Boryſtenianæ ſat turbulentus; Georgius Chmielnicki Monaſticen profitetur; Quo ſubducto Coſaci, Teteram ſibi in Præfectum eligunt; Is à Rege confirmatur; Trans Boryſtenem potentia Moſchi inualeſcit; Commiſſarij Wolborio reduces, Aulam de tranſactione cum Nexu informant. Deputati Militares Leopoli comparent; Noua turbarum fax Labęta Commilito; Aduentus Moſchi Internuntij, etiam ab Hano Crimenſi alter; Cohortium Deputati Regem adeunt petunias numerari poſtulantes; Quibus negatis Vrbe excedunt. Regni Primas A. CH. 1663.

Primas Nexui anathema denuntiat. Colonelli Giſſæ tragicus exitus. Sacer Nexus Statiuis mouens, apud Zawichoſtum metatur. Hic iterum motus; unde tàm Regij quàm Confœderati acies pugnaturi inſtruunt; donec interuentu Procerum conflictus dirimeretur. Solidariæ Officinæ mandato Commiſſionis aperiuntur. Stipendia militi tandem ſoluuntur; Nexus tollitur & exſpirat, conceſſibili Amneſtia. Cæſaris ad Regem Legatio. In Lubomirſcium Mareſchallum Aulæ offenſæ, recrudeſcunt. Exautorantur veteranæ Cohortes, reſumente Majore Duce in Militem imperium, Tum demum Rex in Vkraynam mouet. Hungaricorum motuùm mentio. Nexus Lithua: pacatur, Scythæ in Moſchum noſtris junguntur. Rex Boryſtenem traijcit; Iudæi blaſphemi pœna; A noſtris ditionum Moſchi populatio. Hinc utringz clades, majore hoſtium jactura, ubi ipſam propè Moſchuam inſtitutæ excurſiones. Rex locato in reſpirium Exercitu Mohilouiæ ſubſiſtit, quæ fortuito incendio majori parte conflagrat.

Annus eſt 1663.

CVm elapſo Anno, vetera Reipubl: turbamenta haud quieverê, etiam poſt operoſam Wolborenſis Tractatus pacificationem; quæ non omnino probata Principi, arma in hoſticum deſtinanti; cum bellum requirat Militem, Miles ſolutionem, ſolutio Nummos; iſtis vel ſua rotunditate volubilibus, vel prava tractatione perperàm diſpenſatis. Zołkwæ Sobieſciano Oppido Feſta Natalitiorum Chriſti exegerat Rex, cum Ludovica Regina; ab loci Domino Regni Vexillifero regali hoſpitio acceptus tractatuſq; magnificè; donec tranſacta ſolennitate ad Calendas Ianuarij Leopolim retroverteret. Erant quippè quæ præſentiam Regis iſthìc exigerent, cum & Wolborio reduces Commiſſarij, tranſacti cum Exercitu negotij, rationes reddituri eſſent; & ab Vkrayna crebro miſsi quâ exploratores quâ Nuntij, ſciſſos gravibus diſsidijs Coſacos, de Præfectura inter ſe contendentes, etiam inter atram Plebem (Czern nuncupatam) turbida omnia afferrent.

Rex Zołkwæ hoſpitatur.

Motus Vkraynæ.

Ab Hadziacenſi Commiſsione, ordinatis Vkraynæ rebus, ſat conſultum internæ eius Provinciæ tranquillitati videri potuit, dato qui Regis nomine præſideret Popularibus, ſub titulo armorum Præfecti; Minores Magiſtratus ut ex ſe crearent permiſsi, Coſaci; etiam prærogativam & decora Nobilitatis conſecuti: niſi Plebs veteri licentiæ aſſueta, magiſq; priſtini in Lachos odij, quàm præſentis in ſe favoris memor, etiam nunc pro uno eoq; naturali Principe, toto Orbe plures, Dominos, & quidem aperta hoſtilitate nobis infeſtiſſimos,

1663.

ſimos, quæſierit. Huic, Petrus Doroſz cum ſequacibus, Portæ Ottomanicæ patrocinium inſinuabat; vel ipſa virium potentia & Clientelæ ſecuritate perſuaſibile; Transboryſteniani, & magna pars citerioris ripæ Coſaci. quorum Caput Sierko ac Brzuchowiecki, communium Sacrorum reſpectu; Moſcho favebant; vel quòd is indulgentiùs habita Plebe, frenum tantiſper ſuſpenſa manu tractaret, vel munitiora Vkraynæ loca impoſitis præſidijs tenens, contra ſtimulum calcitrantes ad obſequium facilè reducere poſſet. Reſpiciebat ad Polonum Regem vix aliquis, ac quamvis Ioannes Wychowski Præfectus, ad debitum obſequium duceret populares in ſpecem; etiam Cohortes cum Thoma Chłopicki ac Ielski in Vkrayna hybernantes, Regiarum partium ſequacibus præſidio ac tutelæ eſſent, nihilo tamen in officio & fide erga Poloniam continebantur magis, quàm metu & reverentia Hani Crimenſis; omnes quicunq; Moſcho addicti, Hoſtium loco reputantis, & tractantis. Irritabat etiam Scythas, infeſtus ijs Sierko, qui Zaporovianas in Inſulas delatus, crebriuſq; Tauricam furtivis laceſſens incurſibus, plurimum negotij faceſſebat genti, in illa præſertim Hyppanis ac Tyræ interamni ditione; quæ nunc recepto vocabulo Budźiaki dicitur. Evilverat quin etiam tractu temporis, priſtina Wyhovij apud Coſacos auctoritas, quem à principio belli indivulſum Bohdano Chmielnicio comitem, imò conſiliorum omnium temulenti hominis moderatorem meminerant; vel quòd breves populi amores ſunt, vel quòd è gremio ſui, in curia Polona ad gradum Senatoriæ dignitatis ſublimatum, parùm æquis oculis intuerentur. Vnde rurſus ad Georgium Chmielnicki Bohdani filium in eo ſortem priorem, & licentiam habituri, regimen ſui detulerant. Sed non pro voto illis reſpondit Filius, multum Patri diſsimilis; Czudnovienſi maximè prælio fractus; ut planè tunc ſolenni ſe voto obſtrinxerit, ubi opportunum tempus, abdicato ſæculo, Cucullum induendi. Quod conſilium tantiſper dilatum aut cælatum, jam nunc reſumere placuit; ſeu tædio rerum humanarum, ac gentis mutabilitate perſpecta, ſeu impendentis belli metu, quod à Polonis in Moſchum propediem appararetur. Diſtat haud procul Corſunio Baſilrani inſtituti Cænobium, hic ille antequam nomen inter Monachos profitetur, Tribunos ac potiores Coſacorum, olim Patri & ſibi fidos, apud Olſzanicam more gentis convocat; præfatus Magnis de rebus actu-rum, imò ad ſalutem & integritatem totius Vkraynæ pertinentibus. Quò dum Primores frequentiſsimi confluunt, ille commemoratis obiter Patris Bohdani in Coſacos meritis, de ſe quòd ſimilia præſtare ætate minor & fortuna nequiret, hùc demum flexit, ut patrocinium

Motus autor Doroſſ.

Coſaci Scythas infeſtant.

Georgio Chmielnicio fauent.

Georgius Monachū agit.

Prius potiores Coſacorū convocat.

1663. nium Turcæ, legitimo Imperio præferre (si vera fama) non erubuerit. Demum velut concludens vale Cosacis dixit, exposito tranquillioris vitæ studio, ac rectius sub regulari disciplina, ad æternitatem animo componendo. Dissonæ ad hæc Cosacorum voces, alijs florentis ævi, ac in ipso fortunæ procinctu abdicati Sæculi miserescentibus; alijs ut sunt procacia Plebis ingenia dicentem obturbantibus, iret quò vellet affectum in populares exuens? ac quoniam ferrea casside nollet, imbelli caputio cum Deo bono tegererur? inventuros alium qui affectu & Vestigia firmiore rem Cosacorum adjutam vellet? Nec diutius improperia ferens, soluta concione, protinùs anno præsenti die Epiphaniarum (quæ apud Græco-Russos ad superstitionem solemnis) cænobio se inclusit, ubi suscepto habitu Religioso ex Georgio, nomen Gesconis adeptus est. Sic ijt famosi Incendiarij Poloniæ Virilis soboles, religiosæ vitæ simulatione, rerum ac fortunæ mutationi occursura. Sed quis adeo sagax aut industrius, ut instabilem vicissitudinis humanæ Sphæram eluderet? Etiam Gescon iste, ex Claustro in ergastulum trusus, ex carcere dein in Campum ducetur, ac ne quid absolutæ Tragædiæ deforet, pro Cucullo, purpura ac fascibus gravis, ab hoste Christianitatis in Principem Russiæ sublimabitur.

Et intentionem suam ijs exponit.

Cosaci Ducem eligũt

Subducto ad vitam claustralem Georgio, quæsitus statim Cosacis anxiè qui Præfecturæ Zaporozienſis regimen susciperet? etiam tum manente popularis Electionis vestigio, & obstinatis adversus imperia alterius Cosacis, nisi quem ipsi sibi surrogassent. Nec erant extra ambitum pleriq; Potiorum, quos tamen respectus & merita Wykovij aliquatenus continebant, donec comperto id muneris ad curulem Senatoriam evectum aspernari, indicto gentis Comitio Czechryniæ, ad tradendum uni ex suis Regimen Exercitûs Zaporozienſis Tribuni convenêre. Primas tenebat Ioannes Neczaius ex capite vxoris commendatus, cui Stephanida Chmielnicia Bohdani Filia denupserat; sed is morosa senecta invalidus, & contemptibilis: alter ab eo Paulus Tetera in Subsilvano tractu natus, partim literis quibus à teneris vacavit, partim peregrinationibus civilior, (bis namq; à Bohdano missus Constantinopolim) ac innata quadam in rebus gerendis dexteritate, studia gentis proliciebat. Etiam huic proderat Helenam Chmielniciam itidem Bohdani Filiam sibi Toro junxisse; quæ Danielis Wychovij Vidua, respectum sui apud populares, sed & opes paternas, prioriſq; Conjugis solertiâ comparatas, novo Marito adjungeret. Hâc machinâ superatis æmulis, & velut adjecto lanci pondere certare imparibus, Tetera in Ducem Exercitus Zaporozienſis Cosacorum suffragijs eligitur, quanquam solito ambien-

Paulũ Tetere Chmielniciæ Virũ.

ambientium more, appetendo recusans. Tum verò Tribuni delatum regimen inconditis vocibus Teteræ gratulati, elatumq; in sella è conclavi socijs monstrant, sursum attollentes; Populo ratificandæ Electioni in Ducem pileos injiciente, quibus nisi subductus obrui posset. Ille vicissim in vestibulo ædis, affatim se videndum præbet, & pro veteri more Potiores largitione demulcet, aliquâ æris signati in populum sparsim jactâ pecuniâ, ac quod illis summè placet, largiore vini adusti congiario dignatur. Potioris tunc inter Cosacos Nominis & dignationis erant, supra memoratus Neczaius, Isidorus Karpenko, Gregorius Leśnicki, Bohdano olim intima familiaritate fidus, Michael Hanenko, Eustachius Hohul, Samuel Zarudny Iudex Militaris, Gregorius Hulanicki, Stephanus Iachowski Tribuni, ac cum Kulka Curruum Præfecto Sierkones ambo, (quanquam isti perpetuo Scythis infensi odio, exinde subjectionem Poloni Regis aversabantur) Itaq; novus Dux Zaporozienſis ad Regem delegat, qui nuntiarent; Orbos Cosacos Duce, & necessario destitui regimine; ubi unus spretis sæculi fascibus inter Monachos attonderi maluerit, alter ad consessum Curiæ Senatorum Regni admissus, tanquam, proletarium manus regendi Exercitus Zaporoviani fastidiret. Per hos explorato sensu Aulæ, non usq; à Tetera aversæ, uti qui obita legatione ad Regem, à Cosacis aliquoties missus, specimen sui exhibuerat: idemq; tàm Crediti quàm Depositi nomine apud Samuelem Leſczynski Castrorum Regni Præfectum, summas notabiles constituens, exhiberet duraturæ in Patriam fidei Vadimonium. Hic testando in Regem obsequio, Gregorium Hulanicki per Natales Nobilem, & si pridem Cosacis aggregatum Leopolim misit, per quem Zaporozienſis Præfecturæ onus reluctanti sibi impositum questus, non aliter, nisi de toto & in solidum subjectionem populares sui Serenissimo Regi, uti legitimo & naturali Domino præstant, tunc demum suscipiendum professus. Multa Hulanicius in Regis Consilio retulerat, de nutantibus Cosacorum in Moschum studijs, deq; facili eâ Orbis plagâ, victoriarum messe, modo veniret Rex armatus, quæ tamen magis ad placitum bellum volenti Regi dicebantur, quod pòst exitus comprobavit. Præfecturam itaq; Teteræ Rex assensu suo firmans, speciali Diplomate ratam habuit, mox delegaturus in Vkraynam Commissarios, quibus jus esset obstringendi super fidelitatem Regi præstandam, Vkraynæ Populos, tum si quæ inter ipsos controversa essent, arbitrorum Iure decidendi. Præcipuè sopiendo pro Collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum dissidio, ubi, neglecto Patronatus Regij Iure, ut quisq; potentior bona Ecclesiarum raperet, distraheretve.

1663. *Ritus eligendi Ducis Cosacis.*

Tetera ad Reg: Legatio.

Ad Regem testãda Fides mittit.

Rex Præfecturã Teterã confirmat.

1663. *Moschorū in Ukrayna potentia.*

Moſchorum interim potentia turbis noſtris revaleſcebat, quâ per totam Vkraynam inſtauratis Militum delectibus, & undiq; ad bellum Martia ſupellectile conquiſita, quâ emunitis paſsim Arcaſus, ac præter rem Armamentariam omnigeno commeatu è vicinis Provincijs Boryſtenis beneficio convecto inſtructis. Trans Flumen attendebat rebus Ramadanowski Dux veteranus, ſub Palatini nomine, Vicaria cura Samczenko Tribuno Coſacorum delata; qui dudum Militaribus experimentis probatus, etiam popularium favore fretus velut debitum ſibi honorem uſurpabat. Vnde novas res moliri (verè ne an falſò?) delatus, mox Præfecturâ decedere juſſus, ſubſtituto in locum Brzuchowieccio: demum velut ſeceſſum à partibus moliretur, ſqualido carcere detentus, tandem & immiſſo percuſſore obtruncatus eſt. XXX. Mill: Peditum Fortalitijs incluſa tenebantur, Stipendium Mag: Duce, annonam ſuppeditante Vkrayna; complebant XXXX. Millium numerum Coſaci, bello apti, & partibus fidi; renovato quotannis in Nomen Moſchi Ducis fidelitatis Iuramento. Ac quo Populus in licentiam pronior firmius retineretur indulgentiâ; multum de priſtino rigore Moſchi remiſerant, levi pæna coercitis ſceleribus, ſi modò integrum manet obſequium; non Exactionibus graves, non rapinis moleſti, imò commercijs ac rerum venalium lucroſa ſuppeditatione commodi, & quæ aliæ artes continendi in Officio vulgi pro freno politico habentur. Ad hæc cum Sacra communia utroſq; necterent, Nominis Poloni memoria illis in locis exoleſcebat facile, manente odio, & inviſa armorum Scythicorum nobiſcum ſocietate.

Vires & præſidia Moſch: per Ukraynam

Tractatus Wolborien ſis displicet

Leopoli interim ampla conſurgebat curarum an turbarum meſſis? in Conſilio Regis ventilato Wolborienſi Tractatu; ac redargutis eo nomine qui miſsi erant, ſupra modum luculenta quæ præſtare impoſsibile conceſsiſſe; & nimium largos quam peculium Reip: ſufficeret, paratos Milliones expendiſſe. Quod ſi defuit circumſpectio & parſimonia in publico Ære diſpenſando, adſit conſequens eſt, in exolvendis promiſsis cura & Nummorum conquiſitio. Multùm quippè indignatus Rex, nec offenſæ celans, ob excluſos à Tractatu Militiæ Duces, irrogatam Majeſtati contumeliam præſetulit: unde acerbiùs accepti, qui de negotio tranſacto referebant, nihil in excuſandum habuerê, donec ira deferueſcit, tutius ſilentio. Sed nec iſto ſat defendi poterant, cum Prazmovius Cancellarius, examinatis ſingulatìm articulis, ſervilem eam Pactionem diceret, ac plurimum dignitati & Iuribus Majeſtatis derogantem; ſimul Czarnecius Ruſsiæ Palatinus ad eam indignitatem Rempub: delabi queſtus, acerrimè in Militis indiſciplinati pervicaciam inveheretur. Et certè pro

1663. *In Delegatos Aulæ fremit.*

Gratulatio Militaris non admiſſa ad Regem.

tè pro bono opere prolixius vapulaſſent Delegati, niſi primi eius Tractatus cooperatoris Cujavienſis Epiſcopi auctoritas, & intemerata fides omni exceptione major, ab imputata levitate protexiſſet. Etiam Deputatos Militares perſtrinxit, quòd cum ſolita Novi Anni gratulatione Regem adeuntes, ſequioris valetudinis prætextu excluſi arcerentur: facili conjecturâ quid ultra ſperandum, quid metuendum eſſet? præſertim pateſcentibus Aulæ conſilijs, quæ ad terrorem inſtituta, haud perinde celabantur. Itaq; Stubam Commiſſorialem adierant, iſti ſuper Tractatus Wolborienſis executione reſolvi poſtulantes; haud iniquam accelerandi negotij cauſam aſsignando, ſuam primo egeſtatem, dein omnium victualium inſurgentem Leopoli cariſtiam, quibus malis niſi digreſſu ex loco, aut præſenti exhibitione Nummorum occurri poſſet. Certè in tanto hominum concurſu, atterebatur nimiſquam Annona, inſurgebatqué omnium penuria, ut buccella Panis ſeduplici drachma conſtans, malè unius ſtomachi famem depelleret. Vnde præter Stipatorum Legionem, (corporis Regij vocant) retentam Tria Millia Legionariorum, à Vallis & Portarum cuſtodia ſubducta, extra Vrbem aſsignatis hoſpitijs, tàm Civibus alere, quàm & Confœderatis contrarios & minaces aſpicere, permoleſtum erat. Mox ex inedia graſſantibus morbis, lue præcipuè epidemica, quâ major pars Peditatus, inter hyemis acrimoniam, aut alimenti defectum interijt.

Præſidium Urbis minuitur.

Łabeta turbat.

Leviora hæc, & vix in tanto mortalium confluxu ſenſibilia, niſi majoribus viam aperirent minora, & quod fermè accidit, egeſtatem facerent inimicam virtuti. Siquidem Łabęta ex Legione Camenecenſi, Cohortis Venatoris Podoliæ Commilito, Vir inquies & ad nova promptus, nactus ex Regijs qui in id rei ſolicitarent, receperat in ſe negotium, Legionem ſuam à Nexu ſubducendi; imò & aliquot Militarium pluriès de inopia & ſeſsione urbica queſtos audiens, ſpem concepit, ſi pretium receſſus in parato datur, Regijs partibus pleroſq; adjungendi. Nec diu, cum pecunia inſtructus largiùs vivere, ac pro Contubernalibus crebriora convivia inſtruere cæpit, cui nudius tertius comparandis alimentis, vix obulus ſuperarat. Sic inter egentes contubernium erigens, haud obſcurè inter pocula jactabat; *Miſeriæ & egeſtati Potiorum ſe finem imponere velle, ſi modo pro unius Cohortis Tergidue Swiderſcio, legitimo Principi debitum obſequium, præſtant, & præſentem emeritorum aſſium ſolutionem, ſpei diuturnæ præferre maluerint.* Convincebat corruptum in eadem Legione Grodecius Optio, eadem ſentiens & jactans; inſuper ex indicibus cognitum, datam Łabętæ ex Theſauro pecuniam, quanquam incerta largitionis cauſa, & quantitate.

Contra Nexū inſurgens.

Haud

1663. Haud mora Bieykovius inito cum ſuis Conſilio amicè vocatum, ſed comparere renuentem, per ſubmiſſos capit, ac è ſuburbio in Vrbem conductum Militari cuſtodiæ tradit, donec lis inſtrueretur, ſtricti Iuris Proceſſu damnaturus, ſua ipſius confeſsione prævaricationis ac perjurij reum. Vna reſtabat definitivæ ſententiæ Executio; cum re ad Principem delata. *Imò verò (inquit Rex) expectandum nobis, donec excitato in foro pegmate, publicum Militis noſtri ſupplicium intueamur, vel è regione feneſtræ erecta patibularia Furca, frangatur gula laqueo, hoc ſolo nocenti, quod diutiùs perfidus nobis eſſe noluerit*, ac confeſtim in Prætorium miſsi, qui iniquam & nullo Iure, ne prætextu quidem, in innoxium manus injectionem, publicis Tabulis teſtatam facerent. Iuſſo ſimul Ioanne Branicki Curiæ Marſchallo, pro muneris ratione, Deputatis Militaribus Regis nomine obnuntiare, niſi à tam immani & pluſquam barbara ferocia, cum intolerabili Regiæ Majeſtatis deſpectu conjuncta, deſiſtunt; pro uno pilo præjudicioſè carcerati Łabętæ, vocata ad legitimum Iudicem cauſa, caput pro capite, & Sanguinem pro ſanguine repenſuros. Equidem audax facinus erat, & apud quoſvis quibus vel mica rationis, ad omnem poſteritatem culpabilis auſus, ſub latere Regis injecta manu capi & ſententiari Nobilem, eiuſdem meriti & ordinis commilitonem, à ſibi paribus; quod magis, indemnem, inauditum, cum ne Regi quidem qui ſupremam poteſtatem exercet, captivare quemquam liceat niſi Iurevictum: imo ne Magiſtratus Civilis paſſurus eſſet, in benè ordinata Vrbe metas Iuriſdictionis ſuæ violari. Hic ſub præſentia Regis, cui ſummum jus Gladij competit, in conſpectu Tribunalis Commiſſariorum, faciem totius Reipubl: repræſentantis; in oculis Ducum quibus diſciplinæ Militaris crediti faſces; rapi & trudi in ergaſtula innoxios, prorſus intolerabile: ab ijs vel maximè qui legibus nocentes ipſi, & damnati, eaſdem pænas quas irrogant dudum promeruerint, niſi faſcinus aliquis tolerandum malum perſuaderet, aut ipſius Regis nimia propter bonum pacis indulgentia pateretur. Et Lithuanos quidem in Duce ac Theſauri Præfecto, primum barbaræ crudelitatis gradum adornaſſe, pari proſcænio & Polonum Militem agere velle, qui nullo jure & ſumma injuria in Capita parium, imò ex intemerata fide ſibi præferendorum, graſſari pergat, enormi Majeſtati contumelia, & Commiſsionis turbamento. Etiam Rex multiplicatis ante Palatium excubijs, Vrbis Portas occludi præceperat, interea Deputatorum hoſpitijs armatâ cuſtodiâ ſeptis, Bieykovij præcipuè, apud quem Łabęta in detentione ſemi libera manſit, donec intermiſſa tantiſpèr puniendi cura brevi ſolveretur.

Capitur à Præſidẽte.

Quod Rex ægre fert.

Atrocitas facti expenditur.

Inter

1663. Inter hæc, Moſchorum Ducis alter Nuntius, Ophanaſius Laurentowicz Leopolim venit, quanquam mandaverat Rex Grodnæ diſtinendum, domeſticis in anteceſſum ſopiendis controverſijs; quia tamen obliquo itinere ductus Breſtia Lithuanorum hùc contendit, ab errantibus qui diſtinerent, vel ipſo ſatius regreſſum, quàm moram paſſurum oſtendente, admiſſus in Vrbem, ac pro charactere Magni Legati tractatus eſt. Supra centum Equites comitabantur, omnes Togis pictis & verſicoloribus induti, quibus arrecta collaria Lapidibus pretioſis ac exquiſitis unionibus radiarent. Par ornatus Equorum, niſi quod humiles iſti, aut longinquitate itinerum fracti & marcidi, majori pretio ornarentur, quàm conſtarent. Legatus forma ac ſtatura virili, Rheda vehebatur, tergum claudentibus onerarijs Curribus, quorum plerìq; ſarcinas Legati, major pars res promercales veheret, leviore Theloneo ſub Legationis patrocinio venum exponendas. Commiſsi qui Fiduciarias Literas (credentiam vocant) inſpicerent, advertentes præcipuum Controverſiæ caput, ſcilicet Titulum Magni Ducis Lithuaniæ priore miſſu denegatum tribui, facili conjectura ducti diſſerebant, non ſimulatè pro Pace acturum, qui ſubductos ante titulos ſponte jam reſtitueret, etiam armis invaſas ditiones veteri eoq; Legitimo Domino haud denegaturus eſſet. Addebat momentum Perſonæ qualitas, qui diverſas apud gentes verſatus (quod apud Moſchos rarum) linguarumq; exoticarum intelligens, Legationis autoritatem induſtriè retinuit, pro gentis indole cunctabunda dum feſtinat, feſtinante dum cunctatur. Nam demonſtrato circumſcriptum ſe temporis intervallo, quo aut conficienda Pax, aut ſibi in Moſchuam remigrandum foret, huc traxit Collocutores noſtros, ut viciſsim pacis Chriſtianæ cupidos ſe monſtrantes, ad eam conficiendam, facilè duci ſe per compendium faterentur. Ad quæ Moſchus altum ſuſpirans, ac Deo teſte Moſchoviæ Ducem ſimilia flagrantiſsimè velle obtendens; ſubmiſsè rogavit, uti ſublatis ambagibus, de modo & conditione in perpetuum ſtabiliendæ Pacis, cathegoricè (quod ajunt) Poloni ediſſererent. Ex conſenſu itaq; Collegarum efferre juſſus Referendarius Lithuaniæ Brzoſtovius, ad Moſchum infit. *Pax abeuntis ſæculo Chriſti donum, Pax una Triumphis innumeris potior; etiam nobis cordi eſt, uti præcipuum generis humani bonum: ſed ita ſi per injurium avulſæ Regno & Mag: Duc: Lith: ditiones reſtituuntur, illata damna ſarciuntur, & unicuiq; quod ſuum eſt redditur: nec aliter inter utraſq; Gentes ſtabiliri Pacem, non amicitiam coaleſcere poſſe.* Ad ea Legatus caput ſcalpere, alterari, ac renutu diſſenſum monſtrare; donec conceſſo ad deliberandum ſpatio, nihil ſe eâ ſuper re in Mandatis

1663. Moſchi Internũtius alter adeſt

Comitatu & ingreſſu ſplendido.

Eius cum noſtris Col. loquium.

1663. à Mag: Duce ſuo accepiſſe reſpondit, nec integrum ſibi ad impertinentia delabi. Id tamen tranſmittere nolle, non adeò Viribus de-

Reſtitutio ablatorũ. ſtitutum Magnum Moſchoviæ Ducem, Principem Septemtrionis po-

Diverſa Moſchus obtrudit. tentiſsimum, ut quæ fortunæ arbitrio ac armorum vi obtinuerit, amica pactione aut tractatibus perdere debeat. Quia tamen is comperit premi vos Ærarij anguſtiâ, ſuccurret enimverò neceſsitati, & quas immenſas poſsidet in parato opes, ſi modò amicos agitis, largâ manu ſubminiſtrabit. Et hæc fuit prima tentatio, quâ Moſchus in avulſis à Regno Poloniæ Provincijs poſſeſsionem alio modo firmare ſatagebat; ſcilicet emere intendens, quod nec prætextu Iuris, nec armorum vi retinere potuiſſet. Sanè prima fronte pudefecit ea Polonos ſervilis negotiationis oblata mentio; aſt deterſit ſenſim, vel procax licitator ruborem, vel præſens neceſsitas verecundiam, infrà poſuit deniq; Patriæ amorem, privati lucri ſtudium, & ſua unicuiq; utilitas. Quo reſponſo dimiſſus tunc Internuntius in abſcondito habitum; ſequentibus annis propudioſa Provinciarum Regni alienatio demum in Contractum maturuit; unde malè concors vicinus, Dominium & potentiam ampliavit, quod in hanc diem nobis damno, & rubori eſt.

Dilata ſolutione Deputati Vrbe abituri Evolvebatur ſub hæc inter mutuas controverſias præfinitum Tractatu Wolborienſi ſolutioni Militari ſpatium jam ad medium Martij Menſis protractum, unde habito Deputati Conſilio, abitum ex Vrbe unanimi conſenſu decernunt, ac quo legitima diſceſsio foret, adita prius Commiſsione, expoſitiſque neceſſarij abitûs rationibus, tum demum convaſatis rebus Regi valedicturi. Nec mora, poſt multas ultro citroq; diſceptationes, primùm emiſſo in publicum ſcripto, undequaq; eluſos ſe, & contra obligatam Iuramento fidem, Wolborienſem Tractatum irritum haberi peracerbè quæruntur; mox in viam accincti ante Palatium Regis, in Ædibus Archiepiſcopi tunc hoſpitantis ſe ſiſtunt, ubi ægrè impetrato aditu, per Præſidentem Bieykovium valedicunt Principi, ſervatæ Patriæ decus, & impenſi bono publico ſanguinis, inſuper illibata fide cultæ Majeſtatis obſervantiam memorantes: ubi verò nec æquitatis

Regi valedicunt. ratio; nec diuturna patienia ad ſatisfaciendum inclinat, & Tributa Provinciarum non in eum in quem Comitiali ſancito deſtinata uſum vertuntur; ampliùs inutiles & ſibi graves in Vrbe moras trahere nolle, ſed ad Signa dum redeunt, pro Fidelium Subditorum more, ad ima ſubſelia pedum proſtrati, Sac: Reg: Maj: Dño S. Cl: valedicere. Hic Princeps benè ſemper erga Militem affectus, & multiplicibus præliorum experimentis virtutis memor, ad mitiora inclinare, vix lachrimis temperans, oſtendit; niſi Sigillorum Præſides confeſtim

confeſtim ſuaderent expediendos, ac eo onere relevandam Leopolim, vel gravi alimentorum cariſtiæ, exactâ conſumentium turbâ conſulendo. Enimvèro Caſimirus, cur non convectas in parato reciperent pecunias, ac mox convehendas expectarent, quæſivit? Cui aliquis ex Militaribus: Theſaurus (inquit) mali nominis creditor eſt, multa promittit nihil præſtat: mox reliquorum inſurgente murmure, ad Cancellarium reſponſum tranſmiſit. Qui ſilentio facto. *Hùc recidiſſe infelici aſtro Poloni Exercitus gloriam (dixit) ut non modò velut degeneres auitæ virtutis pulli, Caſtra & fas obſequij inemaculabili probro deſeruerint; ſed etiam in Vrbe Regia, vidente à proximo limite & ſtupente Hoſte, paſſim turbulenti & minaces, ad Regias ædes concurrant. Dicite amabo? quæ ſideratio limphauit animos, aut unde hæc mentium labes irrepſit? valedicimus (inquit) Principi. Sed quorſum turmatim tnuolatis Palatium, qui ſemper præfinito numero, deſideria Veſtra ferebatis ad Regem? ubi debita Majeſtatis reuerentia? & in Vicariam Dei poteſtatem obſeruantiæ cultus? poſtquam ſemel fas obſequij exuiſtis, deſtituimini Militari modeſtia, ſoliti ſemper poſt tertios poſtes reſponſa Principis præſtolari, qui nunc profano pede teritis limen Sacratioris penetralis? Sed liberatæ Patriæ meritum jactatis? Facitis enimvèro ut naufragus ille, qui prehenſo nauis tabulato fluctibus ſe eripiens, beneficium ſubmerſuræ Naui præſtitum memorabat; ſimiliter Vos niſi Dei beneficio ſalua Patria eſſet, omninò perituri? Adijcitis fidei in Principem ſpecimina? Quæ illa tàm inſignia, & ferreo ſtylo ad poſteritatem inſcripta? ut ea vel ſola violatæ fidei macula, & ab obedientia Principis receſſus, penitus non deleuerit? Stipendia non ſoluta querimini? ipſi Retentorum cauſa & occaſio. Poſtquam immenſis Hybernis ditiones Regni diuexaſtis, circuitibus & rapinis Prouincias exhauſiſtis, ſequeſtratis bonis Reip: quominus ex cenſu Herili Colonis ſubueniretur impedijſtis; ac ut uno verbo abſoluam, ex depauperato Regno generale quoddam Noſocomium feciſtis. Dehinc abitum ex urbe adornatis? credo reuolare in nidum licentiæ libido tenet, & poſtquam intima Reip: conſilia introſpecta Vobis, connectere Nexum firmiùs quàm diſſoluere mavultis. Ajunt ab Tarantula angue morſu læſum, non aliter perſanari poſſe, quàm admota Muſica, & placita reptili Symphonia. Equidem quos non modulantium ſonos Reſpubl: tentauit, Vobis ad meliorem frugem reducendis, & ab hoc morſu ſtupefactos ſanandi: cui Ciuilia remedia dum nihil in ſummam proficiunt, aderunt juſto vindice Deo acriora, quibus tandem in ordinem redigamini &c.* Accepere illi triſti ſilentio reſponſum, verborum acrimoniam, concepto dudum Prazmovij in Militares odio imputantes: ſed quia finis ſermonis cum Dominante gratias agere, reverenter valedicto Principe, Palatio exceſſêre.

Cancellarius reſpõdet.

1663.

1663.

Łabeta liberatur ereptus Confæd.

Quorum Currus dum Porta Halicienſi Vrbe exeunt, emiſsis pleriq́ſ; mox penſili ponte ſubducto ſiſtuntur reliqui, donec per globum Excubitorum vi facta, Łabęta ille nuperi tumultus occaſio, ut erat compedibus vinctus, è Covino ſubducitur, in libertatem aſſerendus. Et quamvis ſervitia Militaria non impigrè vim repellerent, ac curribus ducendis commilito impoſitus, è manuali ſclopo in Excubitorem ejacularetur, prævaluêre nihilominus Regij, vel ipſa loci anguſtia, vulneratiſque aliquòt primo congreſſu Lixis, ubi captivum eripuerant, tum demum curribus reliquis iter, patula Porta conceſſêre. Facto laudis Criminationiſq́; ambiguo, cum ut æquum erat adverſus opprimentes protegere innoxium; ſic velut ex inſidijs prædam excutere non planè Heroicum: quanquam non deerant, qui nullo Regis mandato, ſed Excubitorum privato auſu datas Łabętæ vindicias, aſſeverarent.

Aula, alia mox conſiliare ſumit

Aula interim deliberavit quid facto opus? cum penitus ad extraordinaria media verti omnes cenſerent. Nempe pium Nexum undecunq́; conquiſitis delectibus augendum; Legiones Pedeſtres S. R. M. fidas, ſed per injuriam à partitione Hybernorum excluſas, in ſuſtentationem, Nummis ex Ærario providendi; Honorarias Procerum Cohortes ad latus Principis convocandi; deniq́; cum nec Paternis ſuæ Majeſtatis monitis, ad infimæ Claſsis ſubditos, ſuaſu Regio ſe demittentis; nec Tribunalis à Republica inſtituti autoritate, convectarum Summarum quantitatem, & retentarum rationes demonſtrantis; non Ærarij deniq́; Numerationem paratæ Pecuniæ offerentis; reſpiciens Miles Confæderatus tantum ſibi licere arbitraretur, ut ſub latere Regis ac præſentia Ducum, quibus de jure competit exceſſuum Militarium cognitio, captivatum in Vrbe, ibidemq́; in carcerem truſum, Commilitonem inaudito planè exemplo Mortis ſententiâ damnaſſet; Mox producere non ſolvere Nexum ſatagens, in quo illis ſine lare, & patrimonio conſtitutis, lautiùs vivere benè placitum: omni æquitate abdicata, eò magis Majeſtatis ac Legum reverentia; poſtpoſita demum & minacium verborum pleni, ad Nexum tanquam omnis licentiæ aſyllum ſeditioſè

Editum revocatorium Militis.

receſſerint, &c. &c. Qui ſi intra Quatuor Septimanas revenire Leopolim negligunt, vi còércendos fore S. R. M. declarat: idque præſentibus univerſalium Literis ad cunctorum notitiam deducit. Simile ſcriptum prodierat à Collegio Commiſſoriali, irriti actus cauſam Sacro Nexui, tum pleraq́; noxij exempli imputando; quæ ſi minus vera eſſent, ſaltìm ſe autoritate Iudicij, & ſubſcriptione Programmatis manu Generalis Exercituum Ducis, eiuſdemq́; Commiſſionis Proto-præſidis tuebantur; quod ſua prolixitas ne de verbo adnecterem, excluſit.

Sic

1663.

Sic caſſum ſolutionis Militem, aliæ mox ærumnæ inveniebant, Primas etenim Regni, poſtquam pluriès requiſierat Swiderſcium, alioſq́; Primores Nexus, de dimittendis è ſequeſtro bonis Spiritualibus, ac pro officio Paſtorali, fulmen Eccleſiæ in uſurpatores ſacrorum redituûm comminatus fuiſſet: ubi parum verba movent, nec monitis promptitudo parendi reſpondet, convocatis Varſaviam Præſulibus, conſultiſque in id rei Theologis, & Canonum peritis; ex unanimi Prælatorum Eccleſiæ ſententia deſtinavit ad Nexum Legationem Wolborium mittendam, & obeundam per Sigiſmundum Czyzowski Suffraganeum tunc Płocenſem, addito Legationis ſocio, Laurentio Szulc Canonico Pułtovienſe; dudum in Curia Romana Terminos Iuris Canonici aſſecuto. Adulto Aprili (die xjx.) Czyzovius Wolborium venit, & poſtquam Magiſtratui Militari à Cætu Præſulum miſſum ſe, & pro ſequeſtratis bonis Eccleſiæ, aut ſatius Patrimonio Chriſti vindicando, acturum expoſuiſſet, publicam audientiam obtinuit, reverentèr acceptus. Quem primò ut in Epiſcopali Palatio ſecum hoſpitaretur petière; ſed eo in Suburbano Prædio ſat commodam manſionem præferente, tandem ad exponendam Legationem ventum, pleno Militarium Circulo: uti qui ad excipiendam irritæ Commiſsionis relationem, frequentiores tunc conveniſſent Wolborium. Vbi patuit quòd audire vellent, his formalibus Legatus cæpit. *Biennium propè euoluitur, ut Eccleſia Dei cum toto Clero ac Sacro Ordine, non tantum ſub tributo gemit: ſed magis cum intolerabili oppreſſæ Eccleſiæ onere luctatur: attamen quod Orbis Polonus agnoſcit, & inclyta Militia fateatur neceſſe eſt; nihil in Paſtorali cura Illuſtriſſimi Primatis Regni, aliorumq́; Præſulum & Compaſtorum, quos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam ſuam, paterno affectu deſideratum eſt. in id omni ſtudio curiſq́; Senatus Spiritualis conuerſis, quominus benemerita Militia efficacem in prætenſo Debito ſortiretur ſatisfactionem. Illa Iuris Regula ad amuſſim unicuiq́; reddere obſeruata, quod ſuum eſt, ac delicto in cælum clamanti amolienda, ubi merces deſeruita operario ſubducitur. In eum finem detracta Templis decora, Altaribus argentum, Miniſtrorum Eccleſiæ reditus ac Sacræ opes, profanum in uſum conuerſæ: acceſsêre Hybernorum inſolitæ Exactiones, grauia ſuprà poſſibilitatem Tributa, etiam Capitum, Deo in ſeruitium addictorum cenſus, ac Redemptio, præter Quinquaginta & amplius Contributiones Agrarias, in finem ſoluendi ſtipendij collectas: ut tandem aliquando prætenſionibus Exercitus fieret ſatis, & Rem: pacatam præſtaremus. Sed parum enixiſſima ſtudia noſtra, nihil refiantis Obuli impendia, imò extrema Incolatus Bonorum Eccleſiæ exinanitio profuêre. Non mitior in Patrimonium Chriſti Miles Polonus,*

Primas Regni, Nexui Excōmunicationem minatur.

Czyzovij ad Nexum ſermo.

1663. *quàm Hostis externus fuit; temporanea ab isto pressura, & modico ærù hostimento redempta quies: grauior à Vobis injuria, qui & Colonos immensis hybernis è pagis exegistis, & Stipem pro qua Altari ministramus, interceptis reditibus subduxistis. Hìc enimuèro Nomine eorum à quibus mittor Pastorum, quærere liceat? Populе meus quid feci tibi, ut mecum pugnes ingratijs? ac execrabili apud Christianos exemplo, hæreditatem inuadas Christi? omni quâ Diuino, quâ Humano lure, imò & Cardinalibus hujus Orthodoxi Regni Legibus inuiolabilem &c. &c.* Confirmabat dein prolixè ex Sacra Scriptura, rerum Deo sacratarum in profanos usus conversionem, non impunè latam Numini, præcipua in lege Moysis comminatione. *Adjungat tibi Dominus pestilentiam, & egestate percuciat Te; tradat te corruentem ante hostes tuos; per viam unam egrediaris contra eos; per septem fugias; & veniant super te omnes maledictiones, donec intereas usq; in sempiternum, quia non seruasti mandata &c.* Fulciebat Canonum Rescriptis, ac Regum Christianorum, imò & Polonorum inhibitivis Legibus, quemvis Ecclesiastici Census attrectatorem, tanquam Sacrilegum puniendum decernentibus; addens plura exempla, vel ex protecta Ecclesia prosperitatis, vel ex oppressa, maledictionis. Vbi verò attonitas religione mentes percelluit Spiritualis apud sacrum Nexum Orator; Conficiebat quominus Catholica Militia, quàm Conservatricem Patriæ, & præsens ætas, & futura necessario fateri debet, *eò benignos Pastores suos adigere nolit, ut quo ore supplices cælo preces & vota fundunt, Diras & maledictiones in usurpatores Panis Ecclesiæ refundere cogantur. Caueant execranda attrectatione Censum Domini detinere, ne fortè Heterodoxi dicant. Deus venerunt Gentes, possederunt Sanctuarium, & polluerunt. Hoc ferrum ad latera appensum, quod olim Majores Vestri sub prælectionem sacri Euangelij euaginabant, pro fide Orthodoxa stringere paratos monstrando, ut in perniciem Patriæ exacuatis absit? satius in Hostium Ceruicibus hebetandum. Nolite quæ Heroica generositas Polonorum est, dum sua repetitis, inuadere alienum. Adextremum tam diuturna ne abutamini, Optimorum Pastorum lenitate & patientia; qui tandem hoc gladio Spirituali accincti,* (& hic in continenti posuit Monitorium authenticum, seu Censuras coram Mareschallo) *in Oues pascuæ suæ nisi emendant aciem ferri utrinq; acuti distringere coguntur. Tamdiu horribilis ictum adhuc detinent Fulminis, mox tamen è fulgetra Ecclesiæ vibrandi, nisi ad hæc Pastoralia Monita tandem resipiscitis; & majore Salutis Animarum, quàm soluendorum Stipendiorum cura, sequestrata Spiritualium Bona reditusq; dimittitis, &c.* Ad hæc mira inter Militares Commotio; altius penetrabant zelosiùs dicta, & Catholica pectora vocem Pa-

Confirmatio Propositionis.

Preces deuiæ.

Comovet anathema milites.

1663. cem Pastorum agnoscendo, sepositа interim ferocia, Oves se meminerant: sed mox Diris Ecclesiæ devovendas, & ab Cvili Christi protinus segregandas. Hinc alij contrahere humeros, fuspiria mittere, complodere manibus, pleriq; & illachrimari: præsertim lecto in Circulo Militari Monitorij textu, quo usurpatores ac bona Ecclesiastica detinentes, à sacris ac fidelium communione segregabantur, indicto Sacramentorum præter Baptismum Iustitio. O claudenda Templa, vetita funera, suspensæ Ceremoniæ, ac solita Cultus Diuini ratio abrogata, & hæc ob injectam bonis Ecclesiæ manum, quæ ab omni ævo immunia, etiam Ethnici Principes sarta tectaq; conservarent. Sanè palàm erat, qui nuper Ablegatos Regios, imò & Duces suos repudiarant, jam nunc velut Wilhelmus ille Aquitanicus, ex Lupis in Oves transformati, ad Pastoralem Ecclesiæ vocem, prorsus mitescerent, & assignatum resipiscentiæ intra quindecim dies Terminum, non nisi ad proximum convocandi legionatim Militi, Circulum postularent prorogari: Itaq; sedato motu, post brevem deliberationem Præsidens Bieykovius tunc Leopoli redux, in eum sensum nomine Exercitus respondit. *Tria ferè sunt, ut ex sermone Illustrissimi Nuntij adnotare licuit, ad quæ punctualiter & simplici veritatis stylo, necessitas respondendi nobis imposita videtur. Faciam ego breuiter, ac quantum a Tropis exercitatæ facundiæ alienus, tantum ad internoscendas veri & justi rationes, me propius adnoturus. Saluam Numinis auxilio, post fortitudine Militari Patriam, quod Illustrissimorum Præsulum Cœtus agnoscat, non ingratum esse virtuti præconium; idq; consequi debuisse, ut fuso sanguini præmia, & debita Septem Annorum meritis satisfactio tribueretur. Alterum quod imputatur depauperatam continuis Exactionibus Rempubl:, & subtracta argentea Altarium supellectile, spoliatas decore suo Ecclesias, & quæ non hostis præstitisset, eâ Statum Spiritualem ab Ortodoxo Exercitu affici injuria: Quam minùs æqua postulatio sit apertissimè liquet, nec imputata labis ullatenùs reum ne imaginativè quidem argui posse Exercitum. Tribus Anni Quartualibus, ad extremi assis jacturam Leopoli commorati, subductum è Templis Argentum, quis acceperit solicitè vestigauimus? liberorum capitum censum & prætium, quominus in partem Stipendij cederet allaborauimus? intertrimenta Fisci & publicarum Pecuniarum abusum, quantum in nobis vetuimus? quomodo verò ex non accepto damnamur, quod ex dato utriq; in licitum & calculum transiisset? Tertium est, ob prehensos sequestro Templorum reditus, accusamur? sanè si defensores, Ecclesia, & ab hoste vindices nos agnoscit, eadem quoq; in partem gratitudinis ac recompensæ jure venire debuerat. Sed non eo animo bona Ecclesiarum prehendimus, ut uti frueremur, sed donec*

Qui Terminū prorogari petunt.

Respondet Legato Bieykovius

satis fit

1663 *satisfit in Depositum consignata retinemus. Quemadmodum verò Ordinarius fluminis cursus, non sistitur sed attollitur in usum molendini deriuandus, aliter irrito & contra Naturam conatu elementum supprimendi; sic nobis inhibito tantisper redituum Spiritualium usufructu, faciliorem forè credidimus debiti assis repetitionem, de toto & in solidum reddendam, quàm stitimus Ecclesiarum pensione. Rectiùs ergo in istos publici Ærìs auersores, hic Spiritualis gladius stringendus esset, non in emeritos Milites, qui vitam & sanguinem pro Fide & Ecclesia fundendo, Religionem à Majoribus acceptam propugnarunt acerrimè, ac etiam nunc vel extremo vitæ impendio tueri certum habent, &c.* Sic acceptus & dimissus honorificè Nuntius, Mareschallo Swiderscio cum Primoribus Militiæ, in viam quod nemini unquam fecerant, deducentibus. Creditum tunc, vel sola Dirarum Ecclesiæ comminatione, plus profeciſſe ad inflectendum Nexum Præsules, quàm diversas artes ac consilia Aulæ, sanè cerebrosa & multiformia: sed ignea illa & violenta, ideoq; magis turbandis rebus, quàm promovendis aptiora. Vnde evidenter tunc constitit, nullo magis moveri mentes animosq; mortalium, quàm admota Religionis Machina, ac Populum veneratione Numinis devinctum, velut freno ad pietatem duci, reddiq; ad imperia morigerum & tractabilem.

Wolborio reoressus Nūtÿ Spir.

Leopoli Cō missio perdurat.

Leopoli interim eius Tribunalis Iudices, haud interrupto Cōmissionis Actu, per universales (ut innui) ad Palatinatus Literas, suam in pacando Nexu sedulitatem declarantes, temerarium recessum Militi imputabant: eo magis inconsultùm factum damnando, quod in ea functione à Repub: sibi delata, constanter S. R. M. adhærentes, quosuis modos & media ad pacandum motum nullo successu pertentârint; deniq; & contumaces invitando, ut seu turmatim, seu viritim mallent, Leopolim regressi, cuncti juxta Calculum cum Thesauro initum, ac Matriculas à Deputatis comprobatas, prætensa Stipendia reciperent, dummodo prævia solutione, Nexui renuntiantes, Regi ad bellum ituro adhærerent indivulsi. Succesit primò, ut ad projectam escam non impromptæ convolarent Aves, sed notabili Ærarij detrimento, cùm Fiscus Expensarum turmalium ignarus, & de toto solvens, magna faceret supererogationis opera, sibi jacturam imputaturus, nisi desisteret. Vnde Iacobus Gissa Legionis Equitum Germanorum (Raytarow) Prazmovij Cancellarij Regni Colonellus, qui nuper vel consensu Legionariorum tractus, vel stipendia promptiùs universis exolvenda ratus, etiam ipse contra enixè dissuadentem Prazmovium, in Sacrum Nexum se cum Legione inseruerat. ast mox consilij pœnitens, & faciliùs in Pio Nexu, quàm in sacro numerari Æra advertens, placato Hero rursus animum mutavit,

Solutio Stipēdiorum Militi offertur.

Gissa Colonellus.

subdu-

subductam notabili sumptu Legionem, in partes Regias traducendo. Sed cùm hîc nullo penitùs autoramento constaret defectio, agnoscereteq; temeratæ fidei probrum; etiam his qui procurassent exprobrantibus, ex fortiori apprehensione atra bili vexatus, in ardentem primo febrem, quam Malignam vocant, dehinc in phrænesim incidens, nulla cura medicæ artis juvabilis, pòst invalescente delirio, exactis qui in cubiculo custodiebant, violentas sibi intulit manus: vir alioquin in conferendis singulari certamine duellis expeditus, homicida factus sui; nisi vehementia morbi excusset; & non ignavo fato cecidisse solatio sit, cui adscripserat aliquis. *Est mala mors fateor, sed generosa tamen.* Probrosiore Primipili eiusdem (Leytnant) Adolphi Mieśicki fine, qui velut errorem Colonelli correcturus, dum rursum ad sacrum Nexum cum Legione revertitur, ob iteratam defectionem Leopoli captus, ac à Militari Iudicio perfidiæ damnatus, ibidemq; nulla cujusquam interpositione valida, laqueo strangulatus interijt. sub ipsum ferme deprecantis Majestatem Nexus adventum: uti tragicum spectaculum, & alienum supplicium, conscijs mentibus ostenderet, quid in simili facto demeruerint. 1963.

Manus sibi infert.

Mieśicki Laqueo strangulatus.

Ineunte vere, recidivum incesit Aulam domesticas pacandi turbas desiderium, quibus nisi in tranquillum deductis, vinctas manus haberet Rex, objectus tàm suorum malevolentiæ, quàm Hostium insultibus. Ergo sepositis iterum extremis, hùc collimatum, uti Primoribus è Senatu accitis, exquirerentur sedandæ tempestatis modi, cum tranquillatione Regni & Majestatis dignitate promovendi. Appellatus per literas eo nomine Primas Leszczynius, tum Episcopi alij, præcipuè Mareschallus Lubomirius; misso insuper in Lithuaniam Ludovico Iewłaszowski Palatino Brzestianense, ac Casimiro Pigłowski Leopolienſe Canonico; quominus bifariam divulsum ejus Gentis Nexum, vel totum in obsequium Reipubl: traherent, vel saltem alterutram Alam Principi lucrarentur. Etiam isthic à Tractatu Wolborienſi iverat Iosephus Borek Commilito, qui commodè Nexus Polonici cum Republica reconciliationem adferens, similia Lithuanis persuadebat; sinistra Ala, ob crudelem Gasievij cædem facilè turbata & metuentè; Dextra Michaëlis Pacij Castrorum Præfecti sedulitate, in obsequium suasa: nihilominus juratæ cum Polono Nexu Confœderationi, donec satisfit, utraq; insistente. Ipsos quinetiam Militiæ Primores, tædebat jam diuturnioris sub tecto otij, Percellebant contumeliosæ Hani Crimensis, imò Cosacorum adhortationes, pungebant onerosis Hybernis, ac injurijs Militaribus gravatæ Provinciæ, aliaq; acceptorum, modo extorsivo Nomina, quæ

Iterū Aula ad mitiora inclinat.

Nec Militares abnuunt.

1663. licetsi dantes quasi ex humanitate tribuerent, non tamen dediſſent, niſi coactionem anteveniendo. Hinc utriq; ad mitiora proclives, intra ſe primum, dein & palàm ſopiendi diſsidij velle, monſtrabant. Occurrebat etiam reminiſcentia, illum Militem eſſe, cuius opera tot bellis egregiè perfunctus Princeps, etiam nunc in Moſchum arma expediens, veteranis Legionibus deſtitui prorſus inconveniens duceret; utcunq; deliquerint, non alium tamen laudabiliorem Civilium diſsidiorum finem, quàm ubi ignoſcendo tranſigitur. Apum Rex Matris nomine audit, & quin exermem ſe ſine aculeo præſtat, hinc ut nemini ſuorum nocivus, magis diligitur. Nec ad pacationa deerat motivum, cum enim à Nexu Chriſtophorus Modrzewski Lubomirſcianæ Legionis Tribunus, ac Paulus Ligęza Haſtatus Commilito Lublini comparentes, coram Tribunali Regni expoſuiſſent; quare Leopoli Deputatis Cohortium excedendum fuerit: nimirum ob Tractatum Wolborienſem non ſervatum, pecunias publicas indebitè erogatas, Pium Nexum in exitium alterius incitatum, extraneos in oppreſsionem Exercitus vocatos. Regi valedicentes, peracerbè à Cancellario increpitos, demum Nexus nomine ſubmiſſè petierê, quominus pro autoritate Supremi in Regno Subſelij, vellent per Delegatos è gremio ſui Collegas placare Principem, alias ſemper in bene meritos exorabilem ac Clementiſsimum; uti ipſe ſuperarbitrum agens, reſolvere dignaretur controverſiam, inter compromittentem pro retentis ſtipendijs Exercitum, & retinentem Fiſcum: qui velut Euripus aliquis, cum univerſi Regni opes abligurijt, etiam emeritos Militi aſſes, ac cruenta ſtipendia detineat injurioſè. Iuſta poſtulatio reſpectum aliquem mereri videbatur, niſi in anteceſſum præoccupati nonnulli, vel ante à Militaribus offenſi, primò verba dare, dein & miſsionem officiosè differebant, donec pluralitas ſuffragiorum tandem evicerit, quominus Collegium Tribunalitium, æqua petentibus adſtipularetur. Quatuor ergo ex conſenſu deſignati, Nicolaus Smogulecki Lipinenſis Præfectus; Franciſcus Derſniak Capitaneus Radoſſycenſis; Hieronymus Landzkoronski; ac Nicolaus Firley Broniowski. Qui feſtinato Leopolim venientes, comperto à Rege Epiſcopum Cujavienſem iterum ad Nexum expediri, deferunt flagrantes Exercitus preces, ſimul hoc unicum Tribunalis Regni votum, uti Rex non quantùm illi pervicacia demeruiſſent; ſed quantum bonitati & Clementiæ ſuæ liceret, aduerſus ſupplices experiretur: nec ampliùs fictam ſubmiſsionem cenſeri poſſe, quæ Publicæ Tranquillitatis cupida, emeriti Stipendij rationes infra poneret, modo ne gratiæ Principis, & duraturæ ad Poſteritatem famæ jacturam iubeat. Triduum ſuper ea Propoſitione deliberatum haud

Pacandis rebus Tribunal Regni ſe interponit.

Et ad Regẽ ex gremio ſui mittit.

Rex de ea poſtulato deliberat.

haud expedire ſibi cenſente Aula, alienis fulciri conſiliis, & à Foro accuſatorio arceſſere ad negotia, Reipublicæ activitatem. Attenderent Iudices ad curſum Iuſtitiæ, cuius ut indilata præſtaretur injuriatis adminiſtratio, ipſis incumbere: adeſſe Regi ad latus Senatum, Sigillorum Præſides, ac intimioris admiſsionis Miniſtros; quibus cùm ex profeſſo de Repub: conferat, ipſi injunctum ſibi munus Tribunalitium exequerentur. Fortè tunc Generalis Potocius, continuis curis & laboribus fracta valetudine in morbum inciderat, eumque gravem adeò, ut ter quatervè annorum pleno, inciſio venæ à Medicis præſcriberetur; Quo interea decumbente vis Conſiliorum penes Czarnecium Ruſsiæ Palatinum erat, qui pro indole fervidior, etiam fiducia rerum à ſe geſtarum; haud occultè ſuccenſebat Sacro Nexui, quod is ob levidenſem Stipendiorum prætextum, interna tranquillitate Reipub: convulſâ, etiam in Hoſtes Regni peſſundaret belli gerendi opportunitatem. Conſentiebat Heroi Laureas agitanti, & Prazmovius Cancellarius, ac qui alij ex intima Ludovicæ Reginæ admiſsione; ut ferè dulce bellum inexpertis videtur; quo ad Trzebicius, ac Czartoriſcius, ille Cracovienſis hic Cujavienſis Epiſcopi, Leopolim fortè, an vocati, allapſi, ægerrimè pacatiores ad curas, ſtudia Aulæ revocaverint. Nam & Nexum è Stativis, in quibus obhæſerat hactenùs movendum conſtabat, & flagrantiſsimis precibus poſtulabat Miles, uti Præſules ſuſceptâ Complanationis curâ, tàm placandi Principis, quàm tranquillandæ Patriæ media quærerent. Eiuſdem ſenſus à Primate Regni Epiſtola legebatur, qua is omni ſtudio mitiora ingerebat ſuadens, & obteſtans nec obſcurè conſilia quæ in noxam Patriæ vergerent, redarguebat. Vnde evenit ut licet pleriſq; frontem obvertentibus, Major pars concluderet, Pacem te poſcimus omnes; non tamen penitus ab acrioribus remedijs deſitum fuit. Cæterum dum alterum Sacrum, alterum Pium Nexum voco, ſciendum legenti geminos extitiſſe, vocabuli Sacri & Pij diſtinctos, velut parum eſſet dexteram manum ad iniqua prolabi, niſi & ſiniſtra ſimul in participium delicti ſe accingeret. Quippê inter alia tollenda Sacri Nexus molimina, antè Nexum complicare placuit, velut oppoſitam priori Machinam, quâ, ſi non difrumpi, at ſaltem Sacer à Pio commodius impugnari poſſet. Etiam huic ad ſimilitudinem prioris ſcriptæ leges, quarum præcipua quominus ſalvo per omnia in Regem obſequio, in Patriam fide, Nexus Pius ad ſolam emeritorum ſtipendiorum repetitionem intenderet. Directoris hic obibat vices Ludovicus Niezabitowski Lublinenſis Præfectus, vetus in Exercitu Tribunus, ſolers ille ac verſatilis, & in omnes occaſiones quo rem ſuam augeret intentiſsimus. Sed ad menſuram

1663.

Ruſſiæ Palatinus Pium Nexũ inſtituit.

Pij Nexus deſcriptio.

1663. ſacri Nexus multum defuit Pio, imo & Aulam pænituit mox commenti parum proficui ubi advertit à ſacro non timeri Pium, cujus ſolummodo præcipuum eſſet pietatis Opus, minitari ex adverſo antagoniſtis, & pecunias ex Ærario ſubducere, ſterili de verbo pietate & moleſta in accipiendo promptitudine.

De Nexu Pio. Vt factâ Sacro Nexui per Deputatos Tribunalis reconciliandæ Majeſtatis fiduciâ, mox à Swiderſcio Mareſchallo, Stativis excitæ Legiones ſunt, quæ toto Regno ſparſæ, mira celeritate, imò nec reticenda in digreſſu modeſtia, ſine ullis Incolarum injurijs, ac quærelis in præſignatum locum confluebant. Apud Soleo Caſtra metanda voluêre, demum ſuadenti Czartoriſcio Epiſcopo datum, quominus in ulteriorem Viſtulæ ripam travecti, diſceptandam Pacificationem expectarent; ad Zawichoſtum loco ob Equorum pabulum commodiore.

Nexus Sacer ad Zawichoſtum ſubſtitit.

Zawichoſtū oppidū. Zawichoſtum victorijs Polonorum antiquitùs celebre, etiam priſcis ſæculis non infrequens Municipium, nunc deſolatum penitùs manet, duo tantum Templa, ſtructura & forma ſpectabilia, veteris amplitudinis veſtigia oſtendunt; etiam divortiati fluminis undis, Inſulam efficientibus, in qua Arx olim condita Præfectum Regium habebat, nunc rudera tantum extant, ipſius Oppidi dominio ad Moniales Sanctæ Claræ translato. Hìc ripâ herbidâ ac opimi paſtus, donec Cohortes è remotioribus Regni Provincijs commeant, velut in reſpirium Nexus ſubſtiterat, Ablegatos Regios ad reſumendum Tractatum gratantèr excipiendo; Cujavienſem præcipuè Epiſcopum, quæ vellet ingerentem, quæ nollet audientem. Nam verboſior quiſq; ſuramenti nullo effectu Wolboriæ præſtiti arguens, ſi quæ iterum in pactum deducerentur, nullam certitudinem rei tranſactæ fore, objiciebat. Aſt Præſul adverſus verborum tela obfirmatus, dummodo in opere pacificandi aliquid præſtaret; jugi labore & ſedulitate cum alijs Collegis intendebat, ut nonnullis è Tractatu priori mutatis; præcipuè Millionibus illis ad exolvendum impoſsibilibus, rurſum diminutis, rem ingentis momenti tandem aliquando concluderet. Quibus modis donec ediſſero, haud pigebit unius Militis, eo in negotio non gregarium certè, nec indignum poſteritatis memoria ſermonem, ſubijcere. Frequenti ille Commilitonum Circulo, dum ut quiſq; viritìm ſuffragium fert, quatenùs omnes in eò quod univerſos ſpectaret decernerent, hic requiſitus quid cenſeret? *Ego (inquit) in concione nuper audiui, nobilem illam litigantium Matrum pro ſuperſtite Infante, utrius eſſet? in Iudicio Salomonis controuerſiam—: qui cum duas inter Matres nullam Matrem haberet, utriq; mori juſſu, ut neutri cederet, amore indice Matrem inuenit. Patria hæc omnium noſtrum Cariſſima Mater eſt, diuerſo tamen à diuerſis affectu colitur; alius Matri blanditur ut rapiat, hic aſſentatur ut ſeducat, alius diuerſis artibus illudit ut ditetur; multi admota vi quæ præmia bonorum erant; pro ſe nequam Filij rapiunt. Mater tamen Optima, Matrem agere non deſinit, & ſi nos bonorum Filiorum requiſita non prorſus obſeruemus. Si verò pro hac controuerſa prole lis decidi aliter nequit, niſi cum grandi Reipubl: turbamento, nec litigio finis, niſi bifariam ſcindatur Infans? abſtinete quæſo partitione, conſeruate integrum; ſub ſecuturo poſterioris Sæculi Iudicio, veræ Matri reddendum. A nobis diſſidium cæpit, immolatæ pro Patria vitæ, & fuſi ſanguinis pretium repetentibus; certè per nos finiri expedit, ſi debitum virtuti teſtimonium exigimus; nam qui & vitam & ſanguinem ſaluandæ Patriæ conſecrauimus, jam miſerrimos hos aſſes & miſti vitro æris vitioſam materiam, pacificandæ denegabimus? Abſit Commilitones, quantò plus modeſtiæ oſtendimus, ex modeſta retentæ ſtipis requiſitione; tantùm veræ gloriæ apud poſteros merebimur, & magis Heroicum erit rapacitati Theſauri Regij, vel cum injuria noſtra cedere, quam pro hac ænei fœtus ſcoria, cum Patria hoſtiliter litigare. Alterum conſideratione non indignum, ut diebus in augem venientibus noctes decreſcunt, ſic nobis dum ampliſſima promiſſa, & pollicitationes Aulæ inſurgunt; condicti Milliones in momenta minuuntur, ut reuerà metuendum ſit, dum pro recipiendo de toto & in ſolidum debito contendimus, partem pro toto accipere, aut nihil pro omnibus neceſſum fuerit. Nec amplius cenſeo, pro hac retenta mercede licitari. Ad Regem nobis Remq; publ: eundum eſt, non contra: & biennale ſub tecto otium Martio opere & bellicis pro Patria ſudoribus penſandum.* Arrecti audivere Regij, ſed non uſq; & Confœderatis ingratus Orator dixit, quorum jam pleroſq; diuturnæ pertædebat vacationis, ac inſtabile variantis vulgi ingenium, prudentiores permovebat, vel ex eo gregarij militis præloquio, conſequentia formantibus: & ſi cognomen, expreſſo ſenſu dicentis, non reperio. Ergo Capitulatio rurſus altera, cum Delegatis Regijs, à tractatu Wolborienſi haud diſcrepans condicta fuit; niſi quod ſex Milliones priores in paratis, ad Tres tantum & ſemiſſem reducebantur. Nexus interea donec exolvuntur perduraret. Quartus ab Inſtitoribus in Mercimonijs Fide publica aſſecuratus. Quintus apud Palatinatus in Retentis per Fiſcum vindicandis. Nec ampliùs ſuramento tranſacta firmare opus videbatur; quod jam ſemel uſu ſterile apparuit, ſuperficialis tantùm Ceremonia, & inanis ſcrupulus non metuentibus. Sic iterata ſucceſsit inter partes compoſitio, còóperantibus ad rem Tribunalis Delegatis; etiam qui à Ducibus Exercitus ſubmiſsi erant, præcipuè Vladislaus Lubowiecki Iudex Cracovienſis,

Unius Militis pro Patriæ ſermone.

Iterū tractatus inſtituitur.

Quibus mediis?

1663.

1663. vienſis, qui rerum peritus & animorum; contentioſam illam Aſſignationibus Reſiduum exolvendi materiam, commodè ſopierat; donec Theſaurus repetundarum agit, uti ſummas provenientes Lubomirſcius Mareſchallus, ac Palatinus Sandomirienſis Zamoyſcius, in bonis hæreditarijs aſſecurarent, Exercitui tum demum ab Retentoribus vindicatæ ſine mora Cohortibus reſtituerentur. Inſuper quò majus cupitæ pacificationis deſiderium ab Aula monſtraretur, recipiebant Commiſsarij, ſupplendo Nummorum defectui in pignus tradenda Militi fore Inſignia Regni: etiam Sacra Reginalis Majeſtas, quidquid pretioſioris Gazæ ſibi eſſet, omni mundo muliebri exuturam ſe ſpopondit, modo publicæ egeſtati ſuccurreret. Et Inſignia quidem Regni pignorando decoximus, ſolertiùs Sereniſsima cum clenodijs ſuis egit, quæ verbo tenus uſui publico devovens, reapſe penes ſe ſolicita detinuit.

Etiam Inſignia Reg: oppignorando.

Mox Primas Leſzczynius, quanquam poſt gravia articularis morbi Symptomata non ſat validus, Lecticâ deportatus Leopolim iuerat: & potiſsimi quiq; è Senatu ad latus Regis frequentes confluebant; nonnulli ultrò & ſpontè, vocati alij, præſertim qui vel in Conſilio potiorem locum, vel apud Militares majorem reſpectum merebantur. Mareſchallus quin etiam Lubomirſcius tantiſper ſubſtiterat Lancuti; impiger alioquin quò ſalutis publicæ vocaret ratio, iturus; niſi fortè introſpiciens tempeſtatis ab Aula commovendæ ſigna, eoq; futuris providens; haud jam latentes ſub cinere odij ignes, provocare nollet: quos dum abſentia extinguendos primo judicavit, certè præſentia ut mox tradam cumulaverat. Pluribus ſiquidem literis ab Aula arceſsitus, maluit veniens jacturam favoris ſubire, quàm in eo ſtatu Patriæ conſilio deeſſe; aut obligatam officij Senatorij deſerere functionem. Nam etſi nupero Tractatu videbatur ſopitum totaliter cum exercitu diſsidium, diffringendo tamen nucleo plura interveniebant, quæ involutos cineri ignes in flammam excitarent. Præcipuè cum Nexus in Inſtrumento pacificationis aliquas innecti æquivocorum formulas pro ſcrupulo irretiendi ſe accipiens, reijceret; apertis & ſimplicibus verbis ſecuritati honorum & Perſonarum caveri volens: unde poſtea ab ultionem quærētibus æmulis tutior eſſet. Super quibus, donec per Delegatos diſceptatur, interea geminis Caſtris ex adverſo poſitis, Confæderati apud Baſniam Pagum; Regij apud Koznice Ianovum propè ex adverſo conſiſtebant. Vix quinque milliarum interſtitio, munijs militaribus utriq; velut ſub latere Hoſtis intenti. Quippè exploratum miſsi, aut quòd ſatiùs credam, Pabulatores, ſi forte alicubi in Confæderatos incidiſſent, referebant; haud fiderent ullis pactionibus, pro forma tantùm &

Senatorũ præcipui Leopo: veniunt.

Etiam Mareſchalli Lubomirſcius.

Nexus Sacer ad Baſniam conſiſtit.

1663. tùm & in ſpeciem condictis, cùm reverâ armis infringere Sacrum Nexum conſultum ſtaret apud Regem; ac in eum finem, præſentem in Caſtris Palatinum Ruſsiæ adeſſe, Czarnecium; ſubductiſq; jam ex paſcuis equis, in quatriduum parare commeatum, neſcitur quo abituris, juſsiſſe. Hinc apud Nexum ſic præmonitum attentio, & paratus vigil, noctu & interdiu accincti ſtare, ac interclusis undiq; per expeditas Cohortes itineribus, providè ſibi metuere haud remittebant; cùm nemo celerius opprimatur, quàm qui nihil timet: præſertim ubi cùm eo Duce agendum foret, qui celeritate & fortitudine notus, priùs terrore vinceret, quàm aggrediatur armis & ſic fortunam numeraret pediſequam Triumphorum. Ac propè jam erat die D. Margarethæ Sacro, ut in feſtis inter ſe Signis concurrerent, niſi mitiora ſuadens, & ad Regem crebro miſsitans Regina; tum Senatus preces interponens; ſuper omnia Numen afflicto Regno propitium, jam planè congreſſuras Acies, & pila minantia pilis, à certaminis procinctu retraxiſſet. Nec parùm profuit fervidis, nec una alteri deceſſuris partibus, ſub id fermè temporis lauorovum allapſus Primas; cui inſperatò venienti, è Senatu complures ſe in opus dirimendi certaminis adjungebant. Nempè Mareſchallus Regni Lubomirius; Ioannes Zamoyski Sandomirien: Palatinus; Stanislaus Witowski Sandomirienſis; Ioannes Wielopolski Woynicenſis; Achacius Ligęza Czechovienſis, Caſtellani: E Collegio Commiſſoriali quin etiam Vladislaus Rey Curiæ Regni Theſaurarius; Chriſoſtomus Giźicki Iudex Wielunenſis; Stephanus Sarnowski Vexillifer Łencicienſis; tum Stanislaus Rzewuski Iudex Leopolienſis. Hi certè (quos Patres Patratos veteri vocabulo dicere liceat) immo Murum illum Spartanum inter Subditos ac Majeſtatem, ſe ſe interponentes, partium diſſenſus obitèr examinatâ causâ, cum & Principem à clementia non averſum, etiam Militem ad omnia æqua pronum & flexibilem comperiunt; modò prima ratio honoris & ſecuritatis præſtaretur, tum demum felici mediationis ſucceſſu, non tam in novas Leges, quàm anteriorum Tractatuum Capitulationes reaſſumendo, rem in pacatum (largiente Deo) deduxêre. Elaſſato jam irrequietis Tractatibus Milite, & de toto arbitrium Senatus facilè ſubeunte. Pro ſola Electione Succeſſoris operoſior diſceptatio fuit; uti ſemel per legem publicam abrogata eſſet etiam Pacto præſenti inſerta nunquam in perpetuum reuocaretur. Sed obſtitêre vehementer Mediatores; Primas vel maximè Leſzczynius; augendas tam odioſâ materiâ Principi innoxio ærumnas dictitans, & ſibi injurium fore, ſi Primitiali autoritate poſtpoſita, ac Ordinum Regni tot reclamationibus rem ſopitam ſuſcitarent, novam condendo Legem; quia

Czarnecius Palat: ex adverſo Caſtra metatur.

Acies infeſtæ prælia minantur.

Per Dei Gratiã diremptæ tandem.

Etiam hic turbat Electio.

1663. quia jam conditæ præjudicioſam. Per ſacra itaq; omnia petijt, ut deſiſterent ab his læſivis in Principem ſcommatibus, aut ſaltim Poſtulatum ad futura Comitia in arcano haberetur, donec res ipſa & tempus noxia molimina aperiret. Tum demum ad Media diſſolvendi Nexus deſcenſum eſt, quæ ut condicta, & inſtrumentum publicum digeſta, ad memoriam, quibus iſta curæ, infero.

Conditiones Nexus diſſolvendi.

Primores Nexus Leopolim aſſignato tempore venientes, Sacram Regiam Maieſtatem ac Senatum Regni deprecabuntur; ejurataq; ſemel Confœderatione, in fide ſtabili ac reali obſequio perdurabunt. Confœderationis Inſtrumentum, ac omnia Nexus Acta, durante Commiſſione exurentur. Criminales cauſas in competenti Foro vindicandas fore; priuatorum Ciuiles injurias Amneſtia tolli. Reditus è bonis menſæ Regiæ intercepti, ad aſſem reſtituentur. Enumeratis in ſpatio binarum ſeptimanarum conditis Millionibus, ad Legitima Imperia Ducum Exercitus redibit. Nexus Polonicus jam nunc in gratiam Sac: Reg: Majeſtatis admiſſus, ſocietati & conjurationi cum Nexu Lithuanico renunciabit. Cuius ſuaſu & impulſu ad incundam Confœderationem acceſſerint, ſincerè aperient, deferentq; Clenodia ſeu inſignia Reipubl: in pignus Pedeſtribus Legionibus danda, pro parata pecunia computabunt. Amneſtiam Exercitui per Legem Publicam conceſſam, Reg: Majeſtas peculiari diplomate; Stuba Commiſſorialis Decreto firmabit; omneſq; præſentis Commiſſionis Actus, in futuris Comitijs Regni Conſenſu Ordinum ratificabuntur. Ordinatio Exercitus, ſiuè augendi, ſiuè minuendi, autoritate Commiſſoriali conficietur. Præmiſſi ſolutione, ac peracta Ordinatione, Exercitus demum in hoſticum ſub Imperio Ducum progredientur. Legem de diſtribuendis per certos menſes inter Milites bonis vocantibus, Sac: Reg: Mai: declarat manutenendam. Quominus retentæ contributiones quantocius exoluantur, per uniuerſales literas ad Palatinatus dimiſſas, Fiſcus urgenter cum adminiculo Militaris Exequutionis inſiſtet. Exolutio ſummæ conditæ, in ſpatio binarum Septimanarum præfixa, ſic diſponitur enumeranda: quominus in parata exnunc Tres Millones & ſemis: Quartum Millionem & ad complementum Quinti itidem ſemiſſem in parata in ſex ſeptimanis: Sextus in Mercibus hic & nunc Leopoli extradetur. reliquis duobus in Retentis uti ſupra per Fiſcum vindicandis.

Et ſic demum moleſta illa finijt controverſia, confectumq; eo nomine Inſtrumentum eſt; hinc manu Primatis Leſzczynij aliorumq; Procerum, illinc Mareſchalci Swiderſcij, & nonnullorum è Magiſtratu Militari ſubſcriptum: tantùm ſibi arrogantium, ut velut contrahentes, inter ſe ac Remp: Syngraphas conficere non erubeſcerent. ſed temporis aut neceſsitatis vitium eſt; non hominum: & dum delinquere prodeſt peccat qui rectè facit. Seceſ-

1663. Succeſſerat in Vrbem Rex ſub Tractatum; cum jam nocte concubia ſopitum negotium accipit, & aliqui è Senatu aderant, lætum rei tranſactæ Nuntium ferentes. Sed mox expendendis pacificationis Capitibus deliberatio, triduum inſumpſit; an fortè relegandis Scytharum agminibus mora neceſſaria fuit? quorum jam catervæ circa Brzeżany ac Naraiowo palabundæ viſebantur. Nec vanum rumorem docuit, conditum in Iudicijs Commiſſorialibus Decretum, quo enumeranda à Fiſco, Scythis jubebantur C.C.C. Millia Florenorum, in ſuccurſum contra ſacrum Nexum Barbaris tendentibus. Certè ad manum habuiſſe, lectumque mihi id authenticum Decretum, fide Hiſtorica teſtari auſim. Quod diſcriminoſum accerſiti auxilij genus, ut non extinxiſſet ſed geminaſſet diſcrimina; ſic ſola mentione ſui exulcerabat multorum animos, ad ſubitum immiſcentis ſe rebus noſtris Tauricæ ſuccurſum, exhorreſcentes. Alterum haud levidenſe ejus Commiſsionis erratum omittere nequeo, ex geminato Contractu, pro cudendis Solidis confecto, commiſsum: ut non ineptè dici poſſet, eo anno in Polonia Argenteam Ætatem finitam, & æneam cæpiſſe.

Rex Nuntium Solati Nexus accipit.

Commiſſio Scythis decernit donativum.

Attigi ſupra ex ſancito Comitiorum Anni 1661. permiſſum fuiſſe Tito Livio Boratini, quatenus apertâ Nummulariâ Officinâ, Duos Milliones ſolidariæ monetæ in uſum Publicum procuderet; quæ intra ſolius Regni & Mag: Duc: Lith: ditiones, in uſum Incolarum veniens, tàm rationes mercaturæ faciliùs expediendæ promovere, quàm & Theſauri Regni defectus, proveniente inde uſu fructu, aliquomodo juvare poſſet. Quæ mox, inde conſecuta rei Nummariæ confuſio, etiam nunc noxium oſtendit conſilium, dum per Oppida vicoſq; conſurgerent æruſcatores, qui exemplar Boratinij imitati, paſsim adulterinos Solidos elaborabant; tantâ induſtriâ publicis conformes, ut dignoſci haud facilè fuerit, ex forma & ſpecie, niſi proderet cupri qualitas; cum Boratiniani ex conflatili diverſorum Metallorum Materia; privatorum ex puriore ære & bracteis æneis elaborati conficerentur. Vt verò ab Inſtigatore Regni, intentata eo nomine in Comitijs Actio Boratinio fuerit, ut horribili jurejurando, ille cum xviij. Teſtibus non ultra duos Milliones ejus monetæ, procudiſſe ſe ſe purgaverit; latiùs Decretum hac in parte interpoſitum ediſſerit. Iam nunc rurſus idem Boratini per literas Commiſsionis Vocatur Leopolim, prehenſatur nolens, demulceturtimens (& quod verùm fuit) planè reluctans, in elaborationem Novæ Monetæ cupreæ adigitur. Formato in Commiſsione Decreto, quo ſub totius Reipubl: ratihabitione, per expreſſum conflare juſſus ſummam flor: 1250000. pro uno quoq; Millione & ſemiſſe flor: 450000. (verba

Solidi iterum cudi permittuntur.

Vocato Leopolim Boratinio.

1663. Decreti eſſentialia ſunt) in ſumptus operæ æriſque computando. Quovè ab impetitione Iuridica ſecurus, operi gnaviùs incumberet, additur è gremio Commiſsionis, velut inſpector ac Paraſtates, Chriſtophorus Rupniowski Tribunus Cracovien: qui elaborandis Nummis quàm maximè ſolerti inſpectione attendens, neu plus, ultra ſummam Decreto præſcriptam, neu ex deteriori Materia, ex officina, ejus Æneæ prolis prodiret: utriuſq; tàm cudentis quàm attendentis obſtricta jurejurando Fide, nec extra præmium cura. Hoc ſanè tunc malis Poloniæ deerat, ut quod undiq; coortus hoſtis non rapuerat, jam ſui Cives, & adventitius Æruſcator, in depauperationem miſerandi Regni verterent.

Et procudere iuſſit.

Talibus medijs, ut innui, in die Viſitationis Eliſabeth Virg: Immac: ſoluto Nexu, ut quiſque ex Patratoribus Pacis Leopolim feſtinavit; & ſi Primas moleſtiſsimæ Podagræ (qui Leſzczyniorum hæreditarius morbus eſt) affectus doloribus, dum fomenta malo acceſſit, in Suburbano prædio Octiduum decumbere debuerit. Prævios è Senatu ſequebantur Nuntij Exercitus, eo nomine ad Regem deſtinati; ut obliterata odioſi Nexus memoriâ, quantociùs integrum in Principem ac Rempubl: obſequium teſtarentur. Erant Franciſcus Zaleski Loricatæ Cohortis Czarnkovij Optio; Ioannes Dunin & Maſzkiewicz Commilitones: tum Falecki Germanicæ Legionis Centurio, quibus celerior adventus quàm admiſsio fuit. vel quod rei optatæ deſiderium exſatiet prima relatio; vel quòd expediret diuturnam temeritatem plectere, ſaltem lentâ Majeſtatis indulgentiâ. Adfuit mox & Bieykovius Præſidens cum Deputatis Cohortium; quò demum veniente, admiſit Rex apud Patres Bernardinos ad oſculum manus ſalutantes. Dato per Szomovium Opoçznenſẽ Præfectum reſponſo: Vti Nuntij ad Exercitum reverſi, Nomine Regis denuntiarent: Iam nihil ampliùs reſtare, quòd exitiabile Schiſma, & internam vomicam Reipubl: compagem diſſuentem, tollendam moretur. Ignoſcere ſe pro innata Clementiâ lethali errato cunctorum, ac recipere in gratiam probatæ Fidei Exercitum. Pecuniam ut protinùs numerarent monere: Amneſtiam ac ſecuritatem tàm Perſonis, quàm honoribus firmandam, Reſcripto ſpeciali promittere; unum porrò neceſſarium eſſe, ut fluxam per diſcordias fidem, meliori actu reparaturi, Regi ſe Magiſtratus bellicus ſiſteret, deprecando. Ita vult & jubet, æque potens ac Clementiſsimus Rex, ſimulq; diem Feſtum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quo ſe exhibeant indicit. Quod præſtandum ingenuè, & confidendum, reconciliato Principe, plus favoris & gratiæ quieta Repub:, quàm perturbata ſperabant conſecuturos. Ad expoſita in cætu Militari mandata

Soluto Nexu Primas decumbit.

Ab Exercitu ad Regem Nuntij.

His reſpõſum.

data Regis, non injuſta mox Primores inceſsit anxietas, imo terror concuſsit artus; haud vanè reputantes, tamdiu per temeritatem illuſam Regis vocantis Clementiam, ſpretam ſæpius Ducum autoritatem, rejectas ſuadentis Senatus preces, & procacibus jurgijs vel ſcriptis, laceſsitam Miniſtrorum Aulæ modeſtiam. Iam nunc accipere auſtera Principis reſponſa, crudum, iras coquentium, qui ad latus Principi, ſilentium, imo vultu & aſpectu à Ducibus terreri, ac quòd magis metum intenderet, adhuc dum Adolphum Mięśicki Legionis Primipilum è Furca pendulum monſtrari, exemplo & præjudicato, qui paria meruiſſent, haud auſpicato. Nec omnino tollebat non iniquum timorem, pacta per Amneſtiam ſecuritas, dum non teneri Principem contractu Neceſsitatis, Iuris prudentes affirment; & ne omnium culpam, paucorum pæna expiare neceſſe foret, ſero nimis Primores Nexus conſiderabant. Credo aliquos fuiſſe, qui & oppetitam ſtante Confæderatione mortem, Borzęccio non invidere rent; & Łabętam in partes Regias tranſgreſſum, non ut prius, criminarentur. Sed vicit metum experta Regis benignitas, excuſsiſq; ſcrupulis morigerum ſe oſtendit Swiderſcius; qui denunciato in craſtinum itinere, vale Socijs dixit; ſub cura Stanislai Iordan Tribuni Militaris relicto Exercitu; præmonito tamen eo, neu Excubias aliaque Militaria munia intermitteret. ut ſeu proſpera ſeu adverſa evenirent, in omnem caſum more Militari intenti ad omnia, deprehenderentur. Ergo Trium ferè Millium ſeptus Comitatu, Leopolim iter direxit, cumq; in ſubjecta planicie Vrbem propè pernoctaſſet, deſtinata die Ortum ſolis occupans, in platea Figulorum, apud Patres Carmelitas veteris obſervantiæ, aliquantum vacavit ſacris, juſſa Principis & facultatem adeundi præſtolatus. Infra octavam Horologij Rex ad Cænobium Bernardinorum ex Vrbe deſcenderat, quò vocato Senatu ac Commiſſoriali Iudicio, planè tota ſe in ſpectaculum effundebat Leopolis. Ibant cuncti promiſcuè, Viri, Pueri, Senes, etiam ſequior ſexus; non ullum ſua autoritas aut togati honores domi retinuêre, cæno paſsim lutulentis plateis, genua tenùs merſi, uti conſpicerent; famoſi Schiſmatis finem, ac quomodo cum omnes contagione inſanirent, primis capitibus noxa donaretur. Itaq; Swiderſcius ſuo cum Comitatu pedes, in veſtibulo ædis Bernardinorum comparens, à Franciſco Tanski Advocato Regio (Inſtigatorem dicunt) excipitur, requiriturq; an omnia Legibus damnati Nexus Acta protinus ſibi traderet? quo præſtito, ipſe cum collateralibus, tum demum quàm humillimè læſam de genu deprecaretur Majeſtatem. Paruêre mox, octifolium tradentes tranſactionum Confœderationis ſcriptum, quod Publico ſervo ut cremaretur datum:

1663.

Primorum Nexus anxietas.

Swiderſcius Leopolim ad Regẽ pergit.

Ad Regem admiſſus Acta Nexus tradit.

Quæ exuruntur.

1663. obtinuêre tandem, ut aliquis adventitius Presbyter, dereptâ ex vicino altari candelâ, papyraceam illam farraginem, nullo negotio in favillam redigeret.

Primores Nexus Regem deprecantur.

In ſtuba Refectorij Caſimirus erat, etiam Ludovica Regina expeditis ſacris hùc deducta, cum adeſt Militaris turba, & varijs affectibus indignantium aut miſerantium accipitur. Primus Swiderski ad ima pedum Regis provolutus, magis Militari Schemate Vir, quàm dicendi copia Orator, ſuppliciter ignoſci ſibi petijt, conſenſu multitudinis tractum ſe, eoque nomine innoxium excuſans; de cætero omnem ſpem ſalutis in Clementia Regis Optimi poſitam dixit: unde ſibi certò certiùs promittat, anteactorum veniam, & ſecuritatem in poſterum. Poſt hunc Olzczepálski à Conſilijs Nexus, Exercitus nomine deprecabatur: alioquin Mareſchallo ſuo verboſior, niſi breviloquij admonitus, geminata pluriès ad pedes Regis genuflexione, copiam verborũ actu extrinſeco ſupplere debuerit. Poſt hunc Bieykovius Præſidens, Reginalem Majeſtatem veneratus; condonandas ſi quæ ab Exercitu interveniſſent offenſas poſtulabat: Protectricem Militarium Virorum, & Matrem Legionum appellans, & quæ alia muliebri genio accommoda, fuſiùs dixit interpellante nullo, quòd Reginam non illibentèr appareret audire. Reſpondit iſtis, gravi, & diſerta Oratione Regni Cancellarius. *Læſæ Majeſtatis injuriam, deſertæ Patriæ nefas, Legum contemptum, deniq; ſpretam Ducum Autoritatem, exaggerando: imò quòd à ſæculis in Polonia nuſquam contigiſſe legitur, velut non ſatis eſſet flagitiorum & criminum, quibus in Patriam & Nominis Poloni opprobrium deliquiſſent, in Matrem Eccleſiam, in Chriſti Patrimonium, quod nemo unquam impunè attrectauit, licentioſas manus verterint, ut facto nunquam apud poſteros excuſabili, ſic exẽplo in ævum pernitioſo.* (Conficiebat.) *Nec injuſtè nunc animadverſio in tot criminum reatum adhibenda foret, niſi Optimus Princeps, magis benigniſſimæ indolis ſuæ, quàm delicti Militaris memor, mitem ſe agnum præſtet in condonando, qui in adæquata commiſſorum pœna Leonem æquiſſimo jure agere poſſet. &c.* Tum demum allevati & in ſpem omnimodam erigi juſsi; Ovantibus cunctis, ex pacato per Dei gratiam diſsidio; gratulante Senatu compreſſam luem, reſtitutamq; æquilibrio rationis ſeditionem, ad hoſpitia remeabant. Cùm interim ceſſante titulo & temporanea juriſdictione Swiderſcij, protinùs mitteretur, Alexander Cetner Halicienſis Caſtellanus, ad Exercitum, ejurato jam Nexu ad obſequium Reipub: reverſum, uti Regis nomine tantiſper ſub cura & regimine haberet, donec ſublatis quæ morarentur, Caſimirus ipſe præſens veniens in Caſtra, ſimul Duces legitimum recuperarent in Militem Imperium. Erat Caſtellanus

His Regni Cancellarius reſpondet.

Deprecatione abſoluta diggrediũtur.

Caſtellanus Halicienſis ad Exercitum mittitur.

1663. lanus Halicienſis Cetner, veterrimus cohortis Ductor, eoq; meritorum intuitu gratior Legionibus, qui demum in Caſtra veniens, effuſo Militarium cætu acceptus eſt, cumq; Tribunos ac Optiones Regiæ benignitatis admonitos, frugali (ut illi mos) prandio accepiſſet, ſignum protinùs Swiderſcij, pro more Militari præferri Mareſchallo ſolitum, humo illiſum confringere juſsit; mox Conopæo ejuſdem reciſis funibus everſo, ipſe teſſeram Militarem in Nomen Regis edixit, & Excubias more ſolito partitus eſt.

Et ſub imperiũ accipit Legiones.

Sed multiceps Hydra in concitandum rurſus tumultum ſe commovebat; neq; ſatis erat unum præfocaſſe caput, cum plura mox eliſo uno, pullularent. Dùm Cohortium Deputati apud Fiſcum æra numerant, alij cum Inſtitoribus pro illo mercibus extradendo Millione, licitantur; cùm ecce inſperato Gallicus Nuntius, Leopolim frequentiore comitatu ingreſſus, non ingratè ab Rege acceptus venit. Nimirùm ab Aula Lutetiana, privatis cum Regina tractandis negotijs expeditus, & forte in rationibus Status Annæ Principis Bavariæ, Neptis Ludovicæ connubio ſtabiliendæ. Cùm adventu peregrè venientis, ſparſus mox rumor increbuit, ſuſcitandæ Electioni miſſum, tractamq; in itinere de induſtria moram, donec reſciſſo Nexu facilior negotio via ſterneretur. Mirùm dictu, quam repentè ad eum rumorem omnia in Vrbe confuſa ſunt. Abſcedunt è Theſauro Deputati Militares, numerata æra deferentes, alij condicto venalium pretio, paratas merces in fornicibus relinquunt; clauduntur ubique pergulæ; ac ſubito motu plebs urbica permiſcetur; tanta omnium Conſternatione, ut præſidium in Vrbe duplicari neceſſum foret; ac Generalis Potocius, quanquam ab recenti morbo debilis, in gradus Prætorij deductus, confertam ſubinde Militarium turbam, ſeriò dehortari debuerit. *Quid ità amentibus ſimiles tumultuarentur? & qui nudius tertius vix deprecati Regem, jam hodie recidiuo errato ægrè conciliatum Principem irritare, ſimul & Iura gentium in Legato Externo violare intenderent? Veniſſe è Gallia Magni Nominis Virum, in Patriam noſtram eximij affectus, imò tota Europa geſtorum celebritate clariſſimum; qui in negotijs Mantuanæ Domus, cum Sacra Reginali Majeſtate conferret, & ſic propenſum Chriſtianiſſimi Regis erga Regiam domum affectum teſtaretur?* Simulq; Magiſtratui Vrbico injunctum, quatenus ejus Novellæ autor ſolicitè veſtigaretur, rationes perperàm diſſeminati rumoris redditurus. Multum ſanè profuit ad ſedandum motum autoritas Generalis, ut ſenſim ſubita illa & vehemens in populo commotio, dilapſis qui ſparſerant, ad tranquillitatem componeretur.

Rumores de Electione unde motus.

Imo tumultus in Urbe.

Vix Generalis authoritate ſedatus.

Neq; Polonos tantùm Zelus libertatis, ad incerta narrata perſtrinxe-

1663 ſtrinxerat; etiam Domus Auſtriaca habuit, ad quæ intentâ curâ & ſolicitudine reſpiceret. Quippè Nuntium Gallum veſtigio conſecutus, Nicolaus Kinski Cancellarius Bohemiæ; à Cæſare Leopoldo ad Regem Leopolim Ablegatus, in negotio Ratiborienſis ac Opoliæ Ducatuum in Sileſia, è pignoratitia poſſeſsione eximendorum, Res ità ſe habuit. Ferdinandus III. Cæſar, quominus diuturno cum Suecis bello ſe Imperiumq; exolveret, Pacta Pace Monaſterij ac poſt Oſnabragæ concluſa Ærarii Imp: anguſtias ſuppleturus à Vladislao IV. Rege mutuatus pecuniam, eidem Hypothecæ nomine Ducatus in Sileſia, Opolienſem & Ratiborienſem obligaverat. Addito Tabulis rèémptitijs pacto, uti non Rex ipſe, ſed ex Domo Regia aliquis Princeps, diſponeret de bonis, adminiſtratetq;: faciliore repignoratione rei cum Privato, quàm cum Monarcha jus ſuum armis aſſerente. Et Vladislaus quidem palmis & laureis victoriarum intentus, Bona hæc in Fratrem Carolum Ferdinandum Epiſcopum Plocenſem tranſcripſerat: quo demum Fatis ſublato, Rex Caſimirus poſt Fratrem ex aſſe hæres, Mariæ Ludovicæ Conjugi Ius in obligatos Ducatus devolutum addixit. Illa rurſus amoris & ſanguinis ductu in Neptem propenſior, ac velut penſatura Galliæ undè natales vitamque acceperat, eò etiam fortunas ſuas derivari volebat. Quod ut cognitum Auſtriacis, & ſi maximè bello Turcico per Hungariam inſurgente, rei Nummariæ penuria laborarent; coactis tamen undecunq; ſummis quantæ debebantur, in Redemptionem oppignoratorum Ducatuûm, per ſubmiſſum Kinskium obnuntiabant eximendos; & ubi æs debitum reponitur, autori ſuo qui Cæſar eſt, conſignandos. Sic tunc agens Vienna oſtendit, plus ſibi erga vicinitatem Gallicam fuiſſe cautionis, quàm adverſus hoſtilitatem Turcæ paratûs & promptitudinis; earum Gentium ſemper, & ſi ſub uno Chriſti charactere, ab ævo irreconciliabili odio, & æmulatione.

Hunc à Cæſare alter conſequitur.

Cauſa miſſionis.

Rex in Ilkraynam iturus ſe exarmat.

Caſimirus interea totus ad meditamenta Vkraynenſis belli verſus, dum Ordinãdi Exercitus conſilia agitat, & ſubſidia undecunq; conquirit, ex concepti dudum Odij inſtinctu, vel quod ſatiùs credam æmulorum malignitate, Ducem alterum, & veteranæ Militiæ potiorem nucleum, detrahi ſibi paſſus eſt. Reſtanti momenti, imò conſequentium in Republ; malorum fons turbulentiſsimus, videtur à prima Origine ſui, clarius deducendus. Georgius Lubomirski Supremus Regni Poloniæ Mareſchallus, idemq; Exercituum Dux Campeſtris, Suetico bello ſi quis unquam Civium, operam ſuam approbaverat Reipublicæ; acerrimus Exulis Regis in Patriam reducendi ſtimulus, & eximia fide ne hoſtis potiretur, Inſignium Regni conſervator. Idem Cudnovienſi cum Moſchis ac Coſacis bello, in tantum

Mareſchal: Lubomirſ: ſublimia merita.

1663. tum ſublimi merito inclaruerat, ut dum ex devicto eo Hoſte inſignem victoriam Regi Caſimiro gratulatur, à Cancellario Prazmovio, mentis Regiæ interprete, ſanè invidioſum, vel ſaltem poſt Fata differendum, Patris Patriæ & Conſervatoris Regni encomium tulerit. Nec diu, cum mutavit Fortuna Stylum, Princeps Favorem, Comminiſter affectum; ſeu rerum humanarum viciſsitudine haud uſquam ſtabili, ſeu conſuetudine Aulæ, pro Chamaleontis naturâ ſæpiùs colores variante. Quid, quod Fortuna omnis fallax admodum & lubrica eſt, apud Principes vel maximè, ubi ex corruptione unius, plurium generatio inſtituenda videtur: vel juxta Apoſtoli oraculum: alios minui, alios creſcere oportet. Scopulum ad quem aliſit Civis Eminentiſsimi Favor, haud facilè eſt dicere: pluribus tunc, dum iraſcitur offenſæ Regiæ vulgatis cauſis, ac planè poſtquam ex merito virtutem extulerat, ſublimaſſe pænitentis. Pronunciante expreſſè Cor: Tacito rationem. *Eo uſq; merita ſubditorum gratè accipi apud Regnantes, donec exolui poſſunt: ubi antevenère, odium pro gratia redditur.* Certè mihi in ejus temporis memorialibus libris ingratiarum cauſas veſtiganti tres potiſsimum occurrunt. Primò obfirmata contra Electionem (quam ipſe ſuggeſsiſſe creditus) illegitimè attentatam, renitentia. Secundò, Popularitas, quà apud Nobilitatem & Exercitum ſummè valuit; Poſtremo, proferendi conſilij libertas, & prolati tuendi conſtantia; eò major & notabilior, quo inter aſſentantis Aulæ ſtudia confidentius ibat, magis ſalutaria ſuggerens, quàm placitura. Hinc Miniſtrorum Aulæ mixta odio invidia, contra Archi-Aulicum ut favore cunctos, ſic excellentia qualitatum ſupergreſſum. Attigi ſupra colorem ultioni quæſitum, ob appoſitam ad Theſaurum Regni in Caſtro Cracovienſi Cuſtodiam: tum per univerſales literas commonitos Submontani tractus Incolas, ut Cæſareis Legionibus ad vicinum limitem hærentibus, ſuæ pignorumq; ſecuritati conſulerent, ad tutiora ſe recipiendo, dum fervet in Hungaria bellum: ſufflantibus æmulis ignem, quaſi impertinente actu, curas ſalvandæ Patriæ cum Principe, privatus Civis partiretur. Quæ tamen ille ex Officio quo Dux belli eſſet, & recta intentione conſulendi Publico excuſabat. Sed leviora hæc, acriùs pupugit ingreſſus Leopolim ſplendidus, dum præter Deputatos Cohortium univerſos, uti Duci obviam effuſos, etiam Notabili Vrbici Populi lætitia & acclamationibus acceptus foret. Suſpicionem augebat, interveniente eo, diſſoluti Nexus facilitas, contra Regiorum in diſſolvendo fruſtraneis Conatibus. Vnde ad conciliandum odium è Magiſtratu Confæderato, digito monſtrabantur ei addicti; arguebantur crebræ ad illos miſsitationes; tractus in crimen honoris ergo occurſus;

Niſi Favor Aulæ inclinaret.

Ingratiarum cauſæ in Mareſc.

Splendor ingreſſus.

Cum Nexus cointelligentia.

1663. occursus; cum Legionibus Germanicis arcanæ Conferentiæ; aliæq; exprobratæ, si benè perpenduntur usui, non noxæ transactiones. Insuper ubi apertus ingenij, tàm in stuba Commilloriali, detrimenta Fisci, & incongruè dispensatas Publicas Pecunias liberiùs arguit; etiam ad indictum Senatus Consilium veniens, facta per Cancellarium majorem de medijs dissolvendi Nexus propositione, ac plerisq; è Senatu fervidiùs, quàm consultiùs per extrema suadentibus; Mareschalcus petita deliberationi morâ, ad Crastinum votum suum suspendens; tum demum liberè apud Regem, quid sentiret sine ambagibus exposuit: etiam in scripto volentibus ejus voti copiam fecit. Quod inserere succincto commate haud omittam, sensum dicentis exprimendo.

Lubomirscij in Sen: Con: votū.

Vti semper Summa est Regnantium ex Clementia gloria, sic expedire videtur congenitæ S. R. M. bonitati, existentem in Nexu Militiam, adhuc semel commonere Literis, ut juxta initos Tractatus, tranquillandæ Patriæ conditiones manuteneant, & manutenendo se ad dissoluendum Nexum Civilibus medijs inclinare patiatur. Non aliter quippè ab extremis & desperatione revocandos esse; simul liquido constiturum Orbi, nihil ex parte suæ Majestatis omissum, quod ad mitigandum æstuantium animorum fervorem expediret. Ac licet si vilipensio aliqua, imò contumelia appareat; post tot spretas aut frustra obitas Legationes, obduratos in scelere, epistolica dignari correspondentia: ausim tamen ego à sua Mitte supplicitèr petere, uti hoc bono publico, ac integritati Reipubl: semel adhuc donare velit, immortalem habiturus ex clementiâ ad posteros servatæ Patriæ commendationem. &c. Tùm ad defectus aut abusus Ærarij versus, dum præterita reprehendi magis quàm corrigi licet, paucis perstrictis ne offenderet, cætera transmisit. contentus suggessisse modos, quibus reposcens solutionem Miles interea mulceretur. *Quid si pervicax ille agit, (his formalibus conficiebat) ea videntur efficacissima, tàm Majestatis Regiæ, quàm conservationis Patriæ remedia. Primùm, uti Sac: Reg: Mtt: Fide & amore Subditorum fretus, Publicam Motionem Nobilitati (rem arbitrij sui præteritis Comitijs factam) quantocius emissis Restium Literis indiceret: idq; notabili emolumento facturus. Etenim præter confidentiam inter Status aliquantùm vacillantem, eo modo reparandam; etiam accedet inde Ser: Majestati suæ Consilium, Autoritas, Robur, ac ex animorum unanimitate certa Patriæ tranquillandæ ratio. Consilium (dixi) nam cum nunc aliquot tantùm è Senatu, cum Ministris Aulæ, de summa rerum decernunt, ibi pleno Comitio ad latus Principis congregato, universum amplissimi Ordinis assistet S. R. M. Senatus Collegium. Autoritas, nam totius Reipubl: evocatis Viribus, integra erit potestas decer-*

Modus Sopiēdorum motuum.

decernendi quod expediet, corrigendi quod nocet, reparandi quod exorbitat. Robur, dum fida Civium pectora pro tuenda Principis dignitate simul Libertatum avitarum conservatione murum se opponent ahæneum, tàm ab intra, quàm deforis turbantibus. Vnio, quæ metum omnem interni dissidij tollet, molimina seu Practicas Externorum expunget, diffidentias inter Status, Suspiciones, Criminationes, &c. abolebit. Insuper veneratio Majestatis, cum integritate Reipubl: conjuncta, sopiet hunc animorum fervorem, restituet Regi Militiam, Patriæ Filios, procurabitq; sine Civili sanguine tantorum motuum tranquillitatem. Excita Provinciali Nobilitate, admonebitur Miles obsequij, ac temperabit turbulentiæ: etiam avulsis a Nexu Incolis Palatinatuūm, decrescent Vires Nexui, quibus ille nititur. Interea providere expedit, existentium in parata pecuniarum, attentæ in omnem casum conservationi: hac namq; machina & rerum nervo, seu belli, seu pacis negotia firmius promoveri solent; neq; injuria videri poterit, illis accipere nolentibus, si in usum meliorem convertentur. Scytharum contra Nexum ac Cosacorum inductionem, (nam & hoc propositio continebat) sine horrore effari nequeo. Quomodò enim fidendum illis, qui toties perjuri quoties jurati? continua rebellione in Principem Perduelles, ac Nominis generisq; Poloni capitales Hostes existunt? Scythæ vero quid nisi vastitatem afferent nobis, qui si minori numero venient parùm aut nihil proficient? si majori & superante Vires nostras potentia, exhaurient ditiones, abducent Incolatum, Oppida pagosq; nostros incendijs vastabunt, & tot millia Christianorum, præstitæ operæ pretium, in miserrimam trahent servitutem. Quis sponsor? ut nunc Portæ Ottomanicæ tradere Vkraynam in possessionem polliciti sunt? ne hoc Christianitatis Antemurale, internis confusum dissidijs prodere intendant? Humillimè itaq; S. R M. exoratam velim, ut tàm CRVDELE REMEDIVM, ad clementissimas aures admittere nolit, quod à benignissimo pectore suæ Majestatis planè alienum, fortissimè supponens arbitror &c. Hic est meus ex obligatione Fidei & Iuramenti Senatorij sensus, quem consummatissimo S. R. M. ac totius Senatus Iudicio, subjectum velim. Neq; solum in Sen: Consilio quid revera sentiret apertè prompsit, etiam lavoroviæ, allabentibus de adventu Scytharum Nuncijs, Primatem Leszczynium ingenuè compellaverat, nisi primitiali autoritate hisce Barbarorum auxilijs interveniat avertendis, Deo & Patriæ responsurum; & in se qui non interceſsisset, tot animarum in servitutem abductarum diras provocaturum. Sed Primas ubi ab Aula remotus, erroribus indignabatur; ubi se admoveret igni, more ceræ liquescens, connivebat. Et hoc CRVDELE ut dixi REMEDIVM adeò pupugit Aulam, ut inter potiores indignationis in Mareschalcum causas, pro

Scythas & Cosacos ac cersiri dissuadet.

Vnde maxima Causa offensæ.

1663. sas, pro maximo in gratiarum motivo ponendum videatur. Adeò Regum favor fragilis est, ferrea ira, & chalybe durior indignatio, tardæ in præmium manus, veloces in pænas, & nimiùm graves: nam facilius quercum exscindas quàm severis.

Duces Exercitum primo. Dissoluto Nexu, Duces Exercituûm apud Sokoliniki pagum in Castra venerê, intermissam biennio Iurisdictionem repetentes. Quos venerabundè universa Militia accepit, progressa obviam, & varijs lætitiæ signis obsequium testata. Etiam Rex apud Skwarzawa Togatis septus, superveniebat, florentissimum illum Quadraginta Millium Exercitum, nec scio an ea tempestate totâ Europâ ordinatiorem visurus. Non Viri Equis, non Equi Viris deerant, alacritate prodeundi, servandi Ordinis curâ, armorum splendore, ignium fragore conspicui: nec biennale sub tecto otium vigorem animorum extinxerat, Martios Spiritus in vultibus generositate accendente. *Deinde Rex invisit* Ordinatam per Duces aciem solicitè Rex inspexit, pro solatio toleratæ ærumnæ accipiens, jacturam temporis sarciri posse concordiâ, & moram alacritat. Sic Cohortium Legionumq; Pedestrium frontem, mox tergum obequitanti, ingenti vociferatione acclamatum est ab Equestribus. VIVAT REX. exceperê Legiones Germanicæ creberrima Fistularum explosione veneratæ Majestatem, quibus trina salutatione perfunctis, rursus Equestres subjecto sclopis igne, tam uniformi fragore Principi applausêre, ut vel omnibus bombardis unam manum, vel omnibus manibus unum sclopum adhibitum crederes. Tum demùm Rex continua solicitudine mæstiorem vultum, aliquantùm hilarior allevasse dicitur: ad circumstantes familiaritèr prolocutus. *Summas (inquit) immortali Deo ago gratias, cujus ope & auxilio conversa sunt corda Filiorum ad Patriam, & segni otio torpescens fortissimarum Legionum virtus, excusso tandem veterno ad Martia opera se erigit. Quidni acceleramus in Vkraynam iter? & æmulam Moschuam non conflictu sed victoriâ involamus? contra omne ius & æquum rapta vindicando, ac Polono solo invasores depellendo: ut quâ amplitudine Regnum hoc à supremo Numine administrandum accepimus, ijsdem descriptum limitibus, ad posteros transmittamus.* Ingruente demùm nocte finijt Armilustrium, in Castellani Halicienſis Tabernaculo cænante Rege, & postquàm revenerat Leopolim, per omnes Basilicas solennes, Deo Ter: Max: Gratias instituente; quâ Ecclesiæ Ceremoniis, quâ Machinarum fragore. Nec malè imò laudabilitèr, si modò cætera hùc inclinassent. Quippè ituro ad bellum Principi, plus animi ac ardoris erat, quàm necessarii apparatûs: & cui dudum ante de nervo belli in ipso procinctu viæ providendum fuit. Exinanito siquidem Ærario pecunia deerat, anima

Latior ad assistentes prolocutus

1663. anima & Machina agendorum; Dux Campestris Marescalcus Lubomirius, à latere & consilio exactus ingratijs; Quinetiam Milites, vel exautorati, & exigua stipis obventione malè contenti, vel memores quid patrassent, ac concessa Amnestia non sat tuti, ab Signis passim delabebantur; renunciato pro more servitio, & libera inter nostrates à signis discessione. Ac cùm proportionatas hostili potentiæ Vires opponere expediret, ob concepta illa dudùm odia, circa ordinationem Exercitûs exautorabantur Cohortes Lubomirscianæ Filiorum, Amicorum, Clientum, in quibus præcipuum robur, & anteactis bellis probatissima opera fuit. Vnde ille exarmatum se ac facilem injuriæ dolens, excusavit Regi in Vkraynam iter, inclinatæ valetitudinis prætextu. Et tunc fortè Quartualis (ut vocant Iulij) expirabat, unde frequenti delapsorum Sociorum abscessu, rarescebant adeò Ordines, ut ex illis numerosis Legionibus, ægrè tertia pars sub signis remanserit.

Cohortes veteranæ exautorãtur.

Præcipuè Marescha: Lubomirscij.

Indicto à Rege ad diem xv. Augusti in Vkraynam itinere, ut quisq; ex Proceribus ad opera belli promptus & alacer, in Commilitium se peregrè eunti Majestati adjungebat. Ac primò Ludovica Regina deliberavit, itura ne Varsaviam? an subsisteret Leopoli? ubi commorari visum certiùs & citiùs notitiam de progressu belli habituræ: illinc avocabant Penates Regij, & sueti àéris temperies; tùm velut è pænu submittendorum Principi necessariorum opportunitas, insuper transigendi cum Austriacis de exemptione Opoliæ ac Ratiborij facilior per loci propinquitatem ratio. Itaq; quâ die Rex in Vkraynam versus, apud Biały Kamień Castra ex binis Nexibus conflata introijt: eodem, Ludovica Regina valedicto, retrò Varsaviam iter suum direxit. Comitabantur in id expeditionis Regem Stanislaus Potocki Palatinus Cracovienſis, Supremus Exercituum Dux, fracta licet valetudine, ast viridi Senecta & alacri animo Heros erectus. Demetrius Dux Wiśniovecius Belzenſis; Ioannes Zamoyski Sandomirien: (sed hic ob ægritudinem à Bario redux) Stephanus Czarniecki Terrarum Russiæ; Ioannes Wychowski Kijoviæ; Petrus Potocki Bracławienſis Palatini. Illustr: Regni Vexillifer Sobieski; Samuel Leszczyński Castrorum; Stanislaus Iabłonowski Excubiarum; Ioannes Sapiecha Campestris Regni Notarius; Iacobus Potocki cum septem ejusdem stirpis cohortium Ductoribus; Danielovicij præterea; Cetnerij; aliiq; magnates Russiæ, quibus solenne semper Principes ad bella comitari, & fundendi in hostico sanguinem occasio, pro delicijs est. Aderant & Togati, consiliis arma promoturi: Nicolaus Prazmowski Regni; Christophorus Pac Lithuaniæ Cancellarij: Ioannes Clemens Branicki, Curiæ

Rex Casimirus tam dè Leopoli.

In Ukraynã movet.

Proceres Regem comitantur.

1663. Regni Mareſchalcus; Chełminenſis Palatinus; ac præter intimæ admiſsionis Miniſtros, Stanislaus Woienski Canonicus tunc Cracovienſis, qui tamen quòd è contubernio amicorum Mareſchalci Lubomirſcii eſſet diffidentiâ laboravit. Crebri interea à Scythis advolabant Nuntii, Soltanos bello accinctos in Campis Cæcorenſibus ſtare, cum numeroſis ſuorum agminibus, alterum jam menſem Regium adventum præſtolando, ac licetſi Porta Ottomanica ſeriò inditiones Cæſareanas, mandaret illis irruptionem, nihilominùs ſocietatem Regis in Moſchuam euntis, magis præferre Hanum, quàm paratas ex Moraviæ latifundiis manubias. Potiebatur rerum ea tempeſtate in Taurica, Mechmet Gierey Han, qui bis ab Imperatore Turcarum ſolio illo dejectus, favore tamen ſuorum reddita Dominatione, minùs æquus Turcis credi poterat, hinc promptior ſociari Polonis; an ſorte inveterato odio impulſus, in bellum Moſchis inferendum. Ergo viſum trifariam Polonum partiri Exercitum, cujus una pars Generalis Potocij ſubeſſet imperio: altera Palatini Ruſſiæ Czarnecij: tertiam Illuſtr: Regni Vexillifer moderaretur: unicuiq; aſsignato itineris tractu, ut Generalis Tarnopoliam progrederetur; Czarnecius per Wołhyniam Dubnam deflecteret: Tertia partitio Barrium verſus tenderet juſſo. Stipabat Regem Corporis cuſtodiæ ſueta Prætorianorum Phalanx, ſub ductu Generalis Fromholdi Wolphij, qui idem curam Armamentarij ſub Magiſtri Artilleriæ nomine obtinebat. Tunc præſentium Tribunorum Pedeſtres Legiones, Stephani Niemierzycz Succamerarij Kijovienſis; Ottonis Erneſti Grothaus; Ioannis Pauli Celarij; Chriſtophori Korycki Succamerarij Chełminenſis; Deboij; Carnocij; Notarij Campeſtris; aliorumq;: Deſultorij Equites ad iij. mille numerati, qui ferè ut nomen ſic ductum Primorum Militiæ præferebant; deducente Regios Ioanne Bokun, præclarâ dudùm in bellis operâ. & haud obſcuri nominis Nobili Livone. Haud morâ feſtinato itinere ſecutus Rex, Podhaycijs ſubſiſtere neceſſum habuit; remorante progredientium Legionum iter, reſoluto in moleſtos imbres cælo, & continuatâ per ſextiduûm pluviâ; quâ madidi & ſquallentes agri non hominibus promoveri rotas in tractum, permittebant. magno impedimentorum ac rei Formentariæ incommodo. Acceſsit conſueta Fluminum ex imbribus inundatio, ac trajectuûm ubiq; difficultas: aquis ſuper alveos, & per ſubjectos campos ſtagnantibus, ac demeſſas in agris fruges, maximè in receſſu abripientibus. Neq; frugum tantùm, verùm & Piſcium, quarum illis oris copia, grandis jactura fuit, violatis elementi vehementiâ ſtagnorum Catarractis & aggeribus, ſimul ex immiſſa ac velut in libertatem aſſerta piſcini generis turba.

Scythæ prægredientur.

Partitio Exercitus Polonici.

Fædatem. peſtas iter impedit.

Inundatio Fluminũ.

Accele-

1663. Accelerationem quin etiam itineris aliquantùm tardavit iterùm recrudeſcens inter Pedeſtres Legiones ſeditio. Quippè iſti, in partem perſolvendi Stipendij receperant dari in pignus Inſignia Regni, donec debitum exolvitur reſtituenda: quæ tunc ſub properum Leopoli diſceſſum, Theſaurus penes ſe retinuerat. Ergo ubi eluſos ſe vident, munia militaria primò intermittunt, mox inconditis clamoribus in cohercentem turbas Palatinum Ruſsiæ Czarniecium invecti, etiam vim uertiſſent; niſi accurſu Cohortium adjutus, ægrè ſedaſſet turbulentos, captis protinùs motûs autoribus, ac laqueo punitis; donec gliſcentem ſeditionem paucorum pænâ extinxiſſet. Penes illum tunc ſumma Imperij militaris erat, Generali Potocio tradente vicariam poteſtatem: Szarogrodum dehinc venit Rex, nihil moleſti itineris moratus difficultates, quod peramplum Zamoſciæ Domûs hæredium, planè in veſtibulo Vkraynæ hæret; nunc exilibus tugurijs conſtans, olim peramplum & populo frequens Oppidum, fructum Rebellionis deſolationem oſtendit; quæ nihil aliud agit niſi ut populoſas Vrbes, & perampla Municipia funditùs delere pergat. Per hanc luem Vkrayna perijt, & ſtirps Coſacorum planè exciſa manet, vix in aliud ſæculum ſuperfuturis, qui ſuſtineant nomen gentis perduellis.

Motus seu Seditio inter Pedeſtres Legiones.

Rex Caſimirus Szarogrodi.

Ad Externa diggredior: non quòd extra Sphæram inſtitutæ narrationis evagari lubeat; ſed quia vicini Imperij exortos in contiguo Motus, adnotare conveniens reor. Hungarica Gens, donec in Fide erroribus inficeretur, utcunq; ſi non morum ſimilitudine, ſaltim Religionis vinculo, Auſtriacæ dominationi devincta, obſequium retinuit. variante Religione variavit animis, diu antè, & crebrò, adverſus Cæſarum Regionem calcitrans, & tunc ſub Turcæ Patrocinio excutere ſubjectionem omninò intendens. Nec Imperiali Gubernio defuit juſtus rigor, tumultus internos compeſcendi: merita ſanè temeritate Hungarorum, quæ in virga ferrea regeretur; niſi tamen pravam indolem ſæpiùs & citiùs corrigat lenitas, quàm pœna. Vbi verò Perduellionis ac læſæ Majeſtatis adverſus Cæſarem comperti turbarum Autores, pœnas Capite luerunt, reliqui ſimilis præjudicati metu, recurrebant Conſtantinopolim ab Imperatore Turcico præhenſando in Auſtriacos ſuccurſui, quem oblata ſubjectione imò totius Pannoniæ traditione licitarentur. Nec ſegnis occaſionum Turca, & vicinorum diſcordiâ ſaginari ſuetus, petaces rejecit; imò in Citeriorem Hungariam Iſmael Baſſam, cum Exercitu immittens, facileq; deditia Provincia potitus, etiam Imperiali ſedi Viennæ obſidium minabatur. Imparatus ad hæc Leopoldus Cæſar, dum juſtis Viribus in reprimendam vim deſtituitur, miſſa ſo-

Motus Hũgarici.

Et belli cũ Turca occaſio.

1663. lenni ad Portam Ottomanicam Legatione, Pacem poſtulavit. eo ſinceriùs exambitam, quòd neutiquam bello cauſam dediſſet. Sed æqua poſtulata à Tyranno ſuperbè accepta ſunt. Nempè Pacem nullatenus niſi ſub Tributo conceſsibilem fore: Exercitui Turcico ut ex Imperatoris Ærario ſtipendium in præſens ſolveretur: Cæſar nemini Principum Chriſtianorum contra Ottomanos auxilium ferret: aliaq; pro ſolito Ottomanuidarum faſtu planè intolerabilia, præter Legatum nullo honore acceptum, reponebantur. Ita dum felix arma tenet, infelix parat, interea Auſtriacas ditiones impunè perſultabant Turcæ, ferro & igne vaſtantes: Moraviâ præcipuè crudeliter divexatâ, Incolis in remotas Imperij Provincias, etiam in Poloniam ſecedentibus. Cùm interim Novæ Arces (Germanis Neyhuzel dictæ) obſidione in ſeptimum Menſem toleratâ, demum ab Adamo Forgacz Præfecto Hungaro inſtantiſsimè oppugnanti Wezyro dederentur. & ſic deditis anguis in ſinum Auſtriacis admiſſus. immeritò Germanis vim illatam conſtabat, etiam Sedem Apoſtolicam pro munere Paſtorali adeò perſtrinxit; ut præter ſubſidia pecuniaria Cæſari ex Ærario Eccleſiæ tranſmiſſa; etiam per orbem Chriſtianum Iubileum Publicari mandaverit, Divinæ Majeſtatis opi, contra eum hoſtem implorandæ: cùm nimiſquàm verum ſit, ibi Divina incipere auxilia, ubi humana deficerent.

A quibus Novæ Arces capiuntur.

Szarogrodi in Vkrayna Rex pacati Nexûs Lithuanici Nuntium accepit, qui à Polonis tanquam ſocijs deſtitutus eoq; languidior, tandem ad obſequium redibat: enixâ curâ ac ſtudio Michaelis Pacij Campeſtris Lithuaniæ Ducis, ac Iewłaſzewſcij Palatini Brzeſtianenſis, quem ei negotio deſtinatum Rex ablegaverat in Lituaniam. Quo verò gnavius à Lithuanis bellum inſurgeret, & eâ parte Hoſtium Vires diſtraherentur; Skłovum ac Byhoviam dum oppugnant Moſchi, reſcindendo obſidio quantociùs deproperare Campeſtris Dux juſſus Pacius, ſedulò commonito eo, ut ſi celeritate opus in opprimendo hoſte videretur, ita feſtinaret, ne quid ea parte Reſp: detrimenti caperet. Equidem grandes tunc Copias collegerant Moſchi quarum xxxx. Mill: cum Ramadenowski veterano Ductore ulteriorem Vkraynam obtinebant, xxx. Mill: Lithuanis infeſta, aut obſidijs Fortalitiorum deſtinata ad frontem opponerentur.

Nexus Lithuanicus diſſolvitur

Bychoviã Moſchi ob. ſident.

Iam in Vkrayna Citeriore illuſtr: Regni Vexillifer ſua cum partitione Cohortium, Scythis ſe auxiliaribus junxerat: Provinciam introgreſsis ijs, ſub Sepher-Gereio ac Melligêreio Soltanis, illo Principis Tauricani Fratre, hoc Filiaſtro: quod apud illos dignitatis vocabulum Soltan denotat Lineæ Regnatricis ſtirpem, quales apud Gallos Principes Sanguinis dicuntur. Hos in anteceſſum prævenit

Sobieſcius Scythis ſe iungit.

Dediſz

1663. Dediſz Aga, ex crebra commeatione Aulæ Polonæ notior, folita Donaria in uſum belli repoſcens, etſi xxxx. Mill: Scytharum conficiendo bello parùm eſſent, ſecuturos alios numero pari, inſuper & ipſum Hanum cum reliqua Tauricæ potentia, ſi placet adfuturum. Ac cùm pleraq; de modo belligerendi, nomine Hani inſinuaſſet, ad Conſilium futurum dilatus eſt; quod propediem convenientibus Tribunis habendum Rex decrevit.

Interea ſparsìm, ac velut reluctabunda Regem ſalutabat Vkrayna, veniebãt Tribuni Coſacorum, tergiverſabantur alij: multi ſub Rebellione nati, quale ſit nomen Regis & potentia. ignorantes, præſentiam ejus pro Paradoxo accipiebant; cumq; nonnulla Municipia Portas Polonis aperirent, alicubi firmioribus clauſtris ſiſi Incolæ, temerè occludebant, imperatos Commeatus & obſequium palàm detrectantes. Non enim ad inſtar alicuius Ordinatæ Societatis, Vkraynenſes Populi agebant: nulla apud illos æqui & honeſti cura, ut quiſq; validior ſic jure potior erat, & ſimul cum excuſlo in Patriam obſequio, omne ſublatum apparebat Iuſtitiæ (quæ Regnorum anima) veſtigium; dum vis Iuri præpollet & potentia æquitati. Sed effærabat vel maximè animos, ſuapte Naturà mutabiles, quòd dum Turcam, Scytham, Moſchum, & Polonum, vulgari delectu in Dominos pro libitu adſumunt aut mutant, in ea dominantium pluralitate exleges, ac ſine Ordine in confuſiſsimo Statu penitus exiſtebant. Reducere confeſtìm ad regulam & ordinem; obſtabat belli gerendi ratio; quod priùs conficiendum eſſet, tum demùm pacanda Provincia, firmato legitimi Dominii regimine, ac confuſum Statum anarchiæ propiorem intra Orbitam reducendum; quâ Clementiæ illicijs, quâ neceſſaria pænarum ſeveritate. Iam hìc Paulus Tetera Exercitus Zaporoſcenſis Præfectus, ægre ſuſtentata Czechryniæ vi, (ubi à Brzuchowieccio cum Coſacis nuper obſeſſus, ac diu pertinaciter oppugnatus fuit: donec Rebellis adventum Regis præſentiẽs abſceſſerat) ſpecimen Fidei daturus, ad Regem cum Tredecim Tribunis Coſacorum advolavit, erectus animi, ut Hoſpiti Regi primam in præſens operam abundè teſtaretur. Aderant in conſortium Hanenko, Mieleſzko, Hohul, Kulanicki, tum ut quiſq; potiorum è Coſacis fidem jactare volentes; ſolò Sierkone Scythis diffiſo, ac in Inſulas Zaporovianas, ubi ſecurior foret ſe proripiente. Is etenim Militiâ apud Coſacos haud obſcurus, niſi magicis obſervationibus addictior eſſet; vatinianum ſemper in Scythas præſetulit odium, continuis Gentem vexando excurſibus; etiam anno præſenti bis apud Perecopum fuderat, abactis ex gente aliorum prædatrice, opimis tam hominum quàm armentorum ſpolijs. Hinc quia

Coſaci Regem ſalutant. & oſcitanter accipiunt.

Tetera ad Regem Salutaturus venit.

formidi-

1663. formidolosa sibi societas Polonorum cum illis videretur, maluit in recessu securitatem, quàm cum discrimine aslerere obsequium.

Perfuncti salutatione Cosacorum Tribuni (quorum aliqui exilia munuscula afferebant (mox Consilio Militari adhibiti sunt: datáq; simul Dedisz Agæ ab Hano commissa enuntiandi facultas; qui velut Aphorismos belli ex charta recitavit: uti quàm primùm Rex fervore Militum usus, in ditiones Moschorum sine mora progrederetur. Vtile quippè (rationem subjungens) futurum, si alieno non suo Pane aleret Exercitum; ad hæc conducere bellanti Terras Hostium quantociùs invehi, cum Miles in hostico chalybe durior, in proprio solo vitro fragilior sit: interim intactas eas oras præstandas, ubi laboribus & vulneribus lassata Militia, respirare postea commodè & si inedia præmit, parato commeatu refici possit. Cumque is Logicæ expers Syllogismum in forma conficere nesciret; subdebât nostri Conclusionem. Tum demùm Scythis prædâ repletis quantociùs in Tauricam remeandum. Non devia tamen à ratione belli dicere visus, nisi altiùs expenderet Rex. Prius ne Kijoviam, Moschovitico insessam Præsidio recuperare necessum foret? ne à tergo obex relinqueretur? an divisis bifariam Copiis citrà & ultra Borysthenem bellum simul instituendum? Suppetebant quippè Regi Vires, cùm supra xxxx. Mill: Scytharum; Polonorum Numerus attingeret xxjv. Mill:; etiam Cosaci Regias partes professi, totidem componerent, ut ex oblatis patebat Matriculis: sed isti more suo nunc ex obscuro prodeuntes, rursus latebris & parietinis clausi, velut Muscæ intra rimas delitescebant. in speciem tantùm auxilium ostendentes & clàm quâ possent obliquè sociis nocerent. Vnde Concluſum in Consilio, uti primo Stawisicza, quod in meditulio Vkraynæ peramplum municipium est, in sedem ac depositorium onerum Armamentarij designarentur; etiam pro ægris vulneratisq; instituto hîc reclinatorio: addideratq; ad loci custodiam Rex pedestrem Tribuni Czarneccii Legionem, ac aliquot levioris armaturæ Cohortes cum Sebastiano Machowski, commeatui procurando. Ipse festinatò Hippanim haud longè Winniciâ transiens; rectâ Album Fanum (Białacerkiew) tetendit; ubi sæpiùs vocatis Proceribus Militiæ, dum priùs placita displicent, de ulteriori progressu armorum sententiæ exquirebantur. Equidem Palatinus Czarniecius, cùm plerisq; veteranorum Kijoviam adoriendam censebat, haud relinquendam judicans quæ vel victori insultaret à tergo, vel cladem passum moraretur: simul facilem expugnatu ostendens, uti cujus nuper præsidiarios, pabulatum eggressos, Hanenko cum Cosacis ad ter mille attrivisset. Dum deliberatur, subinde venerant duo Scytharum Primores, salutando Regi Officium

Consilium bellicum apud Regem.

Stawiscza in onerum Depositorium.

ficium præstituri: media ætate alter, virilem alter orsus, (Sultanos vocant) uterq; haud temnenda corporis forma, & justa statura membrorumq; Symmetrya. Adpressa pectori manu salutabant Casimirum, nam illis dimovere è capite Pileos extra morem, ac postquam aliquot idiotismi sui verba protulerant, de sanitate Regis per Interpretem percunctabantur; quo brevi officio perfuncti, in constrata tapetibus humo, in culcitris consedêre; Rege sublimiori sella supra hospites eminente. Vbi more suo pransi, prælibatis pro salute Hani ex hydromele poculis, pari in Regem veneratione respondebant: dum consurgunt à mensis donati polymitis vestibus, quarum una Zabellinis, altera Mardurinis pellibus suffulta esset; & adjecto bellariorum vice, per Mille Aureos utriq; donario.

1663.

Primores Scythæ Regem adeũt

Planè decisum ex Sen: Con: manebat, uti Rex citeriori Vkraynâ cum delectis Legionibus subsistens, Rusiæ Palatinum Czarnecium trans Borysthenem expediret; qui cùm adjunctis Scythis bellum ea parte gnaviter occipiens, mox venturo Regi viam militarem sterneret, donec ipse adhuc dùm turbidum ea parte animorum Populi Statum componit. Verùm mox aliud expedire visum, moto confestim trans Flumen Exercitu, & Rege in ditiones Moschi iter destinante: interim relicta ea parte Vkraynæ, Præfecti Teteræ dexteritati, additoq; cum plerisq; Cohortibus ut dixi Machovio Tribuno, alijsq; dudum hic manentibus Chłopicii ac Ielscii Turmis. Quo verò non imaginarium in Cosacos Regimen Tetera monstraret, cœrceretq; dissolutam per omnia plebis licentiam, Popenkum Tribunum animo turbidum, probato crimine quòd cædis Ioannis Samczenko Viri inter Cosacos insignis reus esset: Militari judicio damnatum Korsunii palo infigi jussit, haud occulto plebis murmure, in unius capite rudimentum Tyrannidis poni, uti posthac erudita in cædes manus Præfecti, expeditiùs in plurium jugulos sæviret. Neq; Clerus Græco-Rusus omisit salutandi Regis officium, eminente inter sacricolarum turbam, Georgio illo, jam Giescone, Bohdani Chmielnicii Filio, qui sub Cucullo Monachali veniens, nomine Cætus sui ad Regem peroravit. Aderant simul Iaskolski, & Winnicki, Kijovienſis Metropolitanæ Sedis competitores; quorum prior quòd suffragium pro Collatione beneficij ab Hoste Moscho requireret; jure merito à consequendo rejectus; oblata per Cancellarium Chmielnicio Regis gratia, ad Primitialem Ritus Græci Tyaram, si modo ipse vellet, obtinendam. Ast is velut non sat à doctrina & ætate instructus, dignationem excusavit: simulatione an modestia incertum? an forte obstante Fato, illud caput sacris Infulis devoveri noluit, quod mox abjecto Caputio ad profanam Mitræ Investituram relaberetur?

Exercitus Boryſtenẽ versus procedit.

Tetera citeriori Vkraynæ imposito.

Clerus Rexolanq; Regem veneratur.

1663. *Iudæus Cracoviæ blasphemus.*

Sic fervente per Vkraynam bello, etiam Hæbrea gens, ex congenita in sacra nostra rabie, arma in Ecclesiã vertebat. Erat ex ea fæce Cracoviæ aliquis Matathias Iudæus, arte Pharmacopola, aliqua Latinarum literarum quod ea professio requirit, excultus notitia: pro superstitione Gentis, in suo Iudaismo nimisquam obduratus & acer. Innotuerat ille compluribus ex medendi peritia, qui dum occasione artis, Myropolium P.P. Dominicanorum ad SS. Trinitatem sæpius invisit, ex contingenti familiaritatem contraxit, cum certo eiusdem Ordinis Patre, ad San: Adalbertum idiomatis Germanici Concionatore. Cum quo sæpiùs amicè collocutus, demum eò venerat, ut de pleriſq; Fidei nostræ Capitibus problematicè insinuatis disceptando conferret. Sed inferior rationibus & veritate demonstrata victus, pro perfido Recutitæ gentis ingenio, dum in documentis scripturarum deficit, in sacra nostra blasphemus ultionem calamo attentavit. Quippè virulentissimo scripto in Deum T. Max: Matremq; ejus SSmam tam primigeniæ labis, quàm omnis reatus immunem deblaterans, ejus blasphemi scripti farraginem in Templo Sanctissimæ Trinitatis, advertente nemine ad Altare projecit; quòd demum repertum Religiosis loci, mox & Ordinariam potestatem Consistorij Cracovienſis permovit, uti convocatis Theologis, & expensa probè contentorum virulentia, super autore inquireretur: pervicatiæ tanti ausus, & Contemptui Ecclesiæ exemplaritèr vindicandis. Ast qui scripserat tantisper autor latuit, donec non nemo, qui & ipse recens ab Iudaismo ad Christianam fidem conversus, fecisset indicium, ex suo cum Matathia colloquio, similibus argumentis ad retinendam Sectam suasus etiam appellaret Librum de nomine, ex quo hæ blasphemiæ desumerentur. Cùm interea apella iste conscientia tactus abstineret publico, desertaque cura medendi, se se fornice obscuro claudens, indici semel atq; iterum commissus, etiam ex Characteris conformitate argumento probabili, à brachio Sæculari strictiori carcere mancipatus fuit, mox ad Tribunal Regni Petricovienſe remissus, ut execrandus in sacra furor, illo demum Foro quòd ultimæ Instantiæ vocatur, ex demerito puniretur. Vbi agitata causa, ac plena probatione, læsæ Divinæ Majestatis convictus, ad rogum cremandus damnatur, cumque ignitæ forcipes blasphemam Linguam decerpsissent, mox manu dextra quà scripserat ambusta, ipse demum flammis ultricibus in favillam redactus fuit. Ac velut violatæ nefario ausu Religioni, non sat ex ordinaria pæna ultionis esset, Iuventus Studiosa Cracoviæ, rursus in miseram illam Recutitorum turbam, motum & manus extendit: usq; adeò acerbè & perseveranter, ut ad dimidium mensis in vico Iudaico oppugnati defensanteſq; agerent; & diu post ab Vrbe & Commerciis excluderentur.

In Carcere conjectus.

Demùm igne absuptus pœnas subijt.

1663.

Vltra Boryſtenem Casimirus iter prosequebatur, omnes abrumpens moras; quò an aliquis Prædecessorum Regum diverterit? in Annalibus non comperio. Boleslaum quidem Audacem Kijoviæ diutiùs commoratum Historia memorat; ast Boryſtenem primus. Ioannes Casimirus tranavit, si modo conatus Heroici tantum in effectu emolumenti attulliſſent, quãtùm in præmium laboris gloriæ sperabatur. Quæ eò modo adornata Expeditio est Hanenconi Cosacorum Tribuno datum negotium, uti ad tranandum amnem conquireret. Navigia, (quæ Baydaki vocant) ex solidis trabibus compage firma, & capaciori alueo quàm Pontones apud nos in fluviis: quorum ille xvij. nactus, in citeriorem ripam traduxit. Verùm pleraq; luxata aut confracta, & quæ nisi repararentur usui esse nequirent, reperti tamen inter Legiones artis Lignariæ periti, detrimenta earũ sarciebant, reparabantq;, constituto labori premio, & annona festinantibus. His die 13. Novembris Rex, nihil incommoda autumni ac frigidi àéris inclementiam moratus, apud Ryszczowo Olizarii Nobilis Roxolani Oppidum, primo duas Legiones cum aliquot Rorariorum Turmis, in adversam ripam Custodiæ causâ expediit; dein duas Insulas medio amne exstantes Tormentis ac Peditatu firmavit; in Casum si vis aliqua à Kijovia, quam Moschi præsidio obtinebant ingrueret, avertendæ. Etiam Scythæ apud Tripole, more suo Caballos præ se agentes mira festinatione traiiciebant, eo alacrius, quod illa parte Amnis Commeatuum affluentia major speraretur, & agere prædas sine discrimine liceret, jam velut in hostico. Hic ad ripam equitanti Regi sistitur Moschus, sub titulo Nuntij, satius Explorator, qui adventûs causam ad quid venisset districtè quæsitus; citius responsum à Rege tulit, quàm Commissum Ducis sui ediſſerere potuit. Simplicitèr, exhibitis literis pro Pace apellabat, conficiendæ ei annuas Inducias requirens: sed cum palàm esset in elusionem belli moram prætendi, uti interea aversa hostilitate labefactatæ Hosti Vires reparerentur; assensus in Pacem Rex, Inducias negavit: nempè si mitterentur cum plena potestate à Magno Duce Commissarij, mox se coram, Deo dante componi violatæ Pacis controversiam posse respondens; nec aliter belli mala, nisi pactis Fœderum avertenda. Ita expeditus, permissa inspiciendi Exercitûs facultate, lintre Kijoviam altero postquam venerat die remeavit.

Iter Regis ultra Boryſtenem.

Quemtranat feliciter.

Moschus Internuntius.

Vbi superatus Amnis, nihil patrando bello celeritate conducibiliùs videbatur, si modo hostis aperto Marte de summa rei decernêre

Exercitus Pol: in Ucrania.

1663. cernêre vellet; attrito tàm itinerum longinquitate, quàm injurijs Cæli milite Polono, & per ſubductam paſsim per oras illas annonam famè Peditem ſternente. Quippè Eques lixarum aut Pabulatorum beneficio, faciliùs inediam tolerat; contra Pedeſtres Legiones, niſi parata præſto ſunt edulia, fame protinùs ſuccumbunt. Conſtabat, ſupereſſe tunc Ramadanovio quas Regi opponeret Vires, niſi vetus Dux, & præter ingenium gentis ab experientia cunctatur, vim Regiorum morâ eludens, defenſivè potiùs agere mallet. Quippè inſurgens bellum, velut è ſtipula Ortum ignem obiter deflagraturum ratus, in Arcium Præſidia peditem traduxerat, quidquid Equeſtrium Virium eſſet, permunitis apud Paticolum Caſtris continendo: interea Commeatus quoſvis pro Polonis intercipiens aut corrumpens; inductiſq; Coſacis quominus undiq; furtivis excurſibus Regios indeſinenter carperent. Ergo Regi ſupra quàm CCC. Arces expugnandæ erant, quarum Caput Kijovia, ſeptem Mill: Moſchorum, & omnigeno commeatu permunita obſtitit; præter alias quæ velut capiti ſuo membra famularentur, quas donec ſubigimus vincendus erat hyemis rigor, Cæli inclementia, famis incommoda, tum demùm his viriliter toleratis, ubi tepor vernus brumam reſolvit, cum recenti Moſchorum & Coſacorum Potentia depugnandum. Attamen Rex à fortioribus conſiliis nullatenus reſiliens, quominùs tàm Famæ quâ bella conſtant, quàm rationibus ſuſtentandi Militis conſuleret, non aliter ſe expedire decrevit, niſi quæ Portas claderent Municipia, adhibita vi, & forti brachio recluderentur.

Vires & artes Ramadanovij

Rebellia Oppida ſubiguntur.

Prima itaque Woronkowia, Vires Regias experiri præſumpſit. ſed hæc ab Lixarum agmine in anteceſſum præventa, & injecto prædijs igne mulctata; demùm ubi Sielnicius vehementi Cohortium incurſu Oppidum aggredi cæpit, extremorum metu arbitrio victoris ſe dediderat: parcente ſupplicibus Rege protinùs, ac ſperante profuturam compeſcendis reliquis clementiæ famam. Plus negotij faceſsijt Baryſzpole, à præmiſſo Choynaccio commonefactum, neu iter Regis Victoriam præſequentis moraretur. Quod arroganter nec pro Subditorum more reſpondit. viam ſe peregrè tendentibus Polonis non aliter quietã conceſſuros, niſi & illi omni injuria in Oppidum ſuum abſtinent, & circumferentia vallorum clauſos indemnes præſtant: aliter ſibi quoq; manus ad tutellam ſalutis ſuppetere, quod ſi hæ in vim repellendam non ſufficiunt, affore mox ſuccurſum, & in proximò innocentes protectura Moſchorum auxilia. Vbi patuit vim provocari, mox Sapiecha Campeſtris Regni Notarius, obſidium deſignat; ac admoto Peditatu oppugnatio cæpit, ab noxio Pilarum Granatorum jactu, quibus in Tecta ædificiorum incendio graſſantibus,

Worõkowia

Baryſpole.

1663. bus, ſimul & vndiq; ad aſſultum Milite ingruente; ſubito in alios verſi Incolæ, per emiſſos Sacricolas miſericordiam ſuppliciter petiêre: quibus extrema licet meritis, dum Portas aperiunt, tradito Soba Centurione turbarum face, indultum fuit. Armentis tamen,& annonâ, quæ copioſa inerat mulctati, exitium obſequio antevertêre. Allapſus hic ad Regem ex Lithuania nuncius afferebat; Bramuntum Tribunum Moſchorum, eundemq; Tormentorum Magiſtrum, dum in obſidium Byhoviæ Majores Machinas deportat, cum quatuor ferme Millium agmine, à Ducibus Lithuanis apud Wopiska pagum diſsipatum, Machinas captas, etſi modò in totum ſopita Exercitus Lithuanici de exolvendis Stipendijs controverſia permitteret, plura perfici poſſe: imò concordi Exercitu, ab obſidio Fortalitiorum Moſchos facilè depellendos.

Moſchorũ agmen Lithuani diſſipant.

Is Regiorum armorum progreſſus, evidentèr concuſſerat obduratæ Cervicis Coſacorum Rebellium temeritatem. Vnde complura Oppida Viribus diffidendo, præmiſsis qui deprecarentur, obſequium dedititij ſimulabant: ſimulabant inquam, quippè una Porta noſtris aperta, altera admittebant Moſchos, quibus in cædes juncti, ſecuriores Polonos per inſidias trucidarêt; ita ut nullius loci ſeu receptio ſeu deditio, ſine jactura ſanguinis Poloni contingeret, vel ſaltem non ſine notabili requiſitorum Armamentarij jacturâ procuraretur. Et ſi nec illis tuta perfidia, & impunes doli eſſent; pervolitantibus circumquaq; Scythis, ac ferrò & igni cuncta vaſtantibus, poſtquam numeroſum incolatum in ſervitutem rapuerant. Coercendis excurſionibus, Ramadanowski, xiiij. Moſchorum Millium Coſacis aggregata, cum Brzuchowiecki (Nakazny, id eſt locum Tenente ſuo) expedit, qui & palabandos Scythas depelleret, & ſi daretur, in Regios ſparſim & temerè per Municipia vagos, experiretur. Quod ubi innotuit, agmen hoſtile apud Rumno Wiſnioveciæ Domus hæredium ſubſtitiſſe; confeſtim Czarniecius, ſuo more in prima pericula celer & agilis, præmiſſo exploratum cum Rorarijs Telezynio, ac cognito venientis famâ conjectos in fugam Moſchos extra limitem receſsiſſe; Rumno Oppidum ſane populoſum, ſed à Præſidiarijs averſa porta abeuntibus deſertum, intravit: inibiq; fermè ſextiduo moratus, optimo pabulo Legionum Equos aliquantum refecerat. Qua hic brevi conſumpta annona, & ampliorem detrectantibus vicinis Oppidis ſubminiſtrare rapere Miles cogebatur, additis pabulatori Turmis quæ vim adhiberent in reluctantes. Vnde xvij. clauſa adigente metu Oppida, Portas aperuêre. Eodem ſucceſſu progredienti Regi Oſtre receptum fuit. Quæ amplo reditu Præfectura, Olim Ducibus Exercitus beneficio Regum tribuebatur,

Coſacorũ ſubleſta fides,

Oppida vi & metu recluduntur.

1663. unde proventu aucti, haberent ſubſiſtendi in Vkrayna commoditatem, vel propter exorientia ea parte bella reclinatorium. Cæterum Oſtre, arduo loci ſitu, præter ingenium artis validiſsimam Munitionem Naturæ debet; quippe trino amne alluitur, Deſzna, Oſtra, & Paproka: inter quorum confluentes, ac reſtagnantes undiq; paludes, anſeries in modum innotaie aquis videtur. In rem obſidentium erat, conſtringi hyberno gelu Paluſtria, mox & Fluvios glacie indurari, faciliori ad oppugnandum conatu, & incolis ob rigorem brumæ ex ferocia remittentibus. Qui de deditione per Fecialem Regium requiſiti, primo ambigua reſponderant: nempe quòd facere vellent non poſſe, à Moſchis Præſidiarijs conſtricti, in quorum poteſtate non valla tantùm & Portæ exiſterent, ſed vita & fortunæ Municipum. Tum verò adornata impreſsione, (die vj. Decembris) Peditum Legionibus injunctum, quatenus faſcibus virgultorum nondum adultam glaciem inſternentes, ea via in Latus Oppidi perumperent; altera parte famulitio Caſtrenſi juſſo, uti ſubitario ponte, & ex Obvijs Caſis per Oſtram Fluvium conſtructo, ad datum è Tormentis ſignum, in Rebelles provolarent. Acerrimè itaq; exerta vis, neq; minus ſtrenuè tolerata, diu utriſq; pertinaci ad invicem conflictu decertantibus, præcipuè ad jactum artificioſorum ignium, quibus è Coſacis permulti cecidere; neq; minori Peditum noſtrorum jacturâ, ubi per noctem ſæviſsimo frigore ſtationem retinendo plurimi exanimantur. Cùm interim media fermè nocte, exauditur ab Excubitoribus fragor, ſeu tumultus aliquis; velut retentantium ac vim inferentium, quod poſtea ſubdolè actum ab Oppidanis conſtitit, poſtquam præſidium Moſchorum à ſe dimiſerant, uti Fidem ſuam jactarent, tanquam abeuntes ſiſtendos Principi, retentaſſent. Poſtera lucè miſsis qui imperata facturos nuntiarent, conſuluerunt ſaluti, in gratiam recepti; exacta tamen pro Regio Milite annona, quam nullo lure Hoſtibus affatim præbuiſſent. Iam laborum moleſtia attritus, & cælo graviori fatiſcens Miles, in neceſſariam quietem unanimi Procerum Militarium conſilio, per Municipia diſponendus omnino videbatur; & ſi periculoſis nimiùm Hybernis, non ſat commodè refocillandus: circumfuſo paſsim Hoſte, ac ad nocendum intento; & Polonis quantociùs armatum iter in terras Moſchorum agitantibus. Itaq; Rex aliquot ante Feſta CHRISTI Natalitia diebus, conſtitit Oſtry; Municipio quidem ſpatioſo, ſed nimis quàm anguſto pro Regia dignitate domicilio. Vnde, in Arceto veteri Przygrodek dicto ex tempore Ædes conſtruere neceſſum fuit, in quibus Aèris brumalis intemperies, utcunq; arceri poſſet. Stipabant Regem Wolphy ac Deboij geminæ Legiones, tum

Oſtre præſ.

De deditione agitur.

Mox adornatur impreſſio.

Oſtry Rex ſubſiſtit.

Legiones in Statuis.

præter

1663. præter Aulicum Comitatum ac ſolita ſervitia, Deputati Cohortium, qui ad Latus præſto eſſent, ex omnibus Turmis bini delecti Commilitones. Generalis Potocius cum ſua (ut tunc vocabant) Diviſione, Kozielcij Stativa fortitus. Illuſtr: Vexillifer Regni Dubrownicæ; Palatinus Czarniecius Moſtolij; & ſi is velut extra neceſsitatem reſpirij poſitus, vix aliquam, & ſibi & Cohortibus concederet quietem, & circumſitis Municipijs continuò infeſtus, eandem quam illi noſtris reponebat inquietudinem. Hinc Militis ob enectos Equos, ipſoſq; quotidianis fractos eruptionibus, querelæ & murmura; Palatino viciſsim arguente verbis, contractam in Nexu Swiderſcij ſegnitiem, quæ veteris virtutis planè immemores, nunc velut torpida animalia ad opera Martis redderet.

Scythæ abitum parant.

Scythæ interim perfunctoria exhibita opera, poſtquam ſe præda repleverant, protinus abitum in Tauricam adornabant: more Lupi qui jejunus diſcurrit, ſatur ſtertit. Ita illi per oras contiguas palabundi, & ſi nonnulla Municipia Metu ad Officium adegiſſent, ubi tamen præda & manubijs ſatiati, magis rapacitati ſuæ quàm in ſummam conficiendo bello intendebant. Sanè plura jam non ex deſtinatione Regia proveniebant; unde & Scythis cùm regreſſus negari non poſſet, in ſpeciem concedebatur: vel ipſo jam agnoſcente Rege plus ſibi virium ac potentiæ ad incipiendum bellum, quàm rationum ac Conſilij ad conſumandum ſupereſſe. Quippè angebat notabilis rareſcentis Exercitus diminutio, dum vel maximè arma in Hoſtem vertenda decerneret. Miſsi proin ad Sultanos, qui abitum in breve tempus diſuaderent, addita retinendis largitione: ſed illi omnino regreſſum prætendebant, ſatis ſuperq; præſtitæ operæ jactantes, quod hucuſq; perduraverint. Non nihil Solatij inerat per Nuż Murzam excuſante Hano abituros; ſed qui mox alios in ſuccurſum miſſurus eſſet, ut animis ſic Equis recentibus operam Regi gnaviter præſtituros. Sic diffluentibus in ipſo procinctu belli, auxilijs, geminari pericula palam erat, dum & Scythæ quorum excurſus tantiſper còércebant intra Oppida Plebem, in Tauricam remeant, & Coſaci exoluti metu, undiq; in noſtros velut ad datam teſſeram conſurgerent, imò pleriſq; in locis, aut ſtativis exigerent, vel opprimerent Polonos. Vertente Ianuario deſerta Oſtry ſtatione, Exercitum Rex eo conſilio movit, uti promotis ultra limitem Moſchoviticum Signis, Exercitui Lithuanico junctus, rarefactas dilapſu Scytharum vires, quoquo modo inſtauraret. Quòd ut innotuit Coſacis, crebris mox in noſtros agminibus involabant, tergo vel maximè imminentes, in tantumq; creverat audacia, ut Brzuchowiecki cum xviij. Millibus Rebellium abeuntes carpens, mox per compendia vi-

Rex in Moſcho: pergit.

1663. dia viarum apud Staryninum in frontem Exercitui ſe obijceret; velut conflictus neceſsitatem imponendo: ſed ægrè prima impreſsione tolerata, à Palatino Czarniecio, & Ill: Vexillifero notabili clade retruſus, & diſpallatus, fugæ ſalutem commiſit, Cæſis ſuorum permultis, quorum plus quatuor Mill: fugiens in arena reliquit.

Coſacorum clades.

Dum verſus Novogredecum Severiæ Exercitus tendit, tranſmiſſo Nowomłynie Municipio, Metatores Regij ad proximum pagum Caſtris locum delegerant, ex eo, quod ruri contigua ſilva eſſet, unde facili lignorum copia excitatis ignibus, in frigorem nocturnum Miles refoveretur. Fortè Prazmovius Cancellarius incommodorum Caſtrenſium pertæſus, juſſerat ſuis quominus capto hic hoſpitio, noctem eam quietis cauſa in Oppido ageret; nullum à tergo diſcrimen ſubeſſe ratus, crebrioribus Excubijs per latera Caſtrorum diſpoſitis, & ſecuritati attendentibus. Erat Nuzny Coſacorum ante Centurio, jam nunc ex verſipelli in furta bellica indole, nomen Tribuni ſortitus: qui comperto Regios ſecurè in Oppido hoſpitari, noctis uſus interſtitio, quæ tunc longiſsima eſt, Coſacos motum & progreſſum noſtrorum accuratè obſervantes, ad facilem prædam inſtigat, ſi mox facto impetu omnes, ſe Duce Nowomłynum ingruunt, diſcinctis ad interulã Polonis quietem interrupturi. Quòd ſanèpræſtitiſſet, niſi Taraſſovij Valachorũ Ductoris Cohors, recens ab Exploratione rediens, ac pro more Militiæ paratis equis hic pernoctans, certè multis funeſtam ejus Noctis quietem Coſaci feciſſent. Quippe primum impetum utcunq; ſuſtinentibus Valachis, ſpatium fuit Prazmouio ex in tempeſtiva quietis commoditate, ad Caſtra ſe ſubducendi. Aſt poſtquam ſummè periclitatus euaſit, currus omnes cum pretioſa utenſilium copia, Hoſti in prædam ceſſêre, etiam Graphiario argenteo in menſa relicto, ac multa cum Scriptorum arcanorum farragine. per manus diripientium, intercepto. Major tamen tumultus, quàm jactura fuit, xiij. ex noſtris tantùm deſideratis, & Nuznio poſtquam ſpolia rapuit, ejuſdem noctis beneficio tetrovertente.

Prazmovij Cancellipericulum.

Sic inter obvia undiq; pericula tendente in hoſticum Caſimiro, non injuſta Remp: ſubibat ſolicitudo, tantis diſcriminibus Principem temerè objici: quæ dato caſu, ut fermè eſt variabilis bellorum alea, irreſarcibili Regnum Poloniæ iacturâ involuerent. Quid enim aliud auxilijs Scytharum ſe credere, niſi Ovem Lupo comitti? præterquam quòd lege divina explicitè vetetur talis cum Barbaris ſocietas, etiam ſat liquet, non gloriæ prætextu, aut Regni commodo, tot præliorum vices exceptas, niſi ut Taurica ſpolijs Chriſtianorum repleretur? Vkraynam membrum quidem & appendicem Poloniæ eſſe, ſed quæ Ducum Militiæ auſpicijs, aut Legatorum ex Comiſſo opera, Civili inſu-

Resp: de Rege ſolicita.

vili inſuper tractandi medio, à Moſcho uti malæ fidei poſſeſſore recuperari poſsit; non Regij capitis obiectu, aut cordis periculo, quod ut primum vivens, ſic eſſe debeat ultimum moriens Poloniæ. Hæc in privatis, hæc in publicis congreſsibus paſsim jacta, à pleriſq;, pro ſincero Gentis in Regem cultu & affectu, nonnullis oppoſitum fortitudini exceſſum arguentibus; dum provocando temerè diſcrimina in ea ruitur, nullo uſu aut neceſsitate, ſed ſola oſtentatione agendi. Ea cura primo loco Palatinatum Cracovienſem, uti par erat advertit, ut ex Conventu Particulari Proſſovicijs habito, delegarẽt è gremio Ordinis Equeſtris, Nicolaum Oraczowski, ac Ioannem Bylina Viros maturos, qui nihil obſtante longinqui itineris difficultate, ad Regem eluctati, nomine Concivium ſuorum ſuppliciter deprecabantur, Majeſtatis ex Vkrayna regreſſum, quæ non ejus pretij, aut Ordinis cenſeri debeat, uti non niſi ſalutis Regiæ periculo, vel impenſa recuperabilis videatur. aliaq; in Inſtructione adjecta, Fidei erga Principem & affectui teſtandis. Similia & ab alijs Palatinatibus afferebantur. Laudabilis, & ſi minùs grata ea Legatio Cracoviensis Nobilitatis Çaſimiro fuit, in ipſo confinij Moſchovitici limite accepta. Nam obiter ſuper quibus mitterentur, enuntiare Delegati juſsi, poſtquàm retulerant, contemptum propè expediti ſunt. Indignante Rege, ac eam revocandi ſui in hoſtem euntis, ſolicitudinem ſuperfluam cenſente; aut ſaltem minùs neceſſariam videri, niſi ſic invidis Regiæ gloriæ Zoilis placeret, qui exarmatam in medio curſu victoriarum Majeſtatẽ, imperfectô bellô abſcendentem Vkraynâ in odium Popularium traductam velint: mox Exercitum ſine Capite exiſtentem, in iterandum Nexum; deniq; Patriam in ineluctabile diſcrimen, protrudendam intendant. Haud occultè autorem Legationis perſtringendo, cujus velut inſtinctu, ſpecioſa verbis, rerum inania, tam immenſo Terrarum tractu ad Principem bello intentum mitterentur. Cùm tamen Mareſchallus Lubomirius, in ſeceſſu Dabrowæ agens, neq; Proſſovicijs in Conventu Particulari adfuiſſet, & curas publicas tantiſper ſeponens refocillandæ interim valetudini, ac venationibus incumberet. Nec mitiùs, dum ijdem Palatinatus Delegati Regi valedicunt, in viam dimiſsi ſunt, peracerbè Cancellario ob generoſas pro libertate voces in Oraczovium invecto, ac velut non obſcuræ in Republ: ſeditionis documentum, carpente.

1664.

Legatio Pal: Crac: ad Regem.

Ingrata Caſimiro.

A. M. D. G.

N ANNA-

ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTERIS TERTII, REGNANTE JOANNE CASIMIRO, LIBER III.

Elenchus Contentorum.

A. CH. 1664.

INsolitus Hyemis rigor ad gerendum in Vkrayna bellum Polonis conducit. Rex sub anni exordium ex Statuis mouens, diuersa Municipia capit. Eychouia exacto Moschorum Præsidio nostris adjuncta. Scytharum auxiliarium cum Karaß Bego aduentus. Sosnica deditur. Tormentum in Amnem prolapsum unius Militis audaciâ educitur. Lithuanorum cum Moschis conflictus. Alter Exercitus eorundem Regi occurrit. Gluchouia oppugnatur, & vim sustinet. Præcursorum in Moschouiam irruptio. Apud Regem diuersa consilia agitantur; hinc Regis cum Senatu deliberatio; Nostrorum in Moschouia res gestæ, qui terrore & populationibus cuncta permiscent. Vkrayna interim citerior turbatur; cui pacandæ Czarnieccius cum Ill: Vexilifero destinantur. Scythæ manubijs referti, iterum in Tauricam festinant Wychouij Palatini Kijouiensis interitus. Mobilouia fortuito igne conflagrat. Ludouicæ Reginæ ægritudo. Casimirus Minskum Lithuaniæ abscedit; cumq; Exercitum Polonicum Vkraynæ pacandæ dimisisset; Lithuanicum securitati Commissionis attentaturum ordinat, ipse Vilnæ exceptus. Moschorum geminum agmen iterum dissipatur. De bello à Turcis in Cæsarem Leopoldum moto, relatio. Cadauer integrum Sacerdotis humo eruitur Cracouiæ. Rex Varsauiam redit. Inter Turcam ac Cæsarem Pax condicta. Potocio ægrô, cura Vkraynæ Czarnieccio committitur. Is pacandæ Prouinciæ seueriora remedia adhibet; ac plerosq; turbarum suspectos, iniecta manu prehendit. Stawiszcza obsidet, demum & capit. In Lubomirscium Mareschallum irremissa Aulæ indignatio. Cometes apparet, tum & alia sinistri ominis malorum consequentium signa. De Studzianensi Beat: Virg: MARIÆ Imagine, tunc reuelata, genuina narratio. Comitia Varsauiæ Generalia. In quibus Mareschallo dies dicitur; Deprecatur is Majestatem: mox & judicatur. Qui demum in Silesiam secedit, non inhumanè Vratislauiæ acceptus. Hic de acquisito Lubomirscijs, Sac: Rom: Imp: Principatus Titulo, pauca obiter.

1664.

DVm trahitur magis, quàm procedit Bellum, murmurantibus pleriſq; ob insuetum brumæ rigorem, non defuêre qui contra sensum vulgi dissererent ex usu præsenti rem metiendo: nempe Vkraynam situ depresso, & tot Fluminum ac Paludum interjectu, alio tempore prorsus impervium, jam nunc solius hyemis beneficiô, adstrictis gelu Amnibus lacunisque; velut instrato ponte facilè transiri; ac quò placet commeabilem esse: dumque rigent frigore, aqua & paludes, præcipua hosti præsidia, non modò sine pontibus & remis, circùmquàq; aperta itinera; verùm etiam adiri Moschoviam nullo negotio, & in suo hostem sterquilinio adoriri facilè posse. Nec leve additamentum commodi, dum hîc nostri immortalis gloriæ sub frigido Iove spolia legunt; Poloniam interim ab onere Hybernorum, quod adeò presso Contributionibus Populo gravaminosum esset relevari. Iam nihil implicat, cur ultra cunctarentur? ubi & bonæ causæ fiducia, & Deus melioribus opitulaturus Fautor adsit: ac vel ipsa Natura rerum parens, supposito glaciei tabulato, viam in interiora Moschuæ penetrabilem sterneret. Equidem in bonum omnia inclinare visa; cum fama Regij Nominis, armorumq; terror quâquâ versus diffunderetur, & Miles adversus

Molestus Exercitui Hyemis rigor.

1664. Cæli injurias obduratus, flammâ ultionis ad aſpectum hoſtilis Terræ incaleſceret. Quinimò ſpes omnium erexit, hiſce diebus ex Taurica redux Paulus Wolski Internuntius; qui poſt multam Hani Crimenſis de verbo teſtificationem; ſimul Karatz-Begum cum viginti Millibus Scytharum recentium in procinctu eſſe; Regi contra Moſchum auxilio venientem, adferebat: inſuper ipſum Hanum haud gravatim aſtore, ſi modò à bello Hungarico apud Portam Ottomanicam excuſari poſſet.

Auxiliarium Scytharum adventus.

Itaq; ex unanimi Sen: Con: ſub primum incipientis Anni 1664. exordium, versùs Pinskum Rex Exercitum movit, in itinere, in ſtatione ubiq; ſignis prævius ipſe, & vix ſubſecivas horas, quæ ordinandis rebus ſupereſſent, neceſſariæ quieti tribuens. Alacrem & vigoris plenum æmulabantur Primores Exercitus; ad horum demùm normâ & exemplum ſe conformante Milite. Ac ne ſegne per otium iter eſſet, etiam ne non capto auſpicio Annus inciperet, præludiũ Fortunæ tentare placuit, facili propè Hoſtem occaſione, & Rebellium Fortalitijs undiq; circumſtantibus. Virgo, ſeu DZIEWICA Oppidum ad Deſznam Amnem, haud procul limite Moſchovitico, ex legis in utroq; confinio vulgi receptaculum erat: ubi Prædones limitanei ſpolia conferre, collata alijs prædis permutare ſoliti; donec pluribus ex rapto viventibus, ſupra modum excreſcente Municipum frequentia, pro Emporio aliquo celebri, aut veriùs ſpelunca Latronum inſigni habebatur. Requiſitus Municipij Rector, qui & ipſe Coſacus Donenſis erat, de deditione, negavit quidquam Iuris eſſe Polonis in eam Virginem. quæ Magno Moſchoviæ Duci pridem ſubdita, & deſponſa foret. Miſſus iterum Tubicen protinùs reddendum locum ingerebat; ſed hic jactu longiorum Tuborum impetitus, faceſcere ſine reſponſo debuit. Sanè meruerat extrema Virgo obſtinata, quæ demùm Nemeſi volente provenêre. Erat Oppido adjunctum Fortalitium, (Przygrodek;) in ſemicirculum vorticibus Fluminis circumfluum, ubi quidquid pretioſum aut rapinas irritare poſſet, Obſeſsi intulerant: fiſi loco naturâ ualido, etiam Amni haud quaquam ob rapiditatem fluxûs, gelu ſe adſtringi patientis? Adhæc refectos in Paludibus Pontes aſtutè ſuperimmiſsis aquis abſconderant, in noviſsimum ſi aliter fieri nequiret ſalutis effugium. Imperato aſſultu, advoluuntur mox Legiones, immittuntur ignes, reboat fragore aër, & qua fumi opacitate, quâ denſiore Nebula obſcuro cælo, vis Oppido intentatur. Nec ſegniùs vim repellunt Coſaci, tàm ferro quàm globorum ictibus impetum ſuſtinentes, uſq; adeò pertinaciter, ut trino à vallis procurſu erumpendo, cominùs noſtris congreſsi, in multam noctem certamen extraherent, admodum infeſtum

Rex apud Pinſkum.

Dziewicá oppugnatur

Aſſultus primus.

infeſtum, quûm illos vallum tegeret, in aperta Regiorum pectora jaculantes. Vnde primâ impreſsione irrita, rejectus Pedes, Operculà è trabibus conficiebat, quibus præ ſe actis, tutior in vulnera iret. Dum concinente Tuba ſecunda impreſsio adornatur, & invadendi mox à Legionibus Oppidi, crebriora è Machinis fulmina ſignum dant; accidit percommodè, ut Lixæ, dum à pabulatione redeunt, obaudito Tormentorum fragore, vadum in fluvio non congelato quærentes; deprehenderent Pontes illos ſub aqua occultatos per quos demùm, raptim perfoſſo agere, ac undis exmiſsis Paludes ſuperando, unâ omnes ea parte, uti juvarent ſocios ad Arcis Munitiones turmatìm impingunt. Fortè Trykacz Centurio, cui locum tuendi incumbebat cura, ſat res ſecuras hic arbitratus, in Oppidum æſtu pugnandi deſcenderat, eoq; indefenſa valla ſubibant Lixæ, effractoq; ſepimento roboreo, ſe in interiora Fortalitij, vix aliquot ſenibus ac mulierculis repugnantibus, demittunt: unde intus conſternatio, deforis audacia increvit; ac capta jam Arce, gnaviter Oppido admoventur ſcalæ, arietantur trabibus Portæ, ſucciduntur ſapimenta, donec in extremis Coſaci, pro clementia victorem appellarent; ſervari ſuppliciter orantes: niſi ſerâ pœnitentia, etiam parcere volentibus impoſsibilis eſſet. Quippè Militare vulgus, jam ſuorum cædibus, jam cupiditate prædæ irritatum, haud quaquam à Tribunis inhiberi potuit ut parceret, cuncta involuente ferri licentia, ac ignis voracitate. Sic ob contumaciam raptum patitur Virgo, & triſtibus ſponſalijs bacchante Marte, funeſtatur forma Puellæ; ubi ſe Bellona pronubam Libithinæ junxiſſet: ſupra Decem Millia promiſcui ſexus cæſa conſtitit, reliquam ſupplicum turbam ægre neci eripientibus Tribunis, à Rege juſsis; Centurione noſtro dum vim in dedititios inhibet, graviter vulnerato. E noſtris CCCC. ferme deſiderati, tàm è gregarijs quàm Lixis, quorum non pœnitenda opera fuit, ex invaſione à tergo Fortalitij. Trykacz Centurio inter cadavera repertus, pilo guttur transfixus. Prædam corrupit ignis, ſanè opulentam; niſi qui flammarum violentiam præveniendo, magis ſeduli pro ſpolijs, quàm ſubducendis cadaveribus ſuorum ad ſepulturam fuêre. Nec ſeveritatis exemplum improficuum fuit; quippè mox alia Municipia ad modeſtiam verſa, Mandata Regia reverenter ſuſpiciebant, recludendo Portas: ac protinùs traditis, ſi qui laterent, Turbarum autoribus.

1664.

Fortalitiũ lixæ inuadunt.

Demùm expugnatur & Oppidum.

Eo rerum progreſſu non leve bello momentum addidit Bychovia, Lithuaniæ Fortalitium: quòd loco & operibus firmum, etiam in tranſmittendum Boryſtenem Fl: percommodum, exacto Moſchorum Præſidio, ſuopte Marte & viribus in libertatem ac obſequium

Bychouia ſe in Libertatẽ aſſerit.

1664. Regis se asseruit. Hic recentia Scytharum agmina, apud Babam se Regijs junxerant, quorum Ductor Karasz-Begus Perecopi Præfectus, forma & habitu Militari Vir, sed fastu barbarò tumidus, uti qui eo dignationis apud Regem se haberi prætenderet, qualiter è Familia Gereiâ nuper Sultani accepti fuissent. Sed mox deferbuit tumor, ubi salutatum veniens, laciniam tantùm vestis Regiæ osculari permissus, & ultra Togam Attalicam largitione aliqua honoratus, modestius post hàc & rarò Regi, nisi per interpretem loquebatur. Injungebat huic Rex, quatenus Scythæ agendis prædis haud intenderent, circumcursante undiq; Hoste, & propediem in conflictum venturo. Paruitq; is edicto, vetitis in prædas excursionibus, simul crebriora suorum expediebat agemata, consilijs Moschorum explorandis: sin minus illi occurrunt, decernente Rege in hosticum progredi, & pro tot acceptis injurijs redhibitionem talionis comparare. Vnde Witebskum iter conversum fuit, jam quòd propè hinc Moschovitici Imperij limes; etiam ut calcatis Stephani Bathoræi Regis, insisteret Casimirus vestigijs, qui eodem tractu sub annum 1579. non sine immortali nominis sui gloria, ablatas Regno Poloniæ ditiones, forti brachio ex Moschis recuperavit.

Kantzbegi cum Scythis aduentus.

Exercitus Witebscũ versus tendit.

Bathorini interea (à cognomine Stephani Reg: denominata olim Colonia) Gregorius Brzuchowiecki, flagrantissimus Moschi partium Dux & assertor, sedem fixerat. permunito admodum loco & ferè xvj. Millium Exercitu in retundendam vim subnixus. Erant qui suaderent adoriendum protinus; transmittere tamen visum, dum commodior alia, imò compendiosior rei benè gerendæ se offeret occasio. Quippè à Turmalibus Siemaszkonis Rotmag: adducti tres Captivi referebant, proximo Oppido Sosnicæ reduces Moschua Internuntios Cosacorum consistere. qui à Magno Duce recens diggressi cum Mandatis, etiam pecunia pro stipendio militari onusti, quàm Quæstor Moschus ultra xxx. grandioribus Carris ad Brzuchouieccium deveheret; confirmandis in fide eo donativo Cosacis, & cæteris similis Largitionis spe à partibus Regijs abstrahendis. Itaq; motis à Baba Castris, festinatò apud Sosnicam acies explicata stetit, eodemq; propè momento & tradere Locum jussi Incolæ, & armatæ Oppidum circumstetere Legiones, vim illaturæ, nec parsuræ, nisi dedititijs. In quo præcipitandæ aut conservandæ salutis articulo deprehensi, dum cæli auxilia pro impossibilibus, humana pro desperatis habent, sine ulla exceptione arbitrio Regis se permisere. Quòd ubi factum, Internuntij illi capti, dum relatis variant, quæstionibus subjecti fatebantur; Concussam undiq; ingruente metu Moschuam, non tamen deesse, qui in occursum Regi armati deproperarent; præci-

Exercitus à via deflectit.

Sosnica deditur Reg. Casim.

1664. Præcipuo Duce Prozorowski, qui eodem tractu tendens, propediem Polonis obviaret, à Magn: Duce jussus aleam periclitari: cumq; de advectis pecunijs quæstio esset, subridentes Moschi respondebãt; Terras Moschoviæ auri & argenti Fodinis prorsus carere, non tamen meliori metallo destitui, sed advectitio & ab alijs gentibus veniente. Neq; usitatum Magno suo Duci, congestas Opes erogare, ut non satiùs coacervare velit. Vnde se Kijoviam missos recognoscendò ærario, ut congestos illinc ex Tributis Vkraynæ Thesauros, in Moschoviam deferant, non contra. Vnde disparentibus pecunijs, Moschi in custodiam dati, Cosacis à Brzuchovieccio missis, protinùs irrogata laquei pœna ob perfidiam; quòd contra dictum Fidelitatis Sacramentum iterum prævaricassent. Sic Bathorino quòd expugnatu arduum esset in tempus transmisso, Limitem Moschoviticum prætergressus Rex, apud Korab Municipium sanè populosum signa Polona explicavit. Primùm in hostilem Terram ingressum gratulante cum lætitia Exercitu eodemq; simul optatum bello finem, non sine lachrimis apprecante. Bono omini accedere visa Januarij dies xvij. quâ eodem Coronatus in Metropoli Regni Cracoviæ Casimirus, jam nunc post sexdecim faustæ inaugurationis Annos in Moschorum Terras armato ingressu, laboriosum exhiberet Anniversarium. Nec obnoxios adulationi talia dicere constabat, evidenti Regiæ alacritatis documẽto, cum primus discriminibus coronatum caput objceret, & adversum incommoda cæli laboremq; continuum planè infractus, multis exemplo, pluribus admirationi fuerit.

Spes prædæ præconceptæ euanescit.

Casimirus in Moschouiam progreditur.

Die xvij. Ianuar.

Machina prolapsa extrahitur

Adnotare lubet, non indignum memoratu gregariæ audaciæ facinus, tunc in oculis multorum perpetratum. Dum per Desznam Fl: non ubiq; glaciei patientem onera Armamentarij traducuntur, enimverò contigit, ut majoris modi Machina trahis vectorijs ab orbita lubrica prolabentibus, è pontis tabulato decidens, amni mergeretur: non sine vectorum discrimine, & trahentium jumentorum interitu. Profundissimè illa cæno hæserat, vel suomèt pondere depressa, vel eo loci voragine quadam uliginosa exstante. Placuit casum ingenio emendare, extractam aquis Machinam relevãdo. Aderant instrumenta artis, cum funibus ductarijs, demùm qui subtùs aquas prolapsam scrutaretur, operam obtulit Famulus Militaris, ex Cohorte Pincernæ Siradiensis Andreæ Modrzevij; sex fermè suprà viginti annorum adolescens, ætatis fervore, vel facta spe præmij inductus. Is funibus manu utraq; prehensis, exutus vestibus in aquas præceps mergum agit, donec repertam cænoso fundo Machinam contrectans, nodo ansæ funem alligaret, mox signo dato quantocius extrahendam. Nec cunctantèr in altùm trochleis sublatus, nisi

Per Militẽ gregariũ.

miser

1664. miſer funibus implicitus, ante Machinam prior extrahi non poſſet, ea mora vi frigoris planè exanimis, & vehementi funium tractu convulſus. Sublata Machina, patrator operis mox lento igne refovebatur, in ripa, aliaq; artis remedia Medici adhibere juſsi, quibus pulſus venis calor, priſtinæ temperiei reſtitui poſſet. Ex promiſſo poſthàc operæ pretium, complures unciales nummi exhibiti fuêre, certè non indigno qui pro notabili auſu grandius lucar caperet, niſi patrato facinore (fama fuit) vix quadriduum ſupervixiſſet. Adeò ſpes lucelli inducit vitæ contemptum, & plerumq; largitionum fomes citiùs animos incendit quàm ſtupam ignis.

Korab deditur. Reverita fatum Virginis Arca (Korab) non diù ſuſtinuit morari impetum victoris, protinus miſsis qui deditionem ſalvâ vitâ offerent. Parci Rex juſsit, indultumq; facilè, uti abſcederent cum ſarcinis Præſidiarij, manerent Incolæ, quorum ſi fides in integrò, eadem quæ ſub Moſcho conditio eſſet. Summè quippè avebat Rex Wielikołukos tendere, campeſtri via plus commeatuum habiturus, tum quòd decretorio certamine experiri percuperet, quòd eo tractu recentes Moſchorum Copias ad Romadanovium tendere pro comperto accepiſſet.

Interea Lithuanicæ copiæ Regi jungendæ adventabant, antegrediente cum læva Ala Campeſtri Duce Pacio pedetentim, uti militaris regreſſus ſpecies eſſet; ſubſequentibus Sapiechanis Legionibus. Quod ut Moſchis cognitum, conjunctionem eam omnino impedituris, Boratynski, deductum Præſidijs Peditem accelerando itineri trahis vectorijs, uti conſequi Equitem valeret imponit; & ſic cum xv. Mill: agmine in Pacium apud Bransko Severiæ invehitur. Qui licet numero inferior, & tempore præventus, non ideo tamen imparem vel imparatum ſe oſtendit, à Rege imminentis diſcriminis commonefactus, & ferendi in tempora auxilij ſecurus. Placuit primo velitationibus experiri, ac cum captivi non ultra ſex Mill: Moſchorum Equitantium (quos illi Germanico vocabulo Raytaros vocant) adeſſe referrent, de ſubſecuto Pedite vel fallentes vel ignari, alacriter obverſis ſignis Lithuani in certamen ſe accingebant, in duas Alas diviſi, ut quidquid cum Machinis impedimentorum eſſet ordinata currûum carrago intrò reciperet. Xxv. Ianuarij in conſpectum Moſchi venêre, eâ primi impetûs vehementiâ, ut vix ad jactum ſclopeti exponentes trahis Peditem, ſubinde quâ Machinarum ictibus, quâ ſignis illatis ingruerent. Certè plus animi, quàm conſilij oſtenderat Lithuanus majori vi ſe obijciendo, ad primam mox impreſsionem è ſuis compluribus cæſis, niſi Rex præſentiens diſcrimen, Połubinſcium jam hùc eluctatum opi ferendæ deſtinaret, additis è

Cum Boratynſki Moſcho conflictus.

Rex Pacio ſubſidia mittit.

Regia

1664. Regia phalange, Sclopigerorum Equitantiũ turmis. Is muturans adventum dum noctem impendit itineri, in ipſo planè neceſsitatis articulo Collegæ laboranti, in ſubſidium comparebat. Quippè Pacius ſub tegumento Carraginis ad quartam uſq; leucam defenſivè retrocedens, identidem ſigna obvertebat pugnando: donec Połubinſcius ſuppetias ferens incenſo proximiore vico, quanta poteſt maxima vi, Moſchos adoritur à latere. Pugnatur enimverò fortiter utrinq;, quoad ex captis cognito Moſchi, præter quæ jam veniſsẽt auxilia, etiam majora à Polonis ſubmittenda fore: mox de fervore & præſumpto remittentes triumpho, fracti animis & Ordinibus, in fugam ſolvebant aciem. Quæ Equiti, quadrupedis pernicitate periculo ſe eripienti, utcunq; commoda; aſt Pedes Alariorum præſidio deſtitutus, & plane totò campo impellentibus Lithuanis conturbatus, impunè jugulos cedentibus præbuit indefenſus; mox Signa, Machinæ, Currus, diverſi modi bombardæ, ſecurium vis ingens, ac prægrandes cum iugalibus equis Trahæ illæ, quibus Peditem celeritati conſulentes devexerant, rapiuntur. Sanè inclaruit eo experimento Michaëlis Pacij Campeſtris Lithuaniæ Ducis dexteritas, uti qui quatriduo inſultum Moſchorum, & militarem ſervatis Ordinibus regreſſum, dextrè admodum ſuſtinuiſſet.

Lithuani Moſchos depellunt.

Alterum rurſus Exercitum in Regem immittebat Czyrkaſcius, futurum fore ſperans, ut diviſas Regis copias faciliùs opprimeret, qui unitis impar eſſet. Sed ut Lithuanos aggreſſus cladem & ignominiam alter retulit: ſic in Regem invectus iſte, fuga tantùm nobilem audaciam inſignivit. Quod eo modo factum eſt. Aliquot Cohortes Velitum, exploratum dimiſſæ jêrant, quæ in aggreſtes jumenta de nocte in latebras nemorum abigentes incidendo, (aliquo ex Centurionibus Moſchum ſe ob peritiam idiomatis fingente) comperiunt: Quinquaginta millia Moſchorum prope Srensko, cum Duce Czerkáski conſiſtêre; alijs agminibus jungenda: cum quibus ille in Regem iret, aleæ belli experiundæ: ſimilia referebant captivi, etiam qui uiderant haud ita procul Caſtra metari.

Alterum cum Moſchis experimentum

Putywlum limitaneũ Fortalitiũ Moſchis.

Putywlum (ut illi abbreviando vocant) eſt Civitas Moſchicæ ditionis, quam unâ parte impervijs paludibus cinctam, ab altera nemus confragoſum, adeoq; latæ amplitudinis ambit, ut plus viginti leucis in longum protendi dicatur. A Kijovia LX. Milliaribus diſtat; olim Palatinatûs Czerniechovienſis membrum & appendix; Moſchis tamen tractatu Pacis cum Vladislao IV. inito ceſſum, jam tunc limitaneum Fortalitium Hoſti habebatur. Dies Dominicus erat, cum circa ſacra, tubâ edicitur Hoſtem adeſſe (alarmo.) Mox inſtructa acie in ſubjectam planiciem ſignis prodeuntibus, ala-

1664. cer Rex anteibat. cum nihil optatius ei accidere posset, quàm sua sponte Hostem in conserendam manum venire, nec quærendam ultra sed decerpendam victoriam fore. Petrus Czyrkáski vetus militandi, ea spe & animo superveniebat, quatenus Romadanovio cum Transborystenianis Cosacis jungi posset, ac receptis etiam Boratynscij dispersis turmis robustior, in Regem experiretur: vel saltem fœvas oræ illius populationes inhiberet aliquomodo. Sanè facessebat discrimen, si modo ut justus, sociari Collegis potuisset; ast unâ parte apud Branskum fugatâ, alterâ cum Ramadanovio & Cosacis iter tardante; diu incertus animi hærebat Czyrkascius, cautanè declinatione periculi securus delitescerer? an ex forti sed ancipiti congressu laudari mallet? Quippè Rex prævidendo casum, uti in officio ttans Borystenem contineret Rebelles, Mihàélem Ducem Wisniowecium (cui his in oris peramplum Patrimonium esset) ac ut rebatur memoria Patris Hieremiæ Terrarum Rusiæ Palatini non ingratum Populo ist hac degenti Heròém, reliquerat: additis Ludovico Niezabytowski Lublinense Præfecto, ac Hulanicio Cosacorum Tribuno; ùti prior consilia luvenis Principis moderaretur, alter quo valebat apud Populares favore, obnoxiam Moschis Plebem in partes traheret, vel saltem distraheret. Quid isti præstiterint sequentia ostendent. Hinc Ramadanovio mora & obex in loco manendi: dimisso quin etiam Iacobo Potocki cum bis mille levioris armaturæ, & adjuncta Scytharum manu, qui Cosacorum progressus observando, arma hostium à tergo distinerent. Quod gnaviter executus Potocius, Cosacos ubi poterat disrumpebat, simul Ramadanovij consilia confundens, ut interea victi alibi, distracti alibi Moschi, ad jungendas cum Circascio Vires impedirentur. Coadunârat ille Exercitum Regio parem, in quo præter Moschos, horridæ ferro ac igne Cosacorum Legiones, ex variis Arcibus deductæ; innumeræq; Machinæ, virtutis opinione imbutum Ducem sequerentur: ad hæc paratus per Oppida suarum partium receptus, & in omnem Fortunæ, ut illa variabilis est, casum, promptum in circumsitis & ubiq; munitis Arcibus præsidium erat. Attamen futuri providus & ut de summa rei aleam jaceret anxius, sic sine experimento armorum regredi inglorium arbitratus; imò nec sat securum judicavit, cum apud illos mandatis Mag: Ducis pugnare jubentis non paruisse, capitale habeatur. Exstimulabat super hæc præfervidum Ducem, aspicere Patriæ suæ flagrantes miserabili incendio oras, sacra violari, mortales in servitutem abripi, alios ferro & igne sterni, nullo ætatis, nullo sexûs respectu, debacchante passim armorum rabie; & unde cordolium majus, suum illum Septemtrionis Dominatorem, è fe-

Qui occurrere Regi meditantur.

Dux Michael Wisniowecius.

Etiam Potocius Cosacos distrahit.

Cauta Moschorum consilia.

de for-

1664. de fortunæ suæ Molchuâ abiturientem, jam ad Troglodytas aut Aureæ Anûs spelæa, euitando casus belli, peregrè nisi resistit Polonis ipse, decessurum. His inductus delibare pugnam statuit, sed quàm ostentatis in speciem armis, clam dolo & insidijs promoveret. Dimensis itaq; apud Putywlum Castris nivoso fortè die, crebriores per Paludes incidere voragines jubet, easq; non concretas fimo stra- minibusq; involvere, uti æstu prælij abreptis Polonis, sat incommodum ruentibus balneum instrueret. Putywlum ipsum firmissimo præsidio munitum, undiq; Castris ambit, quibus Trahæ plures nivibus ac glaciei fragminibus infartæ, pro vallo perfunctorio essent, tum latera machinis probè circumdat, præter complures Peditum Legiones hîc relictas, ipse interea si deforis vis ingrueret, subsidio non defuturus. Mox evocatos ad signa suos, verbis & minis ad audaciam militariter excitat, decedere campo Polonos asserens, quorum potentiam cum suis Boratynski apud Branskum notabilitèr contrivisset. Sic animatis Militibus Legiones prodire, & Collem proximæ villæ imminentem, ab Legato suo præmuniri Machinis imperat. Iussa impigrè hic exequitur, & cum selecto Equitatu se intra septa Pagi injcit, quibus velut claustris cinctus, Velitibus nostris fulgentia signa, & evibratum vagina ferrum jactantèr ostentat. Erât qui censerent retromovendam Aciem Polonam, quominus extracto ulterius Moscho, in Equestrem conflictum plus temporis & loci ad pugnam supereslet. Sed vetuit Rex, ne recessus, fugæ speciem faceret; imò in continenti Excubitorijs Turmis primos aciei Ordines occupantibus, Velites Hostium submovere jussit, qui dum cominus suggrediuntur, in eos Moschi à pago effusi vehementer irruunt; primum ab opportuno illo colle explosione Machinarum molesti, dehinc ferro ad manum, densum agmen in prælium trahunt. Non tulit audaciam Palat: Czarniecius, cum fortuitò lectis Cohortibus in obvios signa rapiens, ac eo impetu devolans, ut fortiore brachio submoti hostes, aduscq; intermedium pagum cæsorum cadaveribus sternerent aream. Ergo velut jacturæ consulturi, obvias sepes & multiplici anfractu cohærentes villanas casas, mox admoto Peditatu firmant, à colle vicino è balistis fulminantes: monstranteq; iterum aleam subituros, dum firmo vestigio consistentia Signa ostendunt. Ast artis erat pugnandi ardorem fingere, & recessus consilia agitare; quod ut sensit Dux certaminis intelligens, protinùs pagum admotis Legionibus fortissime invadit, collem illum occupans, & nisi obscurior nox impediret, funestum exhibiturus Hosti armorum experimentum. Qui mox haud dextrum senionem jaci comperiens, sub eadem noctis calligine obversis signis Putywlum retro contendit, ter-

Ex ingenio Ducis.

Aciem Polonis objicientis.

Pugna cum Moschu quâ loco depulsi

Retrocedunt Putywlum.

1664. dit, tergum recedentis tutantibus Łabąnio, & altero Zmiiowo Sagittariorum Præfecto, quorum alter dùm in glacie equum vertit enormi casu crus pedis luxaverat summa tamen contentione Putywlum à suis absportatus. Etiam Rex cum reliquo Exercitu, postquam pugna diem extraxerat, sub dio insomnem noctem egit, lassum à prælio Militem ignibus, & vulneratos quiete & medicamentis refoven-

Moschi retro abeunt do. Interea Moschus effuso cursu Putywlum regressus, ordinatis in defensionem rebus, ac commissa Zmiiovo loci cura, sub diluculum retromotis Signis abijt festinanter. Nullo magis tutus, quàm opaco eoq; densissimo nemore, quod ad viginti Levcas in longitudinem protensum angusta via ingressus, uti securior fugeret, terga suorum densis arborum concædibus muniebat.

Apud Polonos albescente die enuntiatâ in hostem eundi tesserâ, Exercitum Duces instruxêre: constanti omnium opinione Moschos in adjunctis Oppido Castris, loco ab elemento & armis permunito, adventum Regiorum præstolaturos. Id captivi, id exploratores afferebant; ex conjectura ignium in Castris Moschoviticis excitatorum, subsistere Hostem judicantes. Quo dum supervenit Excubitorum nostrorum agmen, apparuêre sub ortum solis Castra Moschorum ultra paludes desuper glacie splendentia, quæ illi plaustris trahisq; in cumulos aggeratis, aqua conspergentes, dum glaciè per noctem concrescunt, velut vitrea quædam Propugnacula sibi circumdederant. Stetêre aliquantum Poloni tentato per Velites suggressu,

Peditatu in præsidiũ Pulywli re manente. simul Moschi à vitreo illo vallo machinas explodebant. Sed aditus ad Oppidum omnino arduus erat, per spatiosas paludes excisis (ut memoravi) voraginibus, quæ lento gelu superficialiter adstrictæ, infallibile transgredi volentibus Baratrum promittebant. Nec levior ex defectu Commeatuum mora, cum isti vel studio ab hoste corrupti, vel si è longinquo petendi essent, non sine discrimine ac certa pernicie Pabulatorum conquirebantur. Adeò non postremas in bello partes venter sibi vendicat, cui nisi de refectione provisum; & manus quantumvis robustæ lassescunt, & subacto fame stomacho etiam Heroici animi vacillant. Itaq; ubi regressi Excubitores, ægre fallacem illam concisarum voraginum decipulam eluctati, aliquot captivos adducunt, tàm abitus Czyrcascij, quàm & Putywli adversus vim probè muniti indices; retromovere Castra Rex jussit; gemino jam Consilio delusus, quod Sosnicam, mox Putywlum à via obliquè deflectens, temporis interea dispendium subire cogeretur. Non exili quidem Hostium terrore & clade; ast nostrorum laude ambigua, quod terrefactum Czyrkascium non insecuti per noctem, in easdem voragines impulerint, paratum sibi balneum Hosti concessuri.

Hic per

1664. Hic per oras Novogrodeci Severiæ Militi concessum respirium fuit; sed in breves quietis Ferias, & perfunctoriam ab armis vacationem. Erat in proximo Głuchovia Hostilis ditionis Oppidum, peramplum sanè, ac in quòd ex alijs Municipijs Convenæ, ob mercatum certis anni temporibus opimiorem, domicilium figendo, etiam ob tolerabilia contribuendi onera frequentes commigrarent. Et provisum erat securitati Municipij, tàm inducto præsidio, cuius caput Dworecki è Cosacis veteranus, quam circumpositis Munitionibus, ad tolerandam vim hostilem quantum satis. Hic circumjectam oram dum Lixæ nostri pabulando excutiunt, prodeuntes Oppido Moschi, vim inferentes arcebant; interceptis plerisq;: donec velitaris Centurio Piwo. sæpius vexatis (jussus an sponte non constat) auxilium tulerit. Is quingentos propè pabulatores Cohorti suæ adjunctos, dumeto proximo succedere jubet, aliquot tantùm in discurrendum per agros, emissis, qui levem manum & dispergi facilem ostenderent. In eos hostes invecti, primo abacta armenta recuperant, mox accessu plurium spatioso campo palantes, ad usq; dumeti confinia prosequuntur. Prosiliunt nostri ex latebris, & pares viribus fundunt adversos, uti reciprocante successu qui fugabãt fugerent: supra xxx. ferro concisis, & totidem captis. Ex his cognitum quæ fiducia Oppido, jam inductione formalis Præsidij, etiam promisso succursu in extrema obfirmato esset. Placuit igitur modico à via diggressu, in obstinatos vertere arma: quo dum Legiones contrahuntur, iterum circumemissa Pabulatorum agmina fuêre; si quæ vis deforis ingrueret distinendæ aut pernoscendæ. Oppugnandum locum receperat Czarniecius cum Legionibus, & certa Equitatus parte præmissus: cum interea Rex gemino Militari Castris obhærens, eventum rei præstolaretur. Prima deditionis mentio ab Incolis more Rutheno accepta fuit; demissè loquendo, ac interim quæ ad defensionem facerent apparando; donec Palatinus in instanti assultu imperato, impressionem ordinaret. Directæ primum Machinæ, in crebros per valla defensores, sed cum facilè ictus vitarent latebris abditi, nec in sæpimento roboreo uti in muro solent, ictus tormentarij hiatum aperirent; Granatæ Pilæ in tecta immissæ sunt excitando incendio; (etiam hæ dum serius producunt effectum) Czarniecius obequitans Legiones, jam in procinctum assultus expeditas, situm loci & ordinem pugnæ inspexit ipsè, pugnaturis animos faciens, & in strenuum contumacis Oppidi aggressum hortatus. Trifariam destinata impressio erat, sed potissima vis adportam flumentanam, ubi & robur Legionum, & Machinarum ictus è constructo suggestu in Oppidum indesinenter detonabant. Al-

Głuchoviã Poloni oppugnat.

Pabulatorum cum Moschis cõgressus.

Deditio oblata spernitur.

Czarnecius oppressionem ordinat.

1664. tera parte cum Cosacis immissus Tetera: tertia voluntarijs obtigit, id muneris sibi deposcentibus, & cum famulitio Castrensi ab læva
Primus assultus. Oppidum impetere jussis. Rigebat peracri gelu solum, eggerendis Fossis quæ impugnantes tegerent omnino contrarium, cum præeuntem Palatinum ad Portam Majorem, adversis pectoribus Miles consequitur. E pluribus Machinis reponebant ictus Oppidani & aversa porta prorumpentes, densissimo Pilarum imbre impetebant; tàm jactura partium notabili, quàm & fervore nostrorum memorando. Vt Martianus Chełmski, tunc Alæ Equitatus Germanici Præfectus, in Dobszycium Pedestris Legionis Primipilum, quod sibi prius ingruere jusso, non ex ordine locum præcepisset, ac si injuriam contra Leges Militiæ illatam, singulari duello vindicaret. In quo Monomachi, mutuis per puncti ambo ictibus, concidentes; ardore pugnæ in vindictæ cupiditatem rapti, maluerunt sibi quàm hosti irasci: ardua subinde in utroque acceptarum plagarum persanatione. Nec illepidum visu fuit, Nobiles Francos aliquot (Gramuntios manuscripti Codices, memoriam eius Expeditionis continentes, referunt) ex perpetua illa armorum Officina Gallia, hùc seu ætatis impetu, seu gloriæ per arma parandæ studio allapsos, postquam demirati tantos hominum armorumq; verti apparatus, in humile aliquod imò stramineum (ut ipsi vocabant) Fortalitium; petita à Rege pugnandi copia, quum contemptu periculi primis asilientium Ordinibus se se miscuissent, casum propè retrahi debúêre, ab experimento
Ab oppugnatione recessus. docti, cur ferrum non alio ligamine nisi stramineo fasciatim connectatur? Nox interea diremit assultum, extra teli jactum subductis nostris, & inter adjacentes suburbij casas futuram lucem operientibus.

Duellum pro loco Militare.

Non tamen extra spem melioris successus Rex, admotis Castris rursus ad geminandam impressionem (vix unius diei concesso respirio) educi Legiones summo manè imperavit, ductu & suasu ejusdem Czarnecij, ad subeunda discrimina in quæ ipse prior iret, supra cæteros flagrantis. Quanquam idem omnium Tribunorum sensus esset opprobrij loco censentium, si una Cortis cum inclusa Populi fœce, imò facinorosorum receptaculum, arma Polona, in interiora Moschuæ magna nominis Regij gloria promota, ac jam præceptas victoriæ palmas contumeliosè moraretur. Sic animatæ Legiones in procinctu stetêre; donec Architecti Militares, Cuniculis subter duas Portas directis, irrupturis aperirent iter facilius. Quæ Cuniculorum moles (Minij) nocte & interdiu elaboratæ, Generalis Wolphy singulari industria & inspectione promotæ sunt: si modo operarum ut ex mandato festinantium, sic acerrimo gelu impeditorum, specus Cuniculi in longum quantum satis produci possent. Prior quidem

Iterata Impressio.

Minij als: Cuniculi

apud

1664. apud Portam quæ præterfluentem amnem respicit, subjecto fomite exarsit nullo usu inflamatus: cum non probè obturato specus orificio, impetus ignis retrorsum evolveretur. Apud alteram longiùs producta suffosione, & æquabili cum structura Portæ intervallo, vis pyrij pulveris succensa erumpens, impetu & fragore ingenti, vestibulum disjecit, Portam ipsam intactam relinquens. Hic Legiones velut ad datum signum, à Reductibus ex fortuita Materia constructis undiq; ingruunt; miscentur relictis Equis Alarij, ac Prætoria Regis Phalanx, ad hiatum enisa, non instrenuè succidebat Palorum Ordines, si modo & revellendo sæpimento secures præsto essent, & per concava ejecti valli aditus permitteretur: infesta ubiq; subeuntibus pilarum procella, & Moschis altera parte calentem adhuc hiatum (Bressam) quæcunq; ad manum materia esset, summa contentione sarcientibus. Ea parte in fastigio valli Signa nostra dum comparent, ac Legionarij vel palos roboreos succidunt, vel retinentes stationem Hostes loco depellunt, cum animadversum est ductam extrinsecus transversalem Fossam, geminatumq; prostare aggerem, quo à vallo prosilientes Poloni, velut parata lupo cavea interciperentur. Ad hæc Cosaci nostri, impresioni Portæ flumentanæ destinati, etsi jam vexilla Polona in vallo explicata conspicerent, neutiquam ad sinceram oppugnationem induci potuêre; clamore tantùm & casis in áèrem explosionibus ne hosti nocerent agentes: imò quod mox patuit, secretiora Regis consilia Præfecto eorum Dunia prodente, etiam pulverem nitratum obsesis submini strante. Sic demum & alter assultus improsperè cesit, ad noctem propè continuatus, cæde nostrorum notabili: ex Deboij & Cellarij maximè Legionibus, gemino assultu ultra Mille desideratis. Ex Ductoribus Ordinum Czemiernicki, Kierbroch, Wołczynski; &c. Centuriones interiêre; Colleto Protribuno crus pedis tormentaria pila decussit; Guldyn Primipilus, ac junior Brion venabulis confossi. Etiam Chalecki, Ignatowski, Kędzierzawski, &c. Nobiles Commilitones simul cæsi, præcipuè dolenda nostrorum jactura, ubi in valla submoto Hoste enisi, in interiorem Fossam plurimi protrudebantur.

Cosaci nostri proditores.

Delassatis irrito conatu, nox non tàm quietem, quàm spatium dedit colligendi suorum cadavera: quæ sparsim jacentia subtus vallo dum colligunt, crebro glandium jactu ab Oppido petebantur. Suadebat jam bis frustra tentata impresio recessum, non tamen Rex à se impetrare poterat, quominus irrito effectu abscederet, contumelioſum fore judicans si universam Moschuam armis Polonorum undecunq; terrefactam, unum vile Oppidum in spem meliorem erigeret, Neq; Czarnecius stimulare destitit resumendum tertia vice

Tertiam oppressionē nostri destinant.

assultum

1664. aſſultum depoſcens, ſuæ ſorti imputandum; oſtendebatq; ut incendio abſumpta potiore Oppidi parte, rarefacto per cædes & vulnera propugnantium numero, haud arduo negotio in ſummam contumaces ſubigi poſſent. Et propè erat ut Rex æſtu Heroico deflagrantis conſilio accederet, niſi interea à Magno Duce Internuntius in negotio pacis componendæ allapſus, & ſimul de enormi Citerioris Vkraynæ motu, imo à Partibus totali ſeceſſu, haud variantes perferrentur relationes. Itaq; Rex ad Siewskum Moſchoviæ ſigna promovit, Caſtra metatus in expaſſa ad flumen planicie, excuſsis circumquaq; ſilvis per Exploratores, ne oblata Pacis imagine vulnus aliquod ex inſidijs per nimiam ſecuritatem daretur: cum jam undiq; triſtior rerum facies animo proſpera quæq; voluenti ſe offeret. Brzuchowiecki etenim velut præſaga imminentis veris Alauda xx. Millia Coſacorum continebat Caſtris ad Nizynum metatus. Qua Protectoris fiducia cuncta trans Boryſthenem Oppida in itetatam perfidiam relapſa, obſequiũ Regi detrectabãt. Citerior quinimo Vkrayna, ac ſi univerſali turbine correpta, in novam peiorem priore Phrænesim incidens, nomen Polonum & Regno ſubjectionem averſabatur: cum jam Exercitus noſter mediotenùs imminutus eſſet, etiam Scythis iterato regreſſum in Crimæam ſedeſq; ſuas, cum præda adornantibus. Hinc promovendi belli ratio difficilior in dies apparebat. Invaleſcebat ſubinde fames, non tàm victualium defectu, quàm conquirentium nequitia, ubi Pabulatores neglectis alimentis, pignora tantum reſq; mobiles alicujus pretij auferrent rapaciter, vel annonam pro ſe tollentes nulla in craſtinum providentia, potiorem partem peſſundarent, igneq; corrumperent. Altera ex defectu panis inediæ cauſa, ubi evulſis Piſtrinorum ferramentis deſunt Molæ conficiendæ farinæ, ex qua panis pinſeretur. Sed maximè conſiderabilis temporis præſentis ratio videbatur, ubi ex illa ultra ſolitum ſæviente Hyemis acrimonia, dum Sol altiores Zodiaci tropicos ſcandit, clementiore aura ſufflante, & flumina glaciem exuerent, & per paluſtria trajectûum difficultas in regreſſum oriretur.

Caſtra Polona ad Siewſko.

Deterior rerum noſtrarum Status.

Ex diminuto & afflicto Exercitu per inediam.

Ejus modi intervenientia, deprimebant Regis intentas bello gerendo curas, ne dum invadere Hoſtem, palmaſq; ex adverſario referre intendit, caſuum humanorum ac ſalutis propriæ Regniq; velut immemor exiſteret. Vndè vocatis in Conſilium Proceribus ſuborientia undiq; diſcrimina commemorat, de ulteriori progreſſu ſententiam exquirit, ac quomodo Internuncius Moſchus expediendus, ad concilium refert. Sanè omnes in eo conſenſêre, ante omnia Regem imminentibus ſubducendum periculis: Pacem ſi modo ſincerè expetitur, Moſcho non denegandam; Ex armorum interea curis re-

Conſilia belli gerẽdi apud Regem.

1664. ris remittendum nihil, patrandumq; bellum gnaviter; ſubſtitutis in locum Regis cum plenaria poteſtate Ducibus; penes quos abeunte ipſo, armorum imperium eſſet. Sed de reditu in Poloniam Regio, arcana concluſio manſit, in contrarium propalato Edicto; quo Exercitui in interiora hoſtilis terræ iter indicebatur. Quod ut faciliùs alia ſupponentes crederent, concinente tubâ proclamatum eſt: uti Pabulatorum agmina, ad prædas & victum parandum, in Moſchoviam cautè diſcurrerent; nec niſi cum additis ab Excubiarum Præfecto Turmis, digrederentur. Etiam Stephanus Bidźiński Dapifer tunc Sandomirienſis, cum Hilario Połubiński Mag: Duc: Lithuaniæ Campeſtri Notario deſignati Ductores; qui cum utriuſq; Gentis Turmis ſelectioribus antegreſsi Regem, in intima Moſchoviæ pervaderent, & Polono Exercitui in viſcera eius Imperij progredienti, viæ prodromi eſſent. Hinc faciliùs perſuaſum pleriſq; ne arma exuerent, dum & Princeps ad proſequendum bellum ſe accingit, & potior Equitatûs pars adverſum iter, non averſum ſuſcipit. Ergo è Caſtris, ipſis Bacchi exſpirantibus ferijs (apud nos Carniſprivium vocant) ultra decem millia ſelecta ex Copijs, deſtinato itineri ſe committunt; inſtructis abundè, quid fieri vellet Rex, Ductoribus, ac conſecuturo in omnem caſum Exercitu ubi opus. Sequabantur Bidzinſcium xxx. Cohortes Polonæ, quarum prima Palatini Kijovienſis Wyhowſcij ſub Łaskone; Prazmovij Palatini Płocenſis ſub Boruchovio; Przerębſcij Caſtellani Sieradienſis ſub Kazanowſcio; Stanisławſcij Vexilliferi Halicenſis ſub Homelſcio; Czarnkowij Præfecti Osiecenſis ſub Skrzetuſcio, Optionibus, Służewſcij Horodlenſis Præfecti, Perſæ Baubono Baubik; Staueccij; Liplanſcij; Łaznienſcij: tum aliorum Turmæ velitares, cum addita Scytharum Ala, ac qui alij prædæ gratiâ alacres, ultra tria millia complebant. Pari numero ex Lithuanis deducebat Połubinſcius totidem Cohortes, cui rurſus adjungebant ſe Volones ſeu Voluntarij milites, quorum Caput Bubajus aliquis ab in eunte ætate inter Moſchos enutritus, ultra mille ſequacium prædæ gratiâ ſecum traxerat. Hoc igitur agmen, planè pro Patria in victimam devotum, dum quæ morarentur, impedimentis caret, omnemq; in celeritate ſalutis rationem poſitam habet, tertia poſtquam Caſtris abierat die, in Moſchorum contra tendentium agmen fortuitò incidit, inq; eos non improſperè pugnavit. Supra Karaczowo conſtiterant Moſchi cum Prozorowſcio Duce, ijs mandatis & animo expediti, uti verſus Caſtra Regia apud Siewsko progreſsi in Polonos experirentur, & ſecretiora quæq; conſiliorum Regis ſcrutati, tum demum notis viarum compendijs abſcederent. Iſti ex continenti circumciſitæ oræ

Reditus Reg: Caſ: in arcano eſt.

Bidźinſki ac Połubinſki in Moſchoviã præcurrũt.

Cum Cohortibus lectis, tum voluntariorum ac Scytharũ agmine.

Ad Karaczowo cum Moſchis cõgreſſus.

1664. incendio, promota ulterius Regia Caſtra rati, in Bidźinium incidunt, ſtudiò ignes de nocte à ſuis extingui jubentem, uti tenebris tectus ipſe quæ & quantæ ſibi vires occuleret; contra ad ſplendorem ignium de nocte colluccntium, de quantitate hoſtium certiùs cognoſcere poſſet. Obſcurior interea nox differendum in diem conflictum ſuaſit, niſi Scythæ ſuperato, qui interfluebat, amne, etiam per tenebras Moſchos nihil morati aggrederentur, adducerentq; captos, numerum agminis ad xv. millia reduci indicantes. Sed nec Moſchi laceſsiti omisêre pugnam, ripam fluvij occupando, & tam jactu pilarum è machinis, quàm & è ſclopetis manualibus plumbeo imbre, noſtris ad mediam noctem infeſti. Aſt ubi ſupervenientes Lithuani intermedio ponti reparando inſiſtunt, etiam Scythæ ſupera parte traijcientes velut tergum pugnantium invaſuri ſeſe oſtendunt, non expectata luce campo deceſsêre Moſchi, tegumento carraginis ſubtus Karaczeviæ munimenta ſubducti. In receſſu tamen Buhaius abeuntium terga carpens, aliquam partem curruum avulſit, trecentos ferme intercipiens; in quibus ſudes ferro acuminatæ, ac præpilatæ quatuor cubitorum trabes vehebantur, tranſverſis lignis cohærentes & confibulatæ, adversùs ingruentium vim obijciendæ. Quale apud illos machinæ genus Czoſnek vocatur, quo tunc procellam equeſtrem diſtinere, imò refringi, niſi nox eſſet, planè credebant.

Qui ſe diſcrimini ſubducit.

Apud Siewskum conſiſtente Exercitu, Moſchus Internuntius conveniebat Regem, flagrantiſsima componendæ pacis à Mag: Duce poſtulata ferens, uſurpatam ſæpius phraſim interponendo, quominus Chriſtiano ſanguini parceretur. Non omnino damnanda theſi, niſi rectiùs & commodiùs tàm gravis materia in Comitijs Varſaviæ, etiam in ipſo procinctu itineris Leopoli diſcutienda proponeretur. Iam nunc in ipſo æſtu belli ſiſtere ferri licentiam prorſus arduum, & petitæ pacis prætextu victricia arma morari, à rationibus belli prorſus alienum. Expectare itaq; juſsus, donec Rex cum Senatu diſcuſso negotio, pro rei exigentia reſpondet: interim haud vetito eo ut conſpiceret, ad oppugnandum Siewskum apparatum omnem comparari. Eminebant erecti pro machinis ſuggeſtus, conſtructæ obtegendo Pediti ligneæ moles, ſeu opercula, (Ioanne Sapieha Campeſtri Regni Notario, acceſſus operum Aproſſe militariter deſignante) diſtributæ erant Legionibus ſtationes, comportatæ arborum ſtrues, & omnia velut ad proximum aſſultum ordinata. Sed nihil magis percellebat Moſchum, quàm de die tot ſuæ Gentis captivos in duriſsimam ſervitutem raptos aſpicere, rurſus de nocte continendi oras circumjectas exuri incendio, cujus violentia in repercuſſo ignium fulgoribus cælo, velut in ſpeculo intuenti monſtraretur;

Internuncius M. pro pace agit.

Apparatū oppugnationis deſpicere permiſſus.

1664. ſtraretur; hinc barbam vellicans, aut dentibus ſtridens, altum ſuſpirabat, poſcebatque identidem maturari reſponſum, quod mox in Prætorium Regis vocato per Cancellarium datum eſt. Redditæ primo literæ, cum plenitudine tituli, cùm debitos ille quoq; haud denegaſſet. Tum ubi de more ad Cancellarium reſponſum tranſmiſſum fuit; graviter admodum illatas Polonis injurias recenſens, memorabat ille: *ut vetera Pacta inter eas Gentes apud Wiazmam ſub Vladiſlao IV. inita, Moſchi infregiſſent; Lithuaniam infeſtis Exercitibus, Polonis bello Suetico implicatis invaſiſſent; Smolenſcum turpi & illicita pactione interceperint; rebellibus Coſacis protectionem & auxilium contra omne jus faſq; exhiberent; & invaſam Vkraynam indubitatæ proprietatis ac dominij Polonorum, perperam & ex rapto occupando monſtrarent, non in ordinatum tantùm alienæ rei contrectandæ appetitum, verùm & ſubleſta fide violatorum Pactorum perfidiam. Iam nunc Sereniſſimum Regem repetundarum agere, ac gemino ſinu exhibere Moſchus, tàm belli quàm Pacis delectum, utrumvis placet ipſi deligerent? vel pacem perpetuam ablata reſtituendo habituri, vel ſi detrectant ex ordine Iuſtitiæ agere, belli mala prouocando ſentirent: interea ſupremum Numen velut æquum ludicem, unde jus faſq; ſtaret, ei victoriam conceſſurum, & felici euentu juſtiorem cauſam approbaturum.* Ad ea Moſchus inter armorum fragores mentionem pacis non excludi hilarior, omiſſa omni ut illi ſolent objectorū refutatione, hùc modeſtus poſtulata vertit, uti primò condictis Inducijs arma offenſiva ſiſterentur; tum demum Patratoribus concordiæ definito loco convenientibus, Pacis perpetuæ capita tractarentur. Omnino antehac aduerſabatur Caſimirus Inducijs, non niſi in moram gerendi belli à Moſcho requiſitas prætendens; aſt nunc evidens neceſsitas exegit, ut in trimeſtria aſſentiretur, cùm haud obſcurum eſſet tam belli caſibus, quàm hyberni Cæli inclementiâ attritum Exercitum & exinanitum penitus, enectoſq; ſuorum equos; qui demum opimioribus paſcuis per æſtatem refecti, irrito aut eliſo Pacis tractatu, ad opera belli commodiùs in uſum verti poſſent. Cæterùm de loco tractatuum ambiguum manſit; cum Rex ſub dio in Caſtris ſe præſente tractandam vellet Pacem: precaretur Internuntius, in anteceſſum ex oris Moſchoviticis Præcurſores revocandos, qui ſi indemnem reditum præſtant, mox à Magno Duce ſuo de loco ex beneplacito Regis Paci tractandæ, conſenſum ſine mora allaturum promittens.

Cui datur reſponſum expediēdo

Trimeſtribus cō. eſſe Inducijs.

Nec incommodè ea de Pace tentatio ſuggeſta videbatur, jam eo ut dixi redactis Copijs Regijs, ut Viris equiſq; majori parte imminutæ, omnino augeri ſupplementis, imò quantocyus neceſſaria quiete refici exigerent. Vnde non ampliùs ſuaſorias pro reditu Regis, ſed

Senatus urget reditum Regis in Patriam.

1664 gis, ſed jam vehementiores preces in conſilium adhibiti Senatores exponebant; potiſsimus Palatinus Czarniecius cui tum fidebatur maximè; nam cùm palam eſſet alios diuturni ac moleſtiſsimi belli pertæſos domuitionem ſuadere, quominus & ipſi regrederentur: Czarniecius manſurus & bellum continuaturus ingerebat regreſſum, ex ratione maxima ſecuritatis Perſonæ Regiæ, tum uti ille periculis intervenientibus ſubductus Comitia indiceret; in quibus ex conſenſu Ordinum tractandæ Paci autoritas & robur, ſin ſecus ſaltem gerendo belio neceſſaria ſubmitterentur.

Et in dies ingraveſcebant pericula. Etenim cis Boryſtenem plebs, uti ſemper turbida ac in rebellione velut Salamandra in igne vivacior, autoribus Wyſſoczano ac Sulimenko Tribunis, ad xxx. millia coadunata, pleraq; fida Regi Municipia invadebat. Trechtymirow admotis machinis expugnavit & excidit; Liſiankam ubi armamentarij onera, ijs quibus commiſſa tuitio loci tradentibus perfidè, poſtquam ſubſiſtentes hic Mercatores Græcos diripuiſſent, invaſere; inſuper Machovium, cui Militis pro præſidio manentis per Vkraynam cura, campo ſubmotum, intra Biała Cerkiew compulerant, ubi munitionibus incluſus in quartam hebdomadem impetum obſidentium ſuſtinere cogebatur. Præcipua turbarum fax Brzuchowiecki, à ripa Boryſtenis oſtentans arma & protectionem turbidis: tum vanis rumoribus implens credulos, Regem amiſſo Exercitu in Moſchovia ab Czyrkaſcio fuſum, per compendia viarum in Lithuaniam receſsiſſe, uicto propiorem: ſerò nimis aut veriùs nunquam in Vkraynam rediturum. Etiam in Palatino Kijovienſi Wyhovio plura deſiderabantur, quibus fidem ſuam in Regem & Patriam approbaret: In continendis in Officio Coſacis iſthàc relictus, quod ſecretiùs & frequentiùs cum Metropolitano Kijovienſi conferret, in ſuſpicionem incidebat, ſegnis in coërcendis tumultibus operæ, imò & haud obſcuræ à partibus defectionis. Siquidem rebellis illa Plebs cum Sulimenko Czechryniam invadens, dedi ſibi locum per abſentiam Teteræ jubebat, quòd non niſi inſtinctu Wyhovij aut permiſſu factum credi potuit; vetera adverſùs æmulum odia reſumente; aut quod verius, ut luculentam Chmielnicij gazam, dotis titulo à novitio homine poſſeſſam, abſente eo commodiùs recuperaret. Quod dum ſine offenſa præſentis Regis perficere nequiret, mallebat ex ſucceſſu patrati operis, quàm ex præconcepta intentione, apud abſentem criminari. Quæ ad Regem delata, perſtringebant facilè, & pluribus jam indiciis in nova propenſo diffidentem: præſertim cum in literis Soſnicæ interceptis, perſcriberet Ihumænus aliquis in Moſchuam, de averſo eius à partibus Regijs animo, & aliquam tantùm rei

Motus per Vkraynam ex Plebe.

Metropolita & Wyhovij ſuſpecta conſilia.

Indicia averſi à Rege Wyhovij.

bene

bene gerendæ opportunitatem præſtolari. Vnde Rex in obſidio 1664.
Głuchoviæ hærens, quantocyùs in citeriorem Vkraynam amandaverat Teteram, cum bis mille Coſacis: ſedandis ea parte turbis, ac admonito benigne per literas Wihovio, uti juncta cum Machovio manu, ſeditioſam plebem in ordinem redigeret, quominus ipſe ſub tractatus Pacis requirente Moſcho cæptos, omnia hic compoſita & morigera invenire poſſet. Hoc literæ continebant, præter alia Teteræ ore tenus commiſſa: nempe eas turbas quantocyus in primarijs capitibus ſopiendas, nec aliter ſedandã tempeſtatem, niſi compreſsis ventis mali autoribus. Quod alij ad Sulimenkum referebant, quem licentioſæ plebis anteſignanum, Białocerkwæ captum tenebat Machovius: verùm extimulavit occaſio æmulum uti conflatum ſibi apud populares odium, opportuna ex inimico capite vindicta extingueret.

Quod cõflat et in Aula ſuſpicionem.

Ioannes Wyhowski Palatinus Kijovienſis oderat Paulum Teteram, ad Præfecturam Coſacorum Zaporovienſium à Rege provectum; vel novitati hominis ſubitò creſcentis infenſus, vel quod ſatiùs eſt, opes Bohdani ad eum cum Nuru Chmielnicia delatas ægrius ferens. Tetera viciſsim ſibi metuebat ab æmulo, ſolicitè in acta inquirens, deferebatq; ad Aulam, maximè ferias ab armis Wyhovij, non pro more priſtino in crimẽ trahendo; jam nunc à limite Moſchovitico cum Mandatis pacandæ Vkraynæ dimiſſus, velut digito monſtrabat eum eſſe, qui tacita cum hoſte conſpiratione, Plebi oleum in turbas affunderet. Agebat Chwaſtoviæ Feudo Epiſcopali Wyhovius, identidem per literas Metropolitanum Kijovienſem conveniens, ac velut extra curam motûum plebis poſitus, familiarius velut in ſeceſſu cum altero conferebat. Cùm prævalentibus in contrarium criminationibus, à Machovio per nobilem Commitonem tranſmiſſa Regis epiſtola, ut veniret ad bellicum conſilium rogatur: is vel quòd nil ſibi conſcius, metueret nihil; vel conturbata ratione ubi extrema imminent, vocanti paruit, Corſuniumq; venit, ubi tunc complures Militarium pro Conſilio bellico comparebant. Hic deliberatione de modo ſopiendæ in Plebe ſeditionis ex abrupto inſtituta, autoribuſq; turbarum excedere conſilio juſsis; verborum acrimoniâ inſperatò perculſus, & objecto crimine perfidiæ ſe onerari dolens, iniquam ſuſpicionem verbis amoliri inſtitit, prolixiori ſermone objecta refutando. Verùm cum aliquot facinoroſorum teſtimonia morte confirmata, (Confeſſata vocant) jam diverſarum literarum autographa, aliaq; documenta habiti cum hoſte condictaminis producerentur; mox Conſilium in Iudicium vertit, & pro deliberatione Militari, Forum accuſatorium inſtituebatur. Neq; prolixa in litis proſecutione mora interceſsit, ubi ad præſcriptum Articulorum Bellico-

Machovij Wyhovium Pal: ad cõſilium acceſſit.

Militaris dicio ad mortẽ damnatus.

rum

1664. rum compendiario Proceſſu judicatus fuit; non quidquam ampliùs præter ſimplicem objectorum negationem, & exceptionem Fori quâ Senator Regni eſſet, reo adferente. Itaq; ſententia Militari damnatus, mox in cuſtodiam datus eſt ſtrictiorem: ubi verò Iudices ad quietem nocturnam dilapſi, miſſus ad eum extremæ neceſſitatis nuncius, de tempore præmonebat, uti non ultra diluculum, conſcientiæ, rebuſq; ſuis diſponeret. Quod dolentèr accepiſſe ferunt, & ubi terrarum Rex eſſet ſolicitè perquiviſſe? Interim Milites, quibus commiſſa cuſtodia, denſis cuneis Ædes circumſiſtebant, cum ſub primam cæptæ diei lucem eductus ante hoſpitium, ſimul aliquot fiſtularibus globis trajectus occumbit. Hic fuit viri inter Coſacos primarij tragicus finis, de quo ut à Scythis prælio Zołtowoden ſi captus, dein liberatus, ut Bohdano indivulſus conſiliorũ moderator & aſſecla extitit, primo Climactere expoſui. Vir certè indole militari, conſilio promptus, & in paucis ambidexter: jam verò in expendendis vicinorum Principum armis ſagax & induſtius nimium: niſi fortè vel majoris fortunæ ambitu corruptus, vel prævalentis æmuli odio peſſundatus, ſibi ipſi exitium acceleraverit. Cùm in recenti non deeſſent, qui incompetentiam Fori, in quo Senator Regni à Tribuno militari; inconvenientemq; acceleratæ pœnæ rigorem damnarent arguerentq;: plures illegalem ac præjudicioſam executionem, ut ne ad diſponendam quidem conſcientiam Chriſtiano more ſpatium permitteretur, aliaq; adjecta exagerando, nullo Iure prolatam ſententiam, niſi faciliùs ſit poſt patratumfactum, verbis aſtruere innocentiam cæſo, quàm vitam.

Quam cõſtanter ſubit.

Hyemis reſolutio Polonis voxia

Revoluto Vere clementioris cæli redibat tepor, ſubitò exolvẽs amnium paludumq; glaciem; unde arduum magis erat ex paluſtri ora, & plurium fluviorum inter ſciſſa fluentis reducere Exercitum; quem jam hoſtes undiq; imminentes, ad primam hyemis reſolutionem in facilem prædam deſtinabant. Etſi inſuper alia loco decedendi haud deeſſent motiva. Ac primo attritæ per in commoda cæli & belli Copiæ, notabili equorum jacturâ, ut ſub Centuriata Cohorte quindecim integri reperti, in gratulationem permoverent Socios, qui ſuos omnes amiſiſſent. Coſacos quin etiam Regem ſecutos ſeditio invaſerat, dolo & perfidia ipſorummet excitata; nec ſine gravi motu comprimenda. Vbi tamen inveſtigata proditio, ſtrangulatus Duńka Præfectus cum paucis conjuratis fuit, & compreſſa defectione, inditus ſceleris immunibus Coſacis alius Ductor,

Hulanicki præficitur Coſacis.

Gregorius Hulanicki, veteranus inter illos, nec fidei improbatæ. His cautis inductus Caſimirus de reditu ſerio cogitare cæpit, præſertim cum ad oblatam Tractatûum requiſitionem, honeſtè ſe bello exol-

uere

vere poſſet. Ergo ommiſſa hactenus Arcis Siewsko oppugnatione, cui intendebat in ſpeciem, reducere Exercitum inſtitit; quovè commodior in diverſa diſceſsio foret, ipſe cum Lithuanicis Copijs, Vilnam versùs iter deſtinat, Stanislao Potocki Generali Exercituûm Duce, ſibi aſſociato: uti quem continuatus morbi languor, & inclinata ad devergium vitæ ætas, bello exemptum vellet: Srephano interea Czarniecki Ruſsiæ Palatino, eius vice imperia capeſsituro; qui utramq; Vkraynam armis complexus, in fide & obſequio Reipub: retineret. Ac quo abeunti ſecurius iter foret, ſimul adſtes itineris Czarnecius comitabatur Regem, donec per Starodubenſem oram deductum Mohiloviam inde demum properatis itinerbus Minſcij ſtiterit: hic moram tracturo Principe, non ſolùm uti perfunctoria quiete vires reficeret, verùm etiam quod citis equis iterum reverſus Internuntius, Commiſſarios Moſchos ad tractandam Pacem aſtore nuntiaret: Loco Actui Kraſne & Zierowice pro utriſq; (ſi modo Polonis placet) deſignato. Iam in Conſilio Regis præter Tribunos militares, rari admodum comparebant Togati Proceres: Cancellario Majore Prazmovio obtentu Epiſcopatûs Luceorienſis, per conſecrationem adeundi peregre delapſo; Mareſchallo Branicio valetudine excuſato; pleriſq; lites quæ in Tribunali perſonalitatem requirerent, prætendentibus, alijs alia: omnibus ad commodius Cælum, & ſueta domi otia abreptis.

1664.

Caſimirus regreditur.

Mohilõviã.

De Mohilovia, quæ populoſa Lithuanici Iuris ad Boryſthenem Civitas nuper Moſchorum invaſa præſidio, innui ſupra: ea Caſimiro non incommoda viſa ubi ſubſiſtens ad diſcutienda Capita Tractatûum cum Moſchis propior attenderent. Hic dum ſupervenit, magna ſpe feliciter inchoandi Actus, tria Nuntia non ſine dolore & aculeo cordis accipit. Primum erat, vehementi morbo Ludovicam Reginam Varſaviæ quati, ac planè propè extrema imminere increſcentibus per momenta paroxyſmis, & irrita Medentium ope. Afferebat alter indignationi magis quàm dolori fomitem, quod Commiſſarij apud Kraſne Moſchis congreſsi, ac de præliminarlbus Tractatuûm acturi, cõperiunt illos non eam, quàm de verbo præſetulerint in tractanda Pace oſtendere facilitatem: dum per quæſitas ſtudio moras in acceſſorio cũctabundi deberent, nulla fœderis ineundi prolegomena ut moris proponentes. Pro ingenio, tantùm ſuo uti Polonos hyberna expeditione attriros, imagine Tractatûs exarmarent, vel ſaltem cum Suecis, apud Iwangrodiam in Livonia pridem diſceptantes, in anteceſſum ab illa parte Fœderibus ſe præmunirent. Tertium erat, arcana cauſa ex his oris abitum præſtruente, Mohiloviam ubi tunc ſubſtiterat Rex, dolendo & fortuito ab igne, conflagraſſe à quo ſuppar Civitati

In Kraſne initia Tractatuum.

Rex Mohilovia.

Oppi-

1664. oppidũ, vix tertiâ ſui parte liberum mãſit. Malum hinc cæpit. Lani⁹ aliquis de nocte vaccã mactabat, divẽdendis in craſtino carnib⁹; qui dum pineam tædam exhibendo lumini parieti improvidè applicat, facili in reſinoſa materia ignis communicatione, domum propriam ſuccendit; unde brevi ventis flammam propagantibus, tam repentè totum oppidum corripuit incendium; ut permultos mortalium vel extinguentes vel ſemiſomnes ignis corripuerit. Et quamvis ad primam orti incendij uti mos teſſeram, tàm oppidanum vulgus, quàm Stipatores Regis, aliaq; Aulæ Miniſteria coërcendo igni accurrerent, harpagonibus ſubtrahentes ardendi materiam, vel liquoribus flammæ vim extinguentes: nullo tamen humano remedio violentia elementi reſtinguibilis apparebat, undantibus paſsim flammarum globis, & pertinaci vento latè incendium ſpargente. Ac prope erat ut per contiguas domos graſſatum malum, ad Ædes quoq; ubi ſtatio Regis pertingeret; magno equorum curruumq; periculo, jam ſcandulis tectorum ab igne correptis, niſi pertinaci accurſu Militum madore ſuperfuſæ aquæ reſtinctæ alicubi ſubſiderent flammæ, vel ubi ædes vicinæ diſtrahuntur ſubtracto alimento ſenſim laſſeſcerẽt. Prægrande certe tunc Mohylovia damnum ſubijt, præter etenim aliquot templa Ruthenica, ſimul exarſit vetuſtum Civitatis Prætorium, in quo privatarum opum, tam quæ in mercibus quàm parata pecunia exiſtunt, jactura ingens: æſtimato incolis per conflagrationem damno, ultra gemini millionis pretium; potiſsima damni accepti parte in pellibus pretioſis clauſo tunc Inſtitoribus Smolensko, & Kijovia undiq; motibus belli agitata, Mohyloviam velut ad Emporium toto ſeptemtrione percelebre, merces deferebantur, ut facili à ſupera parte per amnem defluxu, ſic fructuoſa Inſtitorum loci cum infrapoſitis oppidis nundinatione. Hinc Rex afflicti municipij querelas & gemitus ferre non valens, vel geminatis de non remittente Reginæ morbo Nuncijs impulſus, die xx. Aprilis Minskum Lithuaniæ movit, brevi indicto pro Milite reſpirio; ut in reſumendos belli actus ſi Pax coaleſcere non poſſet vividior eſſet. Comitabatur abeuntem officij (ut dixi) & ſecuriratis gratiâ Palatinus Czarniecius xiij. ferè Cohortibus ſtipatus, ſed quod agmen, ut & reliquum, amiſsis equis, vix tertia parte equitaret. Pedes ibant egregij Commilitones, ſigna tantùm præ manibus ac ephippia frænaq; equorum humeris ferentes, nonnullis quò vel ægritudini, vel lutulenti itineris moleſtiæ conſulerent, bobus aut vaccis inſidentibus. Indolere oſtendit Rex fortunæ Equeſtri, cui dum per egeſtatem Ærarij ſuccurrere nequit, permiſsi illi per vicos ac oppida quidquid equorum eſſet conquirere, reſtituendos poſthac aut ſolvendos, compenſabili priva-

Quæ fortuito igne conſi grat.

Ingẽti Municipium damn.

Inde Minſkum vertit.

Equorum cõquiſitio per Lithuaniam.

1664. privatorum damno, ſi modò neceſsitati publicæ in præſens conſulitur. Aſt peracerbum id in Incolas tot calamitatibus belli preſſos, & plurimæ à Lithuanis in Czarniecium querelæ, velut is in hoſtem mitior, intolerandis ſuos direptionibus & abigeatu vexaret. Reſedêre tamen utcunq; murmura, datis à Rege Viſoribus, ſeu Commiſſarijs; qui vicatim & oppidatim receptos equos conſcribentes, reſtituendos ubi commodum eſſet, vel ex militaribus ſtipendijs perſolvendos aſſecurarent.

Brevi temporis ſpatio, Rex Minſcij ac tantùm ideo moratus, ut de primo Kraſnenſium Tractatuum ſucceſſu cognoſceret. cùm jam præterita Comitia, ad eum paciſcendi Actum, per legem Diſceptatores Fæderum (quales recenti uocabulo Commiſſarios dicunt) conſtituiſſent. Nempe utriuſq; Gentis Exercituum Duces, ac Sigillorum Præſides, Radivillum præterea in Ołyka ac Nieświeſz Caſtellanum Wilnenſem, Palatinum Sieradiæ Wierzbowski, (ſed is ante Commiſsionem fato functus) Stephanum Czarniecki Ruſsiæ Palatinum, Carolum Chlebowicz Samogitiæ Præfectum, Andream Morſztyn Regni, ac Paulum Brzoſtowski Lithuaniæ Refendarios, Stephanum Ledychowski Succamerarium Cremenecenſem; ac præter xxx. alios Stanislaum Kozuchowski Dapiferum Calliſienſem. Ac ne copia opus & ærarium obrueret, inchoando negotio præmiſsi ſunt, Brzoſtovius ac Ledichovius; qui citato greſſu Kraſne allapſi, jam hìc antegreſſos Moſchos reperêrant, Palatinum Odorowski, Naſzczokinumq; nupera ad Regem Legatione functum, geminos Doſhorukios Fratres, ac Almachum aliquem Græco-germanizantem, donec primis labris Iuris Cæſarei apices attigiſſet. Omnes iſti peracerbè incuſabant, quòd Rex Polonus verbo tenus Tractatum Pacis offerens, interim immiſsis in terras Moſchorum Exercitibus, hoſtilia exequeretur. Bidzinius quippe cum Połubinſcio uti ſupra memoravi à Siewsko ditiones Mag: Duc: introgreſsi, ac ultra XL. milliaria oræ illius, intima planè viſcera Moſchuæ armis pervagati, ad uſq; Sebieſſum amnem, & illud famoſum S. Trinitatis Cænobium populatorio agmine graſſabantur; quos revocare nec è re viſum, nec ex poſsibili; longiùs provectis illis, quàm ut protinus regrederentur; & perſuaſibiliore Moſchis Pace dum affligi ſe ſentiunt, quàm cum Gens proſperis elata terminos humanitatis & modeſtiæ dediſcit. Itaq; Rex totum ſe ad tractatus illos impendebat, uti, cum bello non poſſet, ſaltem amica compoſitione ea parte Templum Iani clauderet. Sed hirrienti admodum cardine negotium procedebat, animis Principum, vel Miniſtrorum tractantium, nodum in ſcirpo quærentibus. Siquidem Moſchi oblata optione, uti priores ad ſtabili-

Ad Tractatus cum Moſchis Cõmiſſarÿ.

Poloni ſub hæc terms Moſchi populantur.

1664. endum pacem media proponerent, à loco communi agere incipiebant; primò conjunctionem armorum in Turcam perurgentes: scilicet gratificaturi nostro discrimine Austriacis, quos tunc gravi bello Turca in Hungaria infestabat. Quod impertinens ad rem parergon, postquam Poloni, jam antiquis novelliſq; cum Porta Ottomanica Fœderibus, jam impari duarum Gentium contra universi Orbis Prædonem potentia, reijcierent; vel saltem condicta priùs inter se pace, eam materiam ad calcem operis tractandam differrent; mox illi jactis querelis, imò scriptis accusabant Polonos, qui in Christianos tantùm vicinosq; ferrum exacuerent, adversùm Crucis hostes hebete illo ac obtuso desides agendo. Iam verò cathegoricè edisserentibus nostris, sine quibus Pax coalescere non posset: nempe, nisi injuriosè ereptum Smolensçum cum appertinente ditione redderetur; rebellis per Vkraynam Plebis protectio ejuraretur; Arces ac Fortalitia Russiæ, præsidijs evacuarentur; illatæ sub tempus hostilitatis Sueticæ injuriæ sarcirentur; captivi Mancipiaq; Christiana in libertatem assererentur: tum alia, pro quibus justissimè Poloni repetundarum agerent, & nisi ex æquo & justo postulantibus satisfit, iterum parti læsæ ad remedia belli recurrendum fore. Ad ea subticentes Moschi, levi tantùm motu capitis respondebant, & subsidente nativa loquacitate, elingues se penitus monstrabant. Hinc Cooperatoribus perficiendi operis vix aliqua spes, & Regi motivum erat; uti acceleratis itineribus in Patriam regressus, sedulò de rationibus belli gerendi, quod nisi Comitiorum beneficio perfici posset, constitueret.

Prima Moschi propacis propositio.

Contraria Polonorũ expostulatio.

Inde itaq; Vilnam die xv. Maij. appulit, magno Senatus Lithuanici obviam prodeuntis plausu acceptus; etiam Magistratu Vrbis, per exquisitos Arcus, ac sumptuosa missilium ignium tonitrua faustum à bello reditum apprecante; adjecta ab gratulantibus appendice, dum studiosa Inventus Collegij Patrum Soc: Iesu, (quod hic sub nomine Academiæ audit) solertissimo artificio scenam theatralem expedit, Regis Acta & labores pro Patria susceptos, sat graphicè in spectaculo exprimendo, nisi Chorus ex præscripto artis impertinenter triumphum cecinisset. triumphum (inquam) Regis reditum, quod vivi evaserimus vocando.

Casimirus Rex Vilnam venit

Digresso per Lithuaniam Casimiro, interea Illust: Vexillifero Regni Sobiescio cura reducendi Exercitus incubuit, in Vkraynam citeriorem pacandis turbis eunti: nam Transboryſtenianam oram ex vi tractatûum omnino Polonis reddendam, ambigebat nemo. Itaq; dimissa Ductoris nomine circumquaq; ad Municipia Edicta sunt invitantia: *Non amplius armis aut hostilitate opus, ubi pacatis & Ciui-*

Exercitus Polonicus in Ukraynam tendit.

1664. *& Ciuilibus medijs internecivum bellum inter Gentes & populos unius Regni, sopiri posset. Disceptari jam cum Moschis de pace, & concordiam breui sanciendam. Deponerent aut retinerent arma Cosaci, pro more militiæ ut volunt: cæterùm plebs ad culturam agrorum secura rediret, mandaretq; horna semina terræ; unde posthac ex fertili messe & laborioso Agricolæ solatium, & emerito militi facilior victus proueniret. Interea Regem velle ac jubere, ut in quo statu nunc Vkrayna esset, in eodem ad finem tractatuum permaneret: excepta sufficienti pro Exercitu Polono alimonia, & recipiendis in statiua oppidatim Cohortibus, quæ amicè habitæ, omnem præstabunt modestiam & præsidium Incolatui.* Verùm ut nec Regijs per literas pacata omnia spondentibus creditum; sic nec à Cosacis militarem modestiam appromittenti Polono obtemperatum fuit, effusa ubiq; in remeantes Copias infestis agminibus plebe Roxolana, quominus ut rebatur, refugos aggressa, & præcipiti veris resolutione ob viarum difficultatem implicitos, nullo negotio conficeret. Sed præsumpta opinio fefellit. Illr: quippe Regni Vexillifer, inter undiq; convolantes hostium globos, vi viam aperiens, instructum agmen militariter deduxit, coadunata Carragine tutum; cujus latera firmissimis Legionibus præmuniens, frontem ducebat ipse, tergum Ioanne Sapieha Campestri Regni Notario cum desultoriorum agmine egregiè obtinente. Sub eo tegumento & procedendi ordine, discriminosum iter & protensa illa Vkraynæ latifundia emensi decurrebant Poloni, ubiq; non sine assilientium Cosacorum vexa, & maximè in paludum aut fluminum trajectu incursantium. Præcipua vis apud Sosnicam incubuit, quæ priore itinere à nostris malè mulctata, dum talionem reponere satagit, iteratam cladem geminato casu perpessa est: invecti quippè in postrema agminis municipes ac retrusi, prope duo millia suorum amisêre, Skidano Centurione inter præcipuos capto, ac oppidum prope, palo prout meruerat defixo.

Pacatum ingressum Cosacis denuntiãs

Recessus militaris Polonorũ.

Czarniecius interea, solita qua pollebat celeritate, dimisso Casimiro, Exercitum retrovertentem assecutus, dum haud longè à Boryſtene offendit, nihil prius aut potius habuit, quàm maturato fluminis trajectu, reliquas Copias in citeriorem ripam deportare. Itaq; quantocyùs conquisitis lembis navigijsq;, quorum beneficio nec aliter trajecturum se putabat, dum adhuc frigidarum noctium gelu, non ubiq; eliſam glaciem ripas prope in aquis retinet, primò leviores Cohortes, postmodum machinas cum oneribus, vix tutò quidem, ast tamen commodè, trahis demittit: ubi verò impatiens onerum amnis, ob rapiditatem cursûs glaciem exuisset, tum demum pontones phaselloſq; adhibet, ac eo modo vel ultra suam ipsius spem in

Qui retrogredientes Boryſt: trãnat.

1664. citeriorem ripam Exercitum traijcit, etsi non planè immunis di-
scriminis, Sierkone insidias trajecturo struente: nisi Dux comper-
to molimine arte eluserit insidiantem, alibi traijcere velle excitatis
ignibus ostendens, cùm jam infera parte amnem securi sui apud Ry-
szczow op: superâssent; tum demum novissimus ipse omnium,
cum Legione Desultoriorum tranavit; Equitesq; Moschos ea par-
te trajectum impedituros complures dispersit: qui equos deseren-
tes, dum pedibus salutem credunt, ad mille quingentos equos Polo-
ni præter aliam prædam ex illis recepêre. Et si certior fama vul-
gavit, Sierkonem vel tanti nominis Ducem lacessere non ausum, vel
ab Hanencone Tribuno de reditu in Tauricam Scytharum commo-
nefactum, ad excutiendam Barbaris prædam festinare, quàm non si-
ne certo discrimine cum Polonis experiri maluisse: non infra suc-
cessum consilio: cùm is idem Sierko in Scythas cum præda redeun-
tes apud Szawranium invectus, ad Mag: Duc: hostium cæcidisset, ac
permultos mortalium durissimæ servitutis jugo excussos, in liberta-
tem asseruisset.

Sierco præ dam Scythis excutit.

Trifariam divisum Exercitum Polonicum memoravi. cuius pri-
ma pars in Lithuaniam cum Rege abierat; Alteram Czarniecius cum
Illr: Vexillifero Regni in citeriorem Vkraynam deducebat; tertiã
um agmen (quale Helvetij Perditorum vocant) sese intra Moschuæ
viscera immiserat. Perditos dixi, nam nec Casimirus revocandos
curavit, neq; Duces tanti habuêre ut submissis auxilijs, hostili po-
tentiâ velut rete concluso quoq; modo recuperarent. Sed retinet
vitam quisquis contempsit, ac fortes refugiens Libitina, fugaces inse-
quitur. Id agmen L. Cohortium Ductoribus Bidzinio ac Połubin-
scio, in hostium terras jubente Rege introgressum, reperit apud ho-
stem admodum confusa omnia, & totam planè Moschuam Panico
terrore consternatam. Clausæ Arces quidem & oppida, sed facilè
si arma præstò essent ad vim patentia, raræ Copiæ vix aliqui Exer-
citus, qui miserrimo inter bella Incolatui opem ferrent. Vnus Pro-
zorowski apud Karaczoviam obvius ut retuli nostris, sed mox per-
functorio certamine tentatâ aleâ, in intima Regionis ferro submo-
tus, iter fugâ sibi aperuerat. Ampliùs nihil, & imbecillæ in retun-
dendum hostilem incursum, in tam vasto Imperio vires, nisi quòd
desperata agrestes salute, nemorum latebris aut paludum limosis se
abdẽtes, ác loci situ aut præsenti discrimine in extrema obfirmati, non
leve quandoq; nostris Præcursoribus facesserent periculum. Erat
inter Lithuanos Buhaius Voluntariorum militum Ductor, qui à te-
neris in Moschovia educatus, pluribusq; annis inter gregarios stipen-
dia

Partio Regij Exercitus.

Tertij agminis in Moschovia successus.

dia meritus, non solùm idiomata Gentis moresq; percalverat, ve- 1664.
rùm etiam ujarum Regionisq; admodum peritus habebatur. Hic
infestus Moschis, dum ubiq; nemora excutit, & sagaci vestigatione
in abditissimas latebras se immittit, inciderat fortè in Carraginem
quam robustam nimis & ultra x. millia hominum continentem cer-
nens, Ductoribus persuadet, Quæstores Moschos cum non exigua
parati æris vi intrò latere, qui in Vkraynam expediti sub specie
mercatorum grandes summas in stipendia militaria deveherent, in-
ter agrestes incogniti delitescendo. Permovit Ductores relatio
hominis, res Moschoviticas intimè pernoscentis: proin ad strenuam
operam militem adhortati, primò Equestrem procellam in carragi-
nem immittunt strenueq; adoriuntur equis exscendendo; ac jam pla-
nè retruserant primum assultum Moschi, nisi à tergo ingruentes Scy-
thæ, speratæ prædæ instinctu, clamoribus, & vi promiscuè stationem
conturbarent, eo successu, ut revulso currûum ordine, tertia demum
impressione per fossas & concædes arborum eluctati Carraginem
nostri perfregerint. Nec ampliùs quicquam superfuit nisi cædes &
Præda, jacturam suorum vindicante Victore, Scythis itidem in recom-
pensam sociorum raptim mancipia abducentibus memoratu non in-
dignum hîc contigit. Viginti non ampliùs Moschi, quo se invasa
jam carragine discrimini eriperent, per obliquos anfractus elabe-
bantur conglobati in cuneum, & fortè duas trelvè mulieres abdu-
cebant. Isti aliquantùm progressi in Cohortem excubantem ea par-
te incidunt, jubenturq; pro more militiæ confestim arma ponere
aut mori, ubiq; ab Equite in effugium viâ præclusâ. Verùm isti ut
sclopis & securibus armati erant, primò ictibus nostros sternunt,
mox securibus aggressi, equos dispellunt, identidem ingesta dediti-
one ferociores. Neq; priùs pertinaci conflictui finis, cum Cohorte
Liplanscij Centurionis commisso, nisi dum xiij. Moschi in vestigio ca-
dunt, tum demum reliqui vulneribus conciss aut mutilati, ægre se
Victoris arbitrio permitterent. In capta Carragine præda minor
opinione reperta est; Quæstoribus illis nusquam comparentibus,
cædes mortalium ingens fuit, ab excisa carragine haud perfuncto-
rio metu in disitas Moschuæ oras promanante.

Carraginẽ nostri adoriuntur.

Viginti Moschor: in Cohortem pugna.

Carrago excisa.

Equidem adagium vetus re ipsa tunc verificatum extitit; mili-
tem chalybe duriorem esse in hostico, qui idem in suis terris vitro
fragilior sit. Quis crederet? Moschos populosam adeo Gentem,
& in defensione sui pertinacissimam, tunc remisisse manus, adeo;
ut velut exermis ac omni præsidio destituta, tam exili agmini ad
incursum & prædam pateret. Quid si altera parte, alijs Copijs
quateretur? & omissa in recipiendis Fortalitijs cunctatione & mora,

1664. Caput ipſum & primum vivens Regionis invaderetur? quam nullo propè negotio ſarciri damna, rependi injuriæ, & ablata à Polonis recuperari potuiſſent? niſi aliter vellet Supremus ille, qui ſupra nos vult, & poteſt. Dum noſtros in tertiam hebdomadem ea excurſio per Moſchoviam tenet, & nullis à Rege vel in abſceſſum revocatorijs, vel in progrediendum ſuppetijs erecti hærent, adhæc paſſim à Siewsko receſsiſſe Regem conſtaret, habitoſq; pro Perditis, ſuo relinqui conſilio palam eſſet, vocatis Cohortium Præfectis deliberavêre Ductores an mandata Regia de regreſſu operiri? an apertiſsimo diſcrimini nucleum illum virorum maturato abitu ſubducere expediret? permulti commilitonum per frequentes cum Moſchis congreſſus ceciderant, aut vulnerati ardua ſub dio curatione trahis vehebantur. Equi continua laſsitudine ac laboribus fracti haud ſufficiebant ſeſſoribus ferendis; non exiguo militum cordolio, qui eo ſe abijs revehi optarent, quo eorundem beneficio penetraverant. Neq; inopia alimenti, ſed ipſa ſatietas in noxam jumentis tranſibat, cùm elaſſatis injecta pabula, aut aqua avidiùs hauſta, tum alia aëris incommoda morbum ſuffraginoſum inducerent. Vbi verò ex captivorum relationibus intellectum, Regem in Lithuaniam abſceſſiſſe, & Commiſſarios Moſchos compaginandæ Paci Poloniſcum incumbere, etiam noſtri retromotis Signis reditum maturant, primò junctim & uno agmine; ſed poſtquam Nowogrodecum Severiæ venit, patuitq; Polonum Exercitum in ulteriorem Vkraynam remeaſſe: Bidzinio ſuorum veſtigia ſecuto, Połubinſcius cum Lithuanis Silveſtri admodum tractu, & nimium arduis per concædes Sylvarum itineribns, ad Regem properavit. Facilior iſtis in viſcera hoſtilis terræ regreſſu deſcenſus erat, cum extra Moſchorum limitem eluctati, perpetuis Coſacorum aſſultibus vexarentur indeſinenter, ac præda ſi quam tulerant excuteretur. Notabili Buhay (de quo ſupra) caſu, qui dum amnem Deſznam apud Poczopovum tranſmittit, ab erumpentibus frequenti agmine Coſacis in trajectu deprehenſus, luculentam ſanè eam vi majore ablatam hic amiſit: ipſe dum invaſos currus ſeu trahas diripientibus eripere ſatagit, enormi vulnere ſauciatus. Neq; Scythis commodiùs ſucceſsêre manubiæ, quas educerent, ubi in pernoctantes apud certum molendinum illati Rebelles, excuſsis Captivis, quingentos fermè cæciderant.

Regreſſus Regionũ ex Moſchovia.

Bidzinio in Vkraynam Połubinſcio in Lit: regradien:

Vexantur à Coſacis in reditu.

Sub idem fermè temporis grave conſurgit bellum, à Turcâ in Cæſarem Leopoldum ſuſceptum; cujus cauſa diverſa ponitur, Germanis iniquè & ſola divexandæ Chriſtianitatis libidine mota arma incuſantibus, à Machomete jv. qui tum Throno Ottomanidarum præeſſet: alijs oppreſſam ab Auſtriacis Pannoniam, in præ-

Bellum Turcicũ in Hungaria.

textum

1664. textum adſumentibus. cui opitulaturus Turca, ſi non juſto ſaltem ſpecioſo belli titulo, contra æmulum & coheredẽ afflictis Hungariæ Incolis auxiliaretur. Indixerat is per Fœcialem Cæſari bellum, nimium quam res in Imperio ſecuras quam par eſſet comperiens, dum & Principes Germani inter ſe diſcordes, vel in publicum minùs animati, eam procellam velut perfunctoriam in levi ponunt; & penes quos ſumma Gubernij Auſtriaci, ad phraſim illam bello ſemper pernicioſam (Non putaram) hallucinantur. Itaq; Hungariam introgreſsi cum Hiſmael Baſſa Turcæ, dum incolæ Regionis palam & paſsim partes Cæſaris abdicant, jam velut in proprio ſolo divertebant. Vnde hoſtilium Copiarum Ductori aduſq; novas Arces (Neyhuſel) penetrare ne vibrato quidem ferro licuit: quibus levi negotio captis, fertiles illæ per ſubjectam Auſtriam ac Moraviam oræ, ferro & igni impunè ab hoſte vaſtabantur. Ac licet ſi Cæſar per Legatum Conſtantinopolim miſſum, immeritam & contra recentia Pacta illatam vim revocari poſtulaſſet; veteri ſtatui ac regimini Hungarorum ex æquo & juſto conſultum iri ſpondens, ſi quæ præterea Turcæ prætenderent redhibiturum amico modo teſtatus: non ideo tamen remittebat armorum furor, elato primis ſucceſsibus Barbaro, nec aliter cæptum bellum abdicaturo, niſi Tributum ex Provincijs Auſtriacis pendendum quotannis condiceretur. Intolerabile id Genti ab ævo militari gloria inclytæ, vel ſola infamis Tributi mentione, dum ante victoriam triumphum canens ſuperbus hoſtis, non ſolùm Viennæ, compedes, ſed univerſæ Germaniæ jugum minaretur. Primordia quippe belli pro Turcis erant, raris in oppoſitum Imperatorijs quæ vim ſuſtinerent Copijs; imò gemino jam agmine, uno in Croacia apud Canizam cum Adamo Forgacio; altero cum Vladislao Ragocio Varadinum propè, Ducibus Leopoldi in Hungaria ſublatis. In opponendam tamen vim dum arma parat Cæſar, & Auguſtæ Vindelicorum de ſubmittendo auxilio in Comitijs Imperij deliberatur, non defuêre qui in Cæſarem fide & in hoſtem animo reſumptis; Zrinius, Strocius ac Hohenloyus Comites Hungari, raptim lecto milite, etiam agreſtibus quibus domi deliteſcere nulla ſecuritas ſub Signa vocatis, Canizam famoſum cumprimis in finibus Croatiæ munimentum, valido Turcarum præſidio inſeſſum, recuperaturi movent, vel ſi ſpes capiendi loci deeſſet, ſaltem revocandis ab obſidendâ Viennâ Turcis, ac eo modo populationes inhibituri, & ab Auſtria hoſtilium armorum diverſionem facturi. Et conſilium in rem opportunam fuit; Turcarum Wezyro tantùm de retinenda Caniza ſolicito, ut potiorem Viennâ reputans, vel in ſubſidium laboranti retrò moveret, vel Germanici

Novæ Arces interceptæ.

Cladis Cæſareanis illatæ.

1664. manici Imperij vires in reprimendam vim notabiliter creſcere advertens, mallet vivum ſe ex receſſus providentia perſtringi, quam

Auxilia Cæſar cõparat. cæſum ex re fortiter geſta laudari. Præter quippe Electores Principes, quos communis Chriſtianitati hoſtis in periculum advertit; etiam ſummus in terris Eccleſiæ Chriſti Vicarius, iniquæ florentiſsimi Imperij convulſioni indolens, ſuccurri velle monſtravit, datis confeſtim ſuppetijs, quâ milite in præſens conducto, quâ ſummis pecuniarijs, ex ærario ſpirituali depromptis. Etiam Chriſtianiſsimus Galliæ Rex Ludovicus XIV. ſepoſito in tempus veteri æmulationis zelo, ſubinde auxiliares copias ex Francis Cæſari ſubmittendas decrevit: laudabili & imitabili ad poſteritatem facto, ac ſuperioris ſæculi indignam cum Ottomanis ſocietatem expungente. Aderat Regenſpurgi in Comitijs Cæſar ipſe, in perſona plus effecturus;

Comitia Imperij Aug: Vindelicorum donec inſperato fraternæ mortis nuntio perculſus, Lincium abiret. Is erat Carolus Archidux Auſtriæ minor natu Leopoldi Frater, Ferdinandi III. Filius; qui indolis & gravitatis commendatione illuſtri, & inde ad generalem Armorum Auſtriæ Domus Præfecturam deſtinatus, ante diem Oènipenti obierat, non ſine mærore Cæſaris, eo momento ſe Fratre, laborum belli ſocio orbari dolentis.

Eodem anno Cracoviæ dum in Cæmeterio Eccleſiæ B. V. MARIÆ veſpillo ſcrobem defuncto fodit, incidens forte eruit tumbam ligneam, carie ſemiadeſam, in quâ ut ex habitu funerali conſtitit, Sacerdotis alicuius corpus depoſitum fuerat. Retinebat ille vivum propè in vultu vigorem, capillitium integrum erat, calix è cera manibus tenebatur, ſed quod magis admirationem movit, ab loculo non putidus aut graveolens áèr aliquis, ut ex ſepulchris ſolet, ſed benignioris auræ fragrantiâ ſpirabat, & propiores roſarum odorem redolentem olfactu percipiebant. Evulgato contingenti, & univerſa ad ſpectaculum effuſa Vrbe, dati à Spirituali ſubſelio Commiſſarij, cadaver ſurſum attollere, ſoliq; & vento liberiori exponere jubent; cum protinus integri corporis maſſa, etiam exterior habitus, in ſua reſolvitur principia, ad flatum venti in cinerem redacta, compage tantùm oſsium remanente. Perquiſitum ſe-

Corpus P. Simonis Albimontani dulò in Tabularijs Eccleſiæ, cujus illæ mortales Exuviæ forent; ac compertum P. Simonis Albimontani, qui ſacro charactere inſignitus, cum ill: Heroe Nicolao Radivillo Palatino Vilnenſe, ad ſepulchrum Chriſti Hieroſolimitana peregrinatione functus, ſub Annum 1582. fuerat: inde redux, in Circulo Beatiſsimæ Virginis Clero adſcriptus, puritate & innocentiâ vitæ illuſtris obierat; hic ſepultus ſub Annum 1615. Quæ ſervi Dei Lipſana, alio loculo incluſa ad Eccleſiam translata ſunt; immo iterum ſepulta; uti qui pietatis ductu tot

1664. ctu tot viarum moleſtias viſitando Salvatoris ſepulchro vivus impendiſſet, etiam fato functus honoris debiti ergo, ex aprico Cœmeterij in Eccleſiam, poſthuma peregrinatione digniùs ſepeliendus transferretur.

Tractatus cum Moſchis. Tractatûum interim Kraſnenſium ſucceſſus planè nutabat, dum Moſchi in condicendis pacis legibus in primo limine hæſitant; mox circumductis quas noſtris opponerent Copijs, velut pares viribus in tantùm paciſci velle oſtendunt, in quantum ex arbitrio & commodo ipſorum controverſia de pace dirimi poſſet. Chowanski ſiquidem Senior ad Boryſtenem Caſtris ex oppoſito conſederat; non ſolùm Copias pares ad reſiſtendum Lithuanis oſtentando velut exprobraret; verùm etiam fruſtraneam avulſorum requiſitionem monſtrans, quam Moſchi jam poſſeſsione & uſu firmatam, jam armorum potentiâ in præſens tuerentur. Aderat & Circaſcius Dux alter, infera parte ad eundem amnem ſe applicans; qui ambo ſe mutuò reſpiciendo brevi loci ſpatio diſtantes agebant; ut alter periclitanti Collegæ non ultra triduum vocatus ſubſidio eſſet. Interfluens amnis

Et mox armorum experimentũ ut dixi dirimebat adverſos cum Lithuanis, qui dum ab oppoſita ripa infenſi minitanteſq;, (nulla Induciarum fide publica ſancitarum reverentia) ſe conſpiciunt, utriq; in vim & armorum experimentum conſenſerant. Et provocare oſtendit Moſchus crebrioribus Turmis Caſtra Lithuanica prior ſuggreſſus, tum trans flumen pabulatum digreſſos Lithuanos, exquiſitis cruciatibus enecans, captivoſq; ad ignonimiam & opprobrium Gentis, velut deſignando limiti ſuo, palis infigens. Non tulêre diu barbaram inſultantis ſævitiem Li-

In hos Lithuani movent. thuani. ſiquidem Campeſtris Dux Pacius, jam acceſſu Cohortium Połubinſcij ex Moſchovia reducis auctus; jam Alariorum ſuorum quiete ac paſtu refectis equis vegetior, protinus ſuperato ea parte amne Cohortes in laceſſentes immittit, quæ ſub ſpecie Pabulatorum per adſita arva diſcurrentes, diſtinebant tantiſper hoſtem nihil metuentem; donec Dux primò pontonibus, aliquot Campeſtres machinas traijciens, mox ipſe cum reliquo Equitatu aleam periclitaturus adeſſet. In primam itaq; impreſsionem ordinatus præibat cum Legione Czerniawski Trib: dudum in eum hoſtem nobili audacia clarus, ac tunc ea dexteritate egit, ut ſub primum diluculum vel Excubitoribus inobſervatus, in ipſa prope hoſtium Caſtra illatis Signis inveheretur. Proin de ſucceſſu commonefactus Pacius, reliquas Cohortes in trajectum citus rapit, jamq; effuſum è Caſtris hoſtem cum præmiſsis Alarijs conſequitur. Chowanski etenim ſubitò ex ſtatione quâ ſuos ſtiterat Signa obvertens, adeo præcipitanter loco decedebat, ut non militari receſſu Legiones, aut in cuneos ad

1664. defenſionem conglobati Equites, pro more militiæ abirent; ſed raptim quò non oculi ſed pedes ducerent, fugaces abriperentur: paucis in conflictu, pluribus in receſſu deſideratis. Caſtra mox direpta, præda omnis in victualibus fuit: & ſic compluribus equis potiti Lithuani, nuperam jumentorum amiſſorum jacturam præſenti acquiſitione ſarciebant.

Caſtris potiti & victoria.

Hinc coalituræ Pacis turbamentum, urriq; Commiſſarijs violatas Inducias prætendentibus. Excuſabant noſtri laceſſitos ſe, & ideo tantùm flumine dirimente Moſchos conſtitiſſe; ut prouocarent, nullo reſpectu ſecuritatis tractatûum, tot ſuorum ab ijs in diram captivitatem abductos, ac truculenter excarnificatos. Vnde contumeliæ inſolentes Lithuani, privatas injurias publicis armis ultum ire æquum cenſuerint; experimentum facturi quid animi ijs ex adverſo conſiſtentibus eſſet? qui fervente per Moſchoviam bello, velut muſcæ intra parietinas delituiſſent, jam nunc ſub apricum ſolem evolantes, præpoſteram jactarent fortitudinem. Adhæc lege Induciarum cautum fuiſſe, utroſq; Exercitus proprijs limitibus donec pax univerſalis coit, continendos: infractam à Moſchis conditionem, eas oras indubitati juris Lithuanici ingreſsis, & ideo fortè loco iniquè uſurpato armis depulſos, ut appareret malæ fidei poſſeſſores eſſe qui fugerenr; legitimos Dominos qui locum tuerentur. Vnde ſuum ipſi errorem, aut rei militaris inſcitiam accuſent neceſſe, qui eò veniſſent, quò pervadere niſi violatis Inducijs non licuit: vel ſi in alieno ſolo hoſpitari placebat, reminiſci debuiſſe, reddenda unicuiq; quæ ſua ſunt, ac malè parta non niſi præſenti terrore & armorum potentiâ retinenda. Inſuper adſcribendum meliori cauſæ ſucceſſum, æquiſsimo Iudice Deo manifeſtum faciente, ac unde jus ſtabat ei victoriam dante, poſtquam bis mille Alarij, decuplo grandius agmen ſubita confuſione lymphatum penitus diſpuliſſent. Accuſabant contra Moſchi in uno ſolo capite violatarum Induciarum: quod fide publica ſecuros, & fiducia tractatûum fretos, Lithuani contra Ius Gentium, & juratæ ſecuritatis religionem, mala fide aggreſsi invaſerint. Vnde magno motu Commiſſarij illorum inſurgentes, ac de vi illata proteſtati, actum abrumpebant, inſtrumentis literarijs ex Cancellaria Caræa in id rei tranſmiſsis. Alterum quod promovendæ paci obicem poneret, erat divulgatus Ludovicæ Reginæ morbus, quem aliqui adeo auctum volebant, ut haud dubiè extrema allaturum famigerarent. Notum id Moſchis arcana Aulæ noſtræ ſolicitè veſtigantibus, quantùmq; ex indole & ingenio ſubjectum metirentur, tantùm ſublato eo rebus noſtris mutationis accedere arbitrati. Niſi Brzoſtovius falſum rumorem edocens, commonſtra-

Excuſant factum Lithuani ex rationibus.

Moſchi cõtra querũtur.

Etiã Morbus Reg: Ludoꝛ paci obeſt.

1664. monſtraret literarum folium, & id quidem manu Reginali ſubſcriptum, ac vivere imò meliùs habere malè informatos convinceret. Profundiùs quippe animo illorum hæſerat, humanis detracta Regina, vel mitiorem in condicenda Pace Caſimirum, vel ſaltem ſublata fortiorum conſiliorum officina, non uſq; Galliam mediationi Pacis Moſchoviticæ intrudendam, quæ nunc in rem & commodum Auſtriacæ Domus nullo modo inflecti queat; Gens per omnia incrementis Teutonicis adverſa. Imò verò, quanquam multum offenſi ex depulſo Chowanſcio Moſchi; tamen velut indolentes ſorti noſtræ, revelabant arcanum, ſtamen & artificium confuſæ Poloniæ Gallicis factionibus adſcribendo: qui in Aula Polona ſub ſpecie Ablegatorum, perniciosis Regnum involuerent moliminibus, præcipuè vetita Succeſſoris in Thronum promotione, quàm iſti triplici conſtabilitam machina vellent; nempe Gallorum ære, Suecorum ope, & Moſchovitici belli protractione. Ac tametſi ſparſus ab infeſtis rumor, ob antipathiam oppoſitorum, non difficilè falſi damnari poſſet; propè tamen verum extitiſſe evincit. Super publicas illorum temporum relationes, magnus ad credendum autor, Andreas Olſzowski Epiſcopus tunc Culmenſis & Regni Procancellarius; tam candore inter Præſules & integritate vitæ præcellens, quàm in miniſterio Aulæ prudentia, & in Patriam affectu, jure meritò Lilium inter ſpinas nominandus. Qui in ſua Candidati ſub Interregno poſt abdicationem Ioannis Caſimiri Cenſura, diſertè Principem Condæum notans, hæc formalia ſcribit. *Gallia fœdus cum Suecis Poloniæ infeſtum Fontenebli Anno 1661. ſanciuit, ſubſcribente Legato Todt & fidem obſtringente, autoraturos Suecos Gallico ære Exercitum millium xij. ; ad aſſerendam armis in Polonia Electionem, majore parte Senatus noſtri ſuffragante. Bono Poloniæ ſtetit, Pacta hæc poſtmodum Sueciæ Statibus rata non fuiſſe, ac perturbatis Polonicis Comitijs & Exercitu tumultuante, majorem illam partem Senatûs, tanquam Ajacem Auguſti, in ſpongiam incubuiſſe.* Neq; ſatisfuit ſemel rei vetitæ promotoribus inſanire, proſequitur ultra memoratus Autor ibidem. *Redijt iterum animus Galliæ, Suecos ad tuenda armis conſilia, & partes Aulæ Polonæ inuitandi; egitq; ſedulò negotium Legatus Gallicus Arnoldus Andilius de Pompone, Stokolmiæ. Anno 1666. præcõcepta abdicationis Caſimirianæ fiducia. Sed conſilio ejus Regni (prout ſcripto reſponſorio declarauerunt) non viſum, belli Polonici molem ſuſtinere iterum, ac Principes prætendentes cum toto Imperio in ſe concitare &c. Remq; pro Suecia ſummi periculi pleniſsimam fore, ſi præſentem Statum ſuum tranquillum, & omne robur Regni ad tuendam Amici Principis cauſam, in minorennitate iſta Regis, certiſsimis & infinitis turbis exponere audeant &c.* Addit in-

Ratio ſubiuncta quare?

Ac Moſchi arcana Aulæ pateſaciunt.

Galliæ cum Suecis pro Electione condictamina.

Sæpius iterata.

1664. dit insuper. *Metuendum à Poloniæ Ordinibus, ne accepta per Regis Abdicationem nouæ Electionis Libertate, contra expectationem Aulæ ea conentur, quæ non solùm eius intentioni, sed & personæ Regis periculosa esse possent.* Concluſum dehinc. *Non tamen alieno à re ipsa animo Sueciam esse, modò tutior via monstretur.* Ita perſepè, ut ex venenatis ac perimentibus antidota ſalubria elici mos; ſic nunc vel ipſo hoſte informante in arcana preſſuræ publicæ penetrare licuit. In eum finem vidimus in Aula Polona, Carolum Slipenbachium Sueeum, ad nova commentata & paradoxa natum, cum intimioribus Aulæ in arcano negotiari, donec tandem illum, vel bona ſors Poloniæ, vel ſua inquietudo, in Baltico mari eliſa nave, ſuo cum molimine demerſerit. Et quoniam ea conſilia ex æmulatione & certamine Domûum Gallicæ & Auſtriacæ provenirent, Gallis Poloniam (ut & alia Borealia Regna) obnoxiam ſibi facere annitentibus; Moſchis verò erga Imperium & Auſtriacos in conſtanti amicitia obfirmatis, eo animo protrahendi belli conſilia agitata fuêre, quominus & Polonis inter arma diſtractis faciliùs Gallica amicitia perſuaderi; & Moſchi ſub malleo diuturnioris hoſtilitatis habiti rebus ſuis ſatiùs, quàm improficuæ in Germanos officioſitati conſulere mallent. Vnde Gens quæ ex ſono nummum penſitare ſolet, non quicquam priùs aut potiùs proponere in tractatu Pacis ſuſtinuit, quàm an Poloni oppreſſo à Turca Cæſari opitulari vellent? quod ubi Pactorum cum Turcis ſtabilitorum reſpectu pernegatum, cavillabantur noſtrum in juvanda re Chriſtiana teporem, explicantes factionum externarum arcana, per quæ illi ſueta volubilitate non ſolùm propioribus Polonis agant oneroſi, verùm etiam ſub extremos Septemtrionis receſſus ſubmotam Moſchuam, turbulentis molitionibus haud quietam agere permittant. Neq; minus incuſabant Commiſſariorum Polonorum paucitatem, ſpecificè Cancellarij Prazmovij præſentiam requirentes, quo ſine uti Miniſtro ſtatus, ac arcanorum mentis Regiæ interprete, haud finiri poſſe negotium affirmantes. Ad ea reſponſum. (Omiſſa de factionibus externis præcuſtoditione, tanquam ea ex offenſo animo proveniret) Cancellarium diſtineri gravioribus Eccleſiæ curis, habereq; pro majori ſub latere Regis tractanda. Plures Commiſſarios, ſi modò ad Pacem Moſchi inclinant mox adfuturos, etiam ſi non venirent, nullam inde tractatui moram aut obicem; appoſita in Lege clauſula, abſentiâ aliquorum non obſtante.

In quem ſumfacilè conjectura.

Ultima ria reſolutio Moſchis.

In ancipiti eventu negotij poſito, dum & Poloni in continuando tractatu minùs feſtinantes ſe monſtrant ne rogare oſtenderent: abrupta tantiſper colloquia fuêre; etſi rurſus ex mutuo partium conſenſu, ad diem xx. Auguſti limitato Actu, redituri Patratores cæpti

cæpti operis loco decederent. Vnde & Caſimirus Rex non diutius Vilnæ moratus, cui non exigua angoris interni cauſa fuit, tam ex bello nullo fructu geſto, quàm ex Pace infecta ad Penates Regios revertiſſe. Venerat is citatis itineribus Varſaviam die xv. Iulij, ex reſtituta Reginæ ſanitate lætior (ſi modò & bonam mentem Superi tribuiſſent) & plurium è Senatu repertâ hic frequentiâ erectus admodum. Magni namq; momenti negotia in deliberationem veniebant, quæ ſi ex longinquo arceſſendus Senatus eſſet, tardè nimis expediri conſilia, tardiùs auxilia, tam Lithuanis adverſùm irritatos nupera clade Moſchos, quàm & in Vkraynam contra Rebelles ſubmitterẽtur. Sed fortè per eos dies ſolenni Actu conſecrandi ad Infulas Luceorienſes Prazmovij interveniente, pleriq; è ſacro Ordine Præſules Varſauiam convenerant. Ex his Primas, cum Ioanne Procancellario Regni Leſzczynij Fratres, Trzebicki Cracovieñ; Czartoryski Cujavieñ; Wierzbowski Poznanieñ; Lezynski Chełmenſis Antiſtites, cum alijs ſtatus Sæcularis Senatoribus. His ſumma deliberationis in Sen: Con: propoſita. *De modo continendi in Vkrayna Exercitus, cui ſeſqui annorum ſtipendia manerent retenta? Reſiduum debiti per Cõmiſſionem Leopoliensẽ aſſecurati unde ſolueretur? quod Palatinatus Regni exoluere detrectarẽt? Monetæ precium quomodo ad debitũ valorem per Provincias reducendum? Solidis Boratinij tota Vkrayna excluſis, unde miles rerum ventalium coëmptione graveretur? Tum quomodo ſupplendæ Peditum Legiones.* Adjecta appendix de providendo ſumptu pro neceſſarijs Armamentarij, pro donarijs Scytharum, pro ſalario pacem tractantibus, alijſq; in ordine ad bellum gerendum impenſis: inſuper de tempore Generalium Comitiorum indicendorum, ut potè ſine quibus nec pax ritè iniri, nec bellum commodè geri poſſet: quanquam erant & alia occurrentium negotiorum capita. nimirum iterum Varſaviam veniente Legato Cæſaris Bohemiæ Cancellario, ad petenda contra Turcam armorum ſubſidia: quæ dum vel maximè deflagrante bello Moſchovitico ſubmitti nequirent, & priùs bello Germania quàm Polonia ſe exolveret, dirempta initis Fœderibus cum Turca hoſtilitate, ſatis habuit Ablegatus, de exemptione Opoliæ ac Ratiboriæ cum Regina Ludovica tranſegiſſe, quæ tantiſper mariti Regis abſentiam cauſata fiduciariæ poſſeſsioni incumbebat tenaciter, haud facilè pignus dimiſſura, niſi priùs de toto & in ſolidum mutuum repræſentaretur. Reperio in manuſcriptis ejus temporis memorialibus. Præſules Poloniæ laudabili pro Patria zelo ſuccenſos, dum Ærarium publicum exhauſtum, ſuppeditare neruum bello ſufficienter nequit, & Contributiones in Comitijs ſancitæ ſerò nimis in uſum armorum exiguntur; alios ex privato

1664.

Caſimirus Varſaviam venit.

Capita deliberationis in Sen: Con.

Ablegatus Cæſaris pro ſubmittendis auxilijs.

Liberalitas Antiſtitũ Poloniæ.

1664. privato peculio ſummis notabilibus Regi gratificatos; alios quibus in arcto largiendi vis, Exactionem xx. Agrariarum ex bonis Eccleſiæ ultro & benevolè conceſiſſe, publicæ indigentiæ protinus ſuccurrendo. hæc de verbo quid de facto præſtiterint comperiſſe non contigit.

Subinde meditamentis belli feſſos, aliquantùm fauſtus ſolabatur Nuntius, coalitæ inter Turcam ac Cæſarem Leopoldum Pacis, novellam ferens. Inſurgebant per momenta Germaniæ vires & animi, adeò ut Comes Montecuculli Dux Auſtriacus, apud Iaurinum (veteribus Rabba, nunc Dziavarinum, vocatur) rareſcentibus Turcarum Copijs in omnem caſum loco munitiſsimo ac ſequiorem prælij fortunam erecturo fiſus, acie inſtructa conflixerit; ac diu ambigua ſorte depugnans, demum Turcas campo pepulit, & abſcedentibus loco recognitionem victoriæ extorſit. Idem alia parte Hungariæ Generalis Zuza, recepta Nitria præſtitit, eoq; demum ex mutuo conſenſu partium res deductæ ſunt, uti reſtincto belli æſtu, utriq; ad componendam Pacem inclinarent. Quæ demum coaluit Simone de Ragenau ex parte Leopoldi Cæſaris Commiſſario; Achmete Baſſa Wezyro Turca conciliatoribus. ea conditionum ſerie. *Tranſylvanis maneat inpoſterum Ius Principem eligendi; nunc interceptæ à Cæſare Arces, in Tranſylvania pro tempore exiſtenti Principi reſtituantur. Simul & Exercitus omnes Provincia excedant. Duo Comitatus in Tranſylvania pro Cæſare manebunt, exempti ab oneribus & Tributis; munietq; Arces ſuas Cæſar, non tamen formales Exercitus in Provinciam inducere licebit. Filius Racocij, aut aliquis ex proximioribus, ne infeſtet Tranſylvanos cum Germanicis auxilijs; quod ſimiliter præſtabunt bona fide Turcæ. Turbatores mutuæ Pacis ab utriq; arceantur. Fortalitium prope Canizam ſolo æquabitur. Amneſtia utriuſq; partis ſequacibus conceditur. Vltra vagum amnem Cæſari Fortalitium erigere fas eſto. Hoſtilitates & excurſiones ſeverè cohibeantur. Hæc Pax ad Annos xx. durabit. Cæſar mittet Turcæ donarium valoris ducentorum quinquaginta mil: ducatorum; Turca viciſſim æquivalens remittet. Inſtrumenta Pacis Latinè ac Turcicè deſcripta, ac Sigillo Imperatorum roborata, permutabuntur. Actum in Caſtris apud Kovum Hungariæ die x. Auguſti* 1664. Inſuper habita in arcano peculiaris conditio, uti Tranſylvani quotannis ſolverent Turcæ tributum quingentorum millium tal: miſerando eius Provinciæ ſtatu, ac eò depreſſa conditione; ut in quoſcunq; belligerante Turca, Tranſylvani Barbaro Feudatarij auxiliari contra Chriſtianos cogantur, tamdiu jugum toleraturi duriſsimum, donec unus Paſtor fiat, & unum Ovile.

Cæſareanorum cum Turcis conflictus.

Conditiones Pacis cum Turca

Vkrayna rurſus calamum rapit, funeſta ſemper ut vincendi; ita ſcriben di

ſcribendi materies, ac velut deſtinatum humano cruori fundendo macellum; in quo effuſus ſangnis ſi vocem habere poſſet, plura fortè mortalium Capita bello hic cæſa adnumeraret, quàm olim Cæſar aut Pompejus in funeralibus elogijs ſibi adſcripſêre. Ad pacandam itaq; eam omni obſtructa per clementiam, aut modos civiles via, dum nec Coſaci imbibitam ſemel perfidiam exuere, nec Poloni florentiſſimam Regni appendicem deſerere vellent ad arma iterum recurrere opus fuit. Quippe dum Rex Vilnam digreditur, ſimul Potocio Palatino Cracovienſi Generali Exercituum Duce, ob imbecillam valetudinem abeunte, Caſimirus Stephanum Czarnecium Ruſſiæ Palatinum, in militari imperio Vicarium abſenti deſignaverat; etiam ne is ſine Collega ageret, ad obeundas imperij vices, Illuſtr: Vexilliferum Regni Sobieſcium ſubſtituendo. Hinc prima extra dilationes poſiti Czarnecij cura, gliſcentem inter Coſacorum Primores ſupprimere diſcordiam; quâ pullulante infrenabilis omnino videbatur temeritas plebis, eo jam provecta ut ſi legitimum Principem eumq; Regem armatum planè contempſerat, quomodo verò morigeram ſe ad accipienda imperia, militiæ Ducibus exhiberet? Attigi ſupra miſſum à Rege Tereram Ducem Coſacorum in citeriorem Vkraynam, ſopiendis in plebe turbis, ac diſponendis, dum ad ſubſiſtendum remeat Exercitus, Hybernorum ſtativis. Sed non ea Teteræ apud populares autoritas, qui dudum minus acceptus Coſacis, etiam nunc recenti Wyhovij cæde tanquam procurata, vetera odia novis offenſionibus cumulaverat, fidis ſocijs, & amicorum adhærentium turba deſtitutus, in inſtructas planè præcipitabatur inſidias, quas ægre evadens, incluſerat ſe Czechrinij, ubi à Serdeniatis & Deynekis (ſic appellatis à nomine Tribunorum ſuorum Legionibus) obſeſſus eſt. & niſi opportunè Exercitus Vkraynam introijſſet, depuliſſetq; in obſidium tendentia Brzuchowieccij agmina, propè deſperata ſalute Tetera ſuccumbebat. Interea Czarniecius, animo quàm viribus erectior, dum omnes belli gerendi rationes expendit, Exercitus ſui robur attritum penitus & enerve advertens, huc conſilijs impiger Dux flexit, uti æſtatis tempus bello oportunum haud elabi ſinens, in pacanda Provincia notabili merito Reipubl: operam adprobaret. Locatis itaq; Legionibus Peditum, Pawołociæ, ac Białocerkwæ, Equitatu verò apud Corſunum metari juſſo; ipſe tredecim non niſi locorum peritis comitatus, pernicibus equis in Crimæam ad Scythas ivit, ſubſidia edomandæ Vkraynæ accepturus: quæ dum comparare nequit ob abſentiam Hani, ad infeſtandam Hungariam tunc à Turca evocati, in latus deflectens ad Budziacenſes vertit, qui ea parte adverſus Coſacorum excurſiones in campis Beſſara-

1664.

Pacanda Vkraynæ modi.

Et militare imperiū Czarniecio cōmittitur

Tetera obſidetur Czechrynij.

Czarniecius pro auxilijs Scythas appellat.

1664. Beſſarabiæ, (Codemum appellitant) frequenti admodum agmine paſcentes equos excubabant. Non ingratus Barbaris tanti Ducis adventus, nec irrita requiſitio fuit: decernentibus protinus auxilio adeſſe cum geminis Soltanis, & xx. millibus ſuorum: adjungente ſe Sepharkazio Aga, viro apud Gentem ex conſiliorum uſu æſtimato, nec ultra tridui moram iter differrentibus. Quippe Scythæ incunctanter ad bella prodeunt; non armatura diſtinet, non obſoniorum cura procinctum iturientium moratur, aut impertinentis ſupellectilis vectura impedit: ubi præconum voce Atłan (ad equos) inſonat, inſternuntur quadrupedes, aptantur ſarcinæ, colliguntur vaſa; ubi alteram procedendi teſſeram per Præfectos agminum pulſata ſiſtra ærea, ſeu tympanulas Equeſtres obaudiunt, ad horum ſonitum mox inſcenſis equis, paratum agmen in viam ſe accingit, & eadem promptitudine ac celeritate præeuntes Duces conſequitur, quo obſequio in expeditionem vocantibus paruit.

Et obinæ.

Scytharũ ad bella prodeundi celeritas.

Redibat ad ſuos compos auxiliorum Czarniecius, validum poſt ſe Scytharum agmen trahens; cum Sierko accerrimus ille rebellionis Choragus, (perſuaſus Palatinum in Poloniam divertiſſe, nec niſi ſerò rediturum) cum bis mille ſelectis Zaporozcenſium ad Caſtra tendentibus noſtris inſidias ſtruit. Fortè Machovius cum octo Cohortibus, quominus reditum Palatini operiretur, Horodyſcza oppidum introgreſſus erat, clauſis portis ſecurior; etiam plebe ſtudium in partes quominus falleret ſimulante: cum ſub primum diluculum virgultis per diem occultati Rebelles adſunt, & vim inclamantes, ac ſubjecto ad terrorem Suburbijs igne effringere ſudetum valli moliuntur; uti communicata flamma oppidum corripiens, neceſſariam defenſionem Polonis impediret: præſertim cum Incolæ mutato repente animo non ampliùs amici, noſtros intro hoſtiliter impeterent. Haud procùl hinc bona Machovij ſorte Bidzinius conſtiterat, cum reduce ex Moſchoviæ oris agmine, qui tam ex fulgore per noctem ardentis ignis, quàm pabulatorum relatione conſeri in proximo manum edoctus, huc citus Cohortes rapit, & quamvis ſuſtineret vim tantiſper Machovius, amiſſo tamen Olizaro Cohortis unius Præfecto, ac aliquot commilitonibus, à fronte ſimul & tergo petebatur; niſi inſperato ſubſidio ingruentium conturbati Coſaci, plurium è ſuis cæde, ac ſignorum amiſsione, in fugam ſe abriperent Sierkone ipſo ægre ferrum à jugulo retundente, & jam planè in capturam apprehenſo, niſi is relicto equo proprijs pedibus in paluſtria ſe ſubduxerit.

Sierconis cum Machovio Horodyſczij pugna.

Quæ noſtri ſuperarent.

In triduo mox reveniebat Palatinus, cui Bidzinius cum Machovio obviam dati & ſalutantes, operæ teſtimonium monſtrabant, rapta ex Coſacis ſigna captivoſq; exhibendo. Demirari ſane nequibat

1664. quibat Palatinus Bidzinij ex Moſchoviæ oris reditum; facta de eo ſæpius mentione aſſeverans, fieri neutiquam poſſe, ut ei in hoc ſæculo fraternum ſalve diceret; nec amplius utroſq; niſi in cælo viſuros: cùm inſperatò reducem videt, ac geminam fauſti reditûs ac victoriæ palmam viro forti gratulatur. Is ut ſubnectam, à Połubinſcio ſejunctus apud Lubeczum, inter media Coſacorum tela & undiq; impetentis plebis furorem continuatis conflictibus; attritas ex ꝑis hoſtium Cohortes reduxit: præcipuo in trajectu Sednæ Fl: diſcrimine, ubi tergum abeuntium ſuorum tutando, cum octoginta non amplius commilitonibus, trium millium Coſacorum impetum fortiſsimè ſuſtinuit, exantlato demum periculo antegreſſum agmen conſecutus.

Aderant Czarnecio in conſortium bellici operis inſignes Regni Proceres; præter Ill: Vexilliferum Regni Collegam Imperij militaris; Stanislaus Jabłonowski ad Palatinam Ruſsiæ dignitatem in brevi provectus, ubi Rex Czarniecio Kijovienſem poſt Wyhovium contuliſſet, Hieronymus Sieniawski Leopolienſis, Samuel Leſzczynski Caſtrorum Regni Præfectus, Stanislaus Koniecpolski Dolinenſis, Potocij Halicienſis & Kraſnoſtavienſis Præfecti; tum alij &c. Ex Coſacorum Tribunis anteibat conſtanti fide Hanenko vetus militandi, Lesnicki, Hulanicki, Sawa, Hohul; & ſi is res novas moliri deprehenſus, dum Filij quos ſtudijs imbuendos Leopolim miſerat, ſequeſtro detinentur, emendavit in melius, fidem ſemel datam conſtanter in extrema tuitus. Cùmq; Palatinus plus celeritati in agendo ſuo more, quàm cunctationi, aut pigræ prudentiæ artibus tribueret; vocati ad conſilium Præfecti, cõvenêre in eo omnes, uti obſeſſo Czechrynij Teteræ quantocyus ſuccurreretur: quem arcto obſidio ſtringens Brzuchowiecki, ob invaleſcentem famem prope deditium in manibus tenebat ſimul tam ad plebem, quàm ad Coſacos rurſus invitatoriæ dimittebantur, promiſſa utriſq; Regio nomine pignorum penatiumq; ſecuritate, ſi modò abdicatis turbis ad vetus legitimæ poteſtatis obſequium redirent. quippe conducibile viſum, ſeverioribus mandatis haud irritare obfirmatos, imò velut palpo indito manſuetiores reddere, os ſublinendo. Sed laterem lavat, quiſquis conſtantiam fidei in Rutheno requirit, & faciliùs aquam igni ſociaveris, quàm ſervilibus ingenijs candorem & rectitudinem inſtilles: addictam ideo tantùm mentem teſtantur, quominus efficaciùs fallant; amicos jurant, ut hoſtiliter noceant; & qui heri ſtipulata manu benevolentiam ſpopondêre, jam in alios mutati hodie, ex ſocijs in hoſtes transformantur. Gnarus apprimè ingeniorum Czarnecius, primis tamen initijs circumdare clementiæ famam voluit,

Proceres Regni eo bello præſentes.

Etiam Coſacorum Tribuni.

Edicta ineꝛata ad Coſacos.

1664. luit, non parùm ad tranquillandas turbas expedire credens, ſi Cleri Græco-Ruſsi indemnitas & protectio, ante omnia ſanciretur: palamq; eſſet arma Polona in rebellionem, non Religionem ſtringi, uti præſtarent amicos, invitabat vel maximè in abducendum à turbis populum intenti: cùm nullum continendæ in officio multitudinis capiſtrum ſit, efficatiùs Religione. Obtinebat tunc ex Collatione Regia ſedem Metropolitanam Kijoviæ, Anaſtaſius Tokolski, vir natu grandior; ſed qui ſuſpectus nuper cum Wyhovio miſcuiſſe conſilia, jam nunc hinc inde commigrans, quò neutralem monſtraret, revera ut minùs ſincerum nobis, ſic nec apertum Moſchis amicum præferebat; ignaruſq; fortè de reditu Czarnecij Wasielkoviam diverterat, cum redditis ſubinde Regijs literis, ad conſilium Ducum invitatur: eſſe qvippe præter Regis mandata quæ ubi veniret oretenus proponerentur: is paulum tergiverſatus, demum ivit, acceptus honorificè, ſalvâ omni ſtatûs & characteris ſpiritualis reverentiâ. Accitus ſimul è clauſtro Trechtymirovienſi Gieſcon ille, ſeu Georgius Chmielmiczenko, quem ſub cucullo nocivis factionibus Vkraynam diſtrahere fama publica vulgabat. His ubi omnimoda Sacrorum ſuorum ſecuritas, & ritûs Græci Eccleſiarum protectio, Regis nomine promitteretur: gratias quidem illi agebant; verùm cùm Metropolita nihil ad rem pacis, in hoſtem pronior præſtare vellet, ſacris ſe obſtrictum ad temporalia impertinenter cogi excuſans; utriſque obnuntiata fuit ad dicendam coram Rege cauſam, in Poloniam commeandi neceſsitas. Nec quidquam ultra tentatum, præter honeſtam detentionem, & adſtites qui deducerent datos, qui demum fremente licet tota Vkrayna, Varſaviæ ad diem xxvij. Iulij comparuêre; ut remiſsi ſequentis anni pagina monſtrabit.

Cleri Roxolani aſſecuratio.

Tokolſcij & Gieſconis ad Regẽ remiſſio

Sic expurgato (ut rebamur) ſeditionis fonte, ad opera belli haud ſegniter decurſum eſt, motis ſubinde Copijs in reſcidendum Czechrinij obſidium: ubi Teteram oppido clauſum, cum Legione pedeſtri, ac bis mille Coſacis in fide perſtantibus, poſt aliquot formales impreſsiones, prope in deditionem cogebat Brzuchowiecki, ex famâ publica inhians theſauris, quos ille jam ſpe devorabat intentiſsimus potiundi; ſimul & Polonis exciſarum trans Boriſt: Colonicarum talionem redditurus. Aſt certior factus Czarnecium, & quidem recentibus Scytharum auxilijs erectum liberando Czechrinio adventare, fama & venientis metu exterritus, adeo properanter cæptum obſidium deſeruit: ut xiij. minoris modi machinas, ut erant ad ejaculandum inſtructæ, in ſuggeſtu terreo reliquerit. Elapſam feram dolenter ferente Czarnecio, præſertim cùm liqueret perfidiâ transfu-

Obſidium Czechrinij ſolutum.

transfugarum commonefactum, abſceſſum maturaviſſe. Is tamen recepto pauliſper animo, ac evocatis in ſubſidium Moſchis omnem fugæ ſpeciem abdicans, ordinato receſſu ad Boryſtenem ſe recipiebat; firmiora impoſitis præſidijs poſt tergum oppida communiens, quo velut objectâ offâ ſequaces moraretur. 1664.

Qui dum bifurcato apud Siekierno ſinu metatur, recentiaq; à Boryſthene ſubſidia recipit, etiam Kijovia omni bellico inſtrumento in defenſionem erigebatur: Strazbuchus etenim rei tormentariæ apud Moſchos Præfectus, cum quatuor mill: ſuorum, in ferendam eidem terreſtri itinere opem, accelerabat: ut vel junctus ſocijs in tentandam aleam vires abeuntium augeret, vel ſi ambo impares Polonis eſſent, ſaltem tutiori regreſſu unâ abſcederent. Sed iſtos haud paſſa jungi Ducum celeritas. quippe comperto venientis itinere Strazbuchi, in occurſum Ill: Vexillifer Regni deproperavit, continuato per noctem occurſu, & incognitâ militi quorſum duceretur viâ: donec ſub primum diluculum rareſcentibus tenebris apud Kopyſniki pagum, ſimul hoſtis & victoriæ materia, ſub oculis & manibus eſſet. Etiam Moſchi inſomnem noctem eam egerant, jam undiq; in circumfuſos Polonos arrecti, jam compaginandæ carragini, quominus de die per medios hoſtes eluctarentur attendentes. Ibat enimverò pedeſtri agmine ſub tegumento Carraginis: cum effuſa tam à tergo quàm fronte Equeſtri procella carrago ſiſtitur; ac ad proximum trajectum perruptis curruum ordinibus, memorabili clade hoſtis profligatur. Vix cruento noſtris certamine, & duorum tantùm Commilitonum jacturâ, cùm ex Moſchis rarus quiſq; evaſiſſet. Strazbuchus ipſe pertinaci in curſum equo vitam debuit aufugiens, Signis militaribus aliaque Martia ſupellectili mulctatus: quatuor rebellium Tribuni capti; inter quos Gracilis ille ſive Nuzny, Konotopenſis Legionis Ductor, qui in Cancellarium Regni Prazmovium apud Nowomłynie inſperatò irruens, haud multùm à capiendo Miniſtro ſtatûs aberat; niſi per tenebras ſe opportunè ſubduceret, argenteam menſæ ſupellectilem lytrum pro ſe prædoni reliquendo. Is Nuzny dum Iudicij militaris ſententiâ, ad pœnam laquei ob perduellionem damnatur, haud executioni intercedens, genus pænæ in aliud mutari humiliter poſcebat; nempe pro patibularia furca palo infigendus: ſubinde poſtulati reddens rationem: cùm eodem fati genere Pater ſuus, ob ſimile demeritum finiviſſet. Haud ægrè permiſſa optio petenti, ac conceſſum; ut qui ferale lignum aſpicere dedignaretur, jam præacutum ſtipitem viſceribus infigi ex merito ſentiret.

Brzuchowieckĩ caſtra ad Boryſt: Fl. conſiſtit.

Cum Strazbucho congreſſus.

Qui irruptâ Carragine fugatur.

Tribuni Coſacorũ quatuor Capti.

Vbi verò Brzuchowieccij Caſtra jam ſubmiſsis prono amne auxilijs

1664. xilijs ſat communita, & propè inexpugnabilia fidi explorates referunt, ne nullo ſucceſſu tentatum opus tam Ducum, quàm Exercitûs famam in primo limine attereret, in Buzynum ac Steblow oppida vis converſa fuit; Præmiſſo Buzynum Lublinenſe Præfecto Niezabytovio, additiſq; duabus Legionibus, cum quibus municipes vel ad deditionem cogeret, vel ſi refractarijs perſuaderi modeſtia non poſſet, extrema in perviçaces tentarentur. Propugnabat Sierko de quo ſupra retuli, cui cùm Hanenko noſter pro veteri familiaritate perſuaderet à partibus ſeceſſum, plus gloriæ viro forti oſtendens, ſi æquiorem cauſam imò & fructuſiorem apud Regem Polonum militiam ſequeretur, qui tranſgreſſum inſigni præmio procul dubio cohoneſtaturus eſſet; non aliud niſi pernicioſam cum Scythis ſocietatem exprobratam retulit, quâ ſe Poloni nimiſquam commaculaſſent, Ethnicis juncti, ut Chriſtianis nocerent. Vnde abrupto colloquio in valla adornata impreſsio fuit, jam portam revellentibus Deſultorijs, & turmatim in valla Polonis enitentibus. Adverſus quæ intrepidus Sierko vim objecit, ut bina in noſtros eruptione inſtituta, peracri conflictu ad valla decertaverit. Cæſi hic complures, inter alios Georgius Czarnecki Deſultoriorum Centurio, ac Mysliſzewski Cohortis Præf: cum pluribus commilitionibus fauciati. Etiam Paulus Wolski Rzęmyk dictus, inſignis è Regia Cohorte Commilito, recens è Taurica redux, quò jam bis ad Hanum Crimenſem miſſus Internuncius, in perferendis commiſsis, egregiam adprobaverat operam. Mutavit mox Sierko ſtylum iterandi colloquij, Copiam poſtulans, ſed aſtutè conditiones dedendi offerens, aut mutans, ut tempus interea lucrifaceret: adventum ſcilicet Junioris Sierkonis præſtolando, quem cum bis mille Serdeniatis ſubſidio venturum ſperabat.

Buzynum oppugnatũ

Sierko pro pugnat.

Et retinet non ſine ea-Etum noſtrorum.

Meliori ſucceſſu Steblovia tentata eſt: oblata primum per tubicinem Incolis venia, ſi reſumpta obedientia intromittendo Regis præſidio portas aperiunt, nec ultra meridiem deditionem morarentur. Ad quæ dum tergiverſantur, indignatus contemni lenitatem Dux, impreſsionem ſuis indicit, etiam Scythis ad invadendum fervidis, & ſpe prædæ in primum aſſultum ſe adjungentibus. Cùm repentè ardet Delubrum oppidi, unde illi pulverem pyrium dum in uſum recipiunt, incuſtoditè habito igne, pulveres & Delubrum ſuccenderant. Serò itaq; miſericordiam jam effractis portis implorantes, in prædam dati ſunt, ægrè à Scythis impetrante Czarniecio, differendam in craſtinum direptionem, ne miles Polonus ſimul irruens ferro exſcinderet captivos, quos illi in ſpolia deſtinarent. Promiſitq; exploſione tormenti ſignum daturum, ubi ſuos aliquantum ab oppido

Steblovia ſubacta.

oppido removiſſet. Et promiſſo ſtetit, fragore machinarum obnuntians: niſi Nohaycij gens lupinæ feritatis, in noctem haud ſecedentes, ad obauditum fragorem tormenti prævenirent ſocios, ac donec Budziacenſes tum alij adveniunt potiorem prædæ partem deliberint diſtraxerintq;. Hinc furibundi Barbari, ultra verba ibant indignando, uti Czarnecio adverſùm minas præſentem vim oponere neceſſum fuerit: ac donec tumultus miteſcit reſponderet Scythis. *Præſtitum à ſe quod promiſiſſet manubias ſocijs conceſſas Polonorum fortitudine comparatas, & ſignum rapiendis datum. Etiam ſibi, non partiendæ inter illos prædæ, ſed ordinandæ aciei, & belli gerendi officium incumbere.*

1664. *Et direptione oppidi mulctata.*

Aſt ea plaga noſtris obhærere non licuit diu, jam Brzuchowiecio trans flumen ſubducto, jam invaleſcente paſsim alimentorum penuria, quam frequenter iſthac commeantes Exercitus, etiam de induſtria ſubducentes Moſchi, conſumpſiſſent. Vnde Palatinus ſaltem ea parte ſubmotum hoſtem pretium operæ reputans, in neceſſarium reſpirium militem diſpertiri decrevit, alia mox bellandi methodo in contumacem plebem uſurus. Innumera oppida portas claudebant, plures agminum Duces rebellem plebem diverſis locis in ſeditionem concitabant; ut planè Polonis in Hydram bellum eſſet, cui uno eliſo capite, centena mox imò & plura excreſcerent. Ex oppidis potiora quæ portas clauderent erant; Humanium, Buki, Liſianka, Monaſteryſzcza, Alexandrowká, &c. aliaq; non pauca: ſed præcipuè Stawiſzcza, exciſo Præſidio noſtro, omnem ſpem in contumaci reſiſtentia collocâſſe videbantur. Ad hæc diverſi conſurgebant undiq; ſeditionis Choragi, qui turbulentam plebem paſsim in Lachos concirent, & in ſtativis militaribus, Cohortes vi ſeu dolo infeſtarent. Huc ergo curas vertit Czarnecius, ac primò Corſunij ac Białocerkwæ fortalitia, ad regulam poliorceticæ artis erigere inſtitit, uti receptaculum in omnem caſum militi Polono conderet, accerſitis in id rei Architectonices militaris peritis; locum ac munitiones circumponendas deſignante, Ioanne Sapieha Campeſtri Regni Notario. Ipſe mox Palatinus more ſuo in actu vividior, Stawiſzcza verſùs Legiones ducit, juſta in rebelles indignatione: ut qui Legionem Peditum iſthac in præſidium locatam excidiſſent, tum ijdem Illeneios Feudum Palatini haud longè ſitum, hoſtiliter omni præda abacta diripuiſſent. Sed priùs Teteram Humanium deſtinat, addito cum xv. Signis Equeſtribus Martino Zamoyski Subdapifero tunc Leopolienſe, (qui poſt ad ſummam Ærarij Præfecturam aſcendet) ſed iſti dum ſuaſu magis quàm vi admota agere poſſunt; in loco totâ Vkraynâ Munitionibus famoſum, profecêre nihil: primò præ-

Palatinus retro Copias movet.

Inter Rebellia undiq; Oppida.

Ac primo Humanium tentatur aſt irrito ſucceſſu.

1664. dijs ubi ſubſtiterant, mox & colloquio exacti, Czechriniam irrito eventu rediêre. Neq; melior ſors Kaniovienſis Præfecti Czarniecij, nepotis ex Fratre Palatini: is ad ſubigendam Liſiankam à Patruo miſſus, ſpartam longè arduam ſuſceperat; etſi tantum gloriæ quantum periculi continentem. Caput rebellium Hładki è Mirhorodenſi Legione Centurio, Tribunum ſe vocans vij. millia ſeditioſæ plebis coadunârat, cujus partem præſidio oppidi impoſitam, alteram foſſâ & vallo adjunctis Caſtris continebat. In hunc Kaniovienſis dum cum levioribus Cohortibus movet, ac pro ingenita Heroum febri, etiam ætatis fervore abreptus, aliquot ſubitarijs conflictibus in hoſtem pugnat, in valla Caſtrorum fervidiùs invectus, globo infra humerum letaliter traijcitur; & ſi poſt peritiæ Medentium vitam debuerit.

Simili ſors Kaniovienſis Præfecti

Additogrã di vulnere

Meliùs ſucceſsit Dapifero Bracławienſi Piaſoczynio, qui Paulencum cum Nyzynenſi ac Przyłucenſi Legionibus de nocte aggreſſus, ultra bis mille ſeditioſæ plebis inſperatò oppreſsit, Ducemq; captum cum aliquot anteſignanis Palatino exhibuit, mox exemplari pœna mulctandos. Etiam Chłopicki Centurio dudum in Vkraynа cum ſubſidiarijs turmis moratus, Hohulo cum Legione Coſacorum ſe adjungente, omnes Boryſthenis ea parte trajectus, oppreſsis mira celeritate hoſtibus repurgârat; conducibili ad trajectum Fluminis opere, quem apparare Czarnecius videbatur, deſtinato ad tranandum in ulteriorem Vkraynam Iabłonovio, tam ob rationes acquirendi commeatus, quàm perurgentibus Scythis; qui faciliores ea parte manubias judicarent. Similia per Poleſiam ac Barenſem tractum agitata, quominus circumſonantibus undiq; armis, calcitranti populo frænum inderetur.

Paulenko Dux Rebellium captus.

In eo belli fervore, merebantur præ alijs Stawiſzcza juſtum exerendæ ſeveritatis exemplum, contumaciter in perfidia obdurata, & magis admiſsi facinoris reatum, quàm pœnitentiam oſtendentia. Quippe commeantibus noſtris tam è Polonia in Vkraynam, quàm Vkraynâ retro, in eo oppido reclinatorium, hîc ægris receptus, & onerum Armamentarij depoſitio erat: obſtrictis Sacramento in conſtantem fidem oppidanis, & indita in præſidium loci Pedeſtri Legione. Aſt non diu perduravit Incolis obſequium; qui Rege Boryſthenem tranſgreſſo, velut ab infecto âére communicata lue, contra datam fidem prævaricantes, contempta impoſiti Præſidij paucitate, incautos oppreſſerant, ægros exciderant, depoſitoria commeatuum qui hîc deportati diſtraxerant; imò palam conjuratione facta, occluſiſq; portis Polonis ſe hoſtes haud diſsimulanter profitebantur. Diu erat, ut alter Dux ſtimulos ad reſipiſcendum obſeſ-

Stawiſczorum præterita contumacia

Et amorigera temeritas.

ſis ſug-

1664. ſis ſuggereret, ſaniori menti & Reipubl: reddendis. Palatinus quidem inſuetus blandiri, ac qui rigore diſciplinæ obſequium ſtabilitum vellet: aſt Illuſtr: Vexillifer, pro indolis manſuetudine perſubmiſſos, non aliter exitio & ruinæ oppidi conſulendum ſuadebat, niſi quantocyus miſsis ad Regem de ultronea deditione Nuncijs, ſimul liberatorio Diplomate à noxa abſolverentur: ipſe interim donec ab Aula reſponſum prodit, vadem ſe ſecuritatis eorum interponebat. Verùm pertinaces obduruerant, tam ſuaſu quàm minis immoti, & feram magis quàm immeritam in ſe nemeſim provocantes. Czarnecius itaq; cui bellum gerere non trahere expediret, Scytharum in Tauricam abiturorum ualidum agmen præmittit, qui vicinis mappalibus ferro igneq; evaſtatis oſtenderent, quid metuendum Stawiſzczijs, quid ſperandum foret? mox ipſe coacto agmine ad diem xjv. Iulij in pertinacis Coloniæ obſidium progreditur, identidem ad eliciendum fervorem dictitans; non ſe priùs cibum aut ſomnum capturum, donec nidum illum inſolentiæ, ac ſpeluncam latronum recluſiſſet. Nec mitior effectu quàm affectu fuit, à tribus locis protinus formalem impreſsionem diſponendo. Aſt dum ſuggeſtus pro tormentis excitantur, cum ecce turmatim ab oppido prorumpunt Coſaci, ac in opus facientes involant, Peditem ac foſſores diſpellunt, ſemi-confecta opera diruentes: occupato tamen uno ſuggeſtu quem altiùs exaggeratum inductis machinis probè communiunt, oſtendentes paratos ſe agere & pati, nec aliter obſidio includendos fore, niſi priùs patente campo & ſtatariâ pugnâ experimentum virium feciſſent: ea erat virium confidentia an temeritas? Incluſerant ſe oppido Daczko & Bułhanij Serdeniatorum Ductores, quorum prior in triremibus Turcicis diu detentus, alter ſclopetariorum apud Chmielnicium caput, jam nunc Staviſczorum præſidij regimen ſuſceperant: ea tunc ejus Coloniæ fama & frequentia ut ultra xvj. mill: armati defenſoris numeraret; præter promiſcuum ſexum, & imbellia plebis capita. Daczko itaq; duabus portis prorumpens, ubi à ſuggeſtibus Polonos depuliſſet, ſtatim foſſam transverſalem egerebat, cuius anterius labrum aggere munitum, adverſus vim Equeſtrem ingruentibus objiceret: Bułhanio quin etiam raptum ex prædiis ſuburbanis Equitem, in ſubſidium pediti deducente. Stitit objectus agger noſtrorum impetum, continuo glandium imbre impetentibus Coſacis, imò per convitia quinetiam irritantibus, dum notiorem ex verſicolore ſagulo qui ex tygridum pelle conſutus eſſet, maculoſam feram (Rabaia Sobaka) Palatinum inſultando vocarent. Sed non diu proterviam tulit ille, ubi namq; cognoſcit medio tenus oppido prætendi foſſam, dimiſſo cum Cohortibus qua

Quos Czarnecius Palat. obſidet.

Rebellium anteſignani.

Coſaci inceſſunt Palat. convicijs.

Priłucam

1664. Priſucam itur Łaſcone ac Chłopicio cum Turmis, ipſe iterum in aggerem foſsæ impingit, ferentibus Scythis raptim virgultorum faſces, quibus concavitas foſsæ exaggeraretur. Quod dum haud ſuccedit (in ſubſtratam materiam equis nullo modo impelli paſsis) mox ille Cohortes cum Łaſcone ab latere immittit, à quo perturbati Coſaci, dum ſubitò tergum & receptum circumſpiciunt, ille exſcendens equo, ac vocatis in pedes Commilitonibus primo ab aggere hoſtem detrudit, dehinc nihil moratus fiſtularum procellam foſſam ſuperat, ſuggeſtus cum machinis occupat, ferroq; ad manum confuſos adortus, ſubtus valla depellit. Cæſo inter primos Daczkone, ac permultis Coſacorum; & milite noſtro ſub ipſa portarum veſtibula refugis inſiſtente.

Sed à urget impreſſionem ſtrenuè.

Sat eo die ad edomandos obſeſsos actum videri poterat; ſpe certa inceſsente, non ultra craſtinum pertinaciam infringendam; vel ſi maximè obdurat, adornata impreſsione ſubigendam. Vnde miſſus Kruſzelnicki Nobilis Roxolanus, qui ſuaderet deditionem; eoq; notos ſibi Incolas ad colloquium invitante, flebant quidem velut pœnitudine, pignorumq; miſereſcentes, quibus certa immineret pernicies, ſed in ſpeciem tantùm & ſimulanter; dum moniti ut clementiæ Regiæ ſiſi ſeſe in obſequium reſtituerent, mox conditiones velut armis ſuperiores obtrudebant. Vti Exercitus Polonicus ab obſidione decederet, ipſi Palatinum Białocerkwæ vel Corſunij deprecarentur; ab oneribus contribuendi, alendive in præſidum militis immunes eſsent; aliaq; unde rem velut joco agi indignatus Czarnecius, præcluſis undiq; ne quid in oppidum importaretur itineribus; mox Caſtra è regione metatur, ad inſtituendam impreſsionem Legiones ordinat, quibus ſervitia militaria dimiſsis equis applicat, Scythas averſam oppidi partem infeſtare jubet, ipſe invadendi oppidi donec Signum datur curas cum Tribunis partitus. Et commodum ab Szarogrodo venerant ex Polonia, requiſita armamentarii hùc ſubmiſsa, præcipuè granatarum pilæ, tum miſsilium ignium fomenta: quibus in brevi uſi noſtri, ſuccenderant oppidum, adeo ſub reflantem ventum concitatâ flammâ, uti maior pars populoſiſſimi Municipij cum ædificijs in favillam redigeretur. Tum vero ubi frequentior explosio, ſimul & incendium defenſores conturbat: enimverò ſumma contentione in adverſos itum eſt; præſettim cum Duces ambo antegreſsi agmen, adeo immoderata fortitudine præirent in aſsultum; uti Szerymbegus Scytha, cui pro virute impetus eſſet, projectam in pericula vehementiam carperet: ac Stephanus Bidzinſki ex intimiori Vexilliferi amicitia, acriter inter gregarios pugnantem Ducem à promiſcua cæde, & ignobili diſcrimine retrahere neceſſum

Iterum ingeritur deditio.

Sed propoſitis conditionibus eludunt.

Itemat impreſſionem Palatinus.

Oppidum incenſum conflagrat.

neceſſum habuerit. Iam prope portam, vallum Poloni tenebant, defixis in ſummitate vexillis; etiam famulitium Caſtrenſe propugnaculum vicinum occupaverat: niſi libratores ignari ſuos eſſe, crebrioribus ictibus velut in hoſtem jacularentur, donec locum abſcedentes deſererent; ſimul omni niſu Coſaci prorumpentes noſtros iterum vallo deturbant, tantâ pertinaciâ & ardore conflictûs, ut velut gladiatorum paria, ferro ad manum ſinguli cum ſingulis decertarent. Hic Zgłobicio egregio juveni ſignum proferenti dextra reciſa fuit, etiam altera manus amputata, dum rurſus humi collapſum erigit. Etenim quidquid per Vkraynam pugnacium virorum erat defendendis Stawiſzczijs in ante convolavit. Vt pote: Deynekij Serdeniatij à nominibus Legionum appellati Coſaci, etiam cæſo Dackoni ſurrogaverant iſti, Centurionem Ducillum ſeu Czop dictum, qui malo noſtro fortis, nihil dexteritatis in propugnando loco omiſit, atrocem conflictum nocte dirimente. Obſervatum tunc perſpecta ſuorum jactura bilem excitante; Palatinum, etſi vel maximè cordolium premeret, ad circumſtantes Tribunos vix quidquam dolore imperfecti operis prolocutum, primamq; vocem exceptam, dum Præfecti Legionum matriculas cæſorum exhibent, velut emerſo ab admiratione animo id tantùm protuliſſe. Enimverò ſic eſt, bellum homines non gignit. Cùm gemino aſſultu ultra ſeſqui mille è noſtris interierit, immo verò reſiduum pedeſtris militiæ quod Transboryſtenianæ expeditioni ſuperfuerat, hic totum occubuit: adeo rarefactis Legionibus, ut quæ milleno conſtabant milite, mancis Ordinibus vix aliquot ſupereſſent gregarij; qui vel ſignum Legionis deferent. difficili inter hoſtes ſupplemento & ſera interemptorum reſurrectione.

1664.

Iterum Poloni à vallo depelluntur.

Fruſtraneã vum dolente Palat

Fruſtraneo aſſultu Palatinus irritatus magis quàm fractus, & ab accepta repulſa ferocior, in reſumendam iterum oppugnationem acerrimè intendebat. Sed modus oppugnandi mutari debuit, rarefacto jam (ut dixi) Peditatu, & Equeſtribus contra inſtituta militiæ, Legionariorum munijs defungi recuſantibus. Hinc lenta vi incluſos diſtinere placuit, & à ventre extorquere deditionem, ad quam Capita induci non poſſent. Satis conſtabat arctam intro exiſtere annonam, & rei frumentariæ inopiâ mox laboraturos obſeſſos, in tanta plebis introcontentæ frequentia, ac interea ob interceptam præſentem meſſem, nullam victûs in futurum ſufficientiam ſperari. Etſi in id conſilij ægre aſſentiretur Czarnecius, cui præciſa omni mora præſens ultio, quàm ſera illa, & quam farinæ defectus, non animi vigor conficeret, palma magis allubeſceret. Iteratas proin impreſsiones adornat, excurſus pabulatorum ex oppido intercipit,

Nec ideo animum remittẽte.

Continuatur obſidiũ Stawiſzczorum.

1664. cuniculos ſubtus valla agit, aut agere oſtendit; ſed vel maximè artificioſos ignes in oppidum jaculatur, à quibus excitatum altera vice incendium fuit, quod non modò reliqua oppidi ædificia, ſed & animos demum Incolarum depreſsit. Submittebantur inter hæc qui ſuaderent, ne perire Incolæ ſuâ noxâ vellent, & planè jam ultra xij. millia, tam ferro quàm inediâ promiſcui ſexûs ſublatorum, intra oppidum numerabant. Vix tandem ad mitiora inclinari patiebãtur, ubi preſsus inediâ ſtomachus, nec ampliùs pati famem ſuſtinens, poſcere pacem & panem perſuaſerit. Ab ineunte Junio ad decurſum Octobris formale obſidium perpeſsi, ad extremam victûs penuriam redacti, ab anteſignanis (quippe & Buſhanis aufugerat) deſerti, ad Saguntinam prope miſeriam devenerant; tum demum per Sacricolas de deditione agitanr, veriùs explorant, comperturi quomodo caudam offerens vulpecula, vim ſequacium canum eluderet: aſt poſtquam rigidior Palatinus, nullas obtrudi conditiones patitur, qui pluries temerè oblatam clementiam ſpreviſſent; eâ jam prorſus indignos cenſens, niſi debitam ſanciendo fidem, ſe notæ clementiæ Regis, & arbitrio Ducum permittendo portas oppidi ſine conditione confeſtim recluderent. Ac quo deſignata mulcta certiores ſalutis redderet, xiij. turbarum Anteſignanos, quorum Czop ac Pododnia capita eſſent Palatino tradunt: is mitior jam Teteræ Coſacorum Præfecto deditos in ſequeſtrum commmittit; adjecta ab eo cum Tribunis ſponſione, ſiſtendos quando juberet Palatinus. Præda ſpem infra fuit, vel ignis violentiâ, vel poſsidentium invidiâ corrupta, in ſcrobes, puteos, ſpecus defoſſa, ne qui ſibi vitam eriperet hoſtis ſubſtantiâ potiretur. Vexilla xxx. Deynekorum reddita, inter quæ duo Moſchorum characteribus & ſtemmate Mag: Duc: inſignita fuêre. Vltra xxxx. minoris ac majoris modi machinæ, pyroboli, mortaria, ac pulveris nitrati in ſuſtinendum annuum obſidium, quantum ſatis. Adjectum mulctæ loco, uti Soltanis præſentibus honorarium æs contribuerent; campanas quibus in turbas cieretur plebs, amoverent; equos machinarum vectorios ſub obſidium necidatos pecuniâ ſolverent; duas Legiones toto belli decurſu pro præſidio alerent, aliaq; impoſita quæ tam victori ſercuritas, quàm victo neceſsitas acceptanda ſuaſit. Sic edomitis Stawiſzczijs, die xx. Octobris, tandem ſi non finiendi belli, ſaltem capiendi reſpirij noſtros ſpes cæperat, jamq; in ſtativa diſtributæ Cohortes, Varſaviam Nuntios militares ad Comitia Regni deſignabant; qui prætenſiones Exercitûs iterum in hoſtico hybernaturi promoverent, cum de novo emergentibus turbis agitata Polonia, recenti Civilis belli claſsico conturbatur, & tot ex-

Demum fames inflexibiles flectit.

Stawiſzcza decãtur ſimul & tur harum Capita.

Subactis mulcta.

1664. tot externis hoſtibus circumſepta Reſp: intra ſe concipit luem, quâ periret, vel ſaltem miſerè admodum laceraretur.

Civiles turbæ ſuboriuntur.

Peregrinari aliquis Martem dixit, quòd vagus ac turbulentus Planeta uno loco contineri neſcius, orbem circumeat: quàcunq; tranſit pro igneæ naturæ motu, pernicioſis cuncta involuens effectibus, etiam nunc retrogradus in Poloniam iterum hoſpitari pergit, jam per illatas clades, Coronæ noſtræ noxius; verùm quod magis afficit conſtantiſsimam ab ævo Gentis fidem temerando per Civiles guerras exitiabilis. Indignabatur Aula (ut ſupra attigi) Georgio Lubomirski Regni Mareſchallo, ob impeditam vivente Caſimiro ſucceſſoris deſignationem: tolerat ille tacitus iras Majeſtatis, vias ac media molliendæ offenſæ veſtigat, quod ſi æquanimitas indignationi modum non poneret, ſaltem vel interventu temporis, vel interceſsione Reipub:, ſua deniq; innocentiâ, ac meritorum intuitu, reparandam gratiam ſperat. Quæ dudum concepta odia jam nova extimulabat offenſa; quòd idem ille petitâ & acceptâ à Rege veniâ, abſentiam à bello Vkraynenſi excuſaverat valetudinis vel maximè prætextu; revera quòd exautoritatis ſub Commiſsionem Leopolienſem Cohortibus, Dux exarmis in bellum progredi, haud integrum ſibi duceret. Acceſsit ad cumulum ingratiarum, recens Cæſaris Leopoldi dignatio, qui in Turcam, Hungariam invadentem undecunq; conquirens auxilia, Lubomirſcium ei bello Ducem vel vocabat literis, vel deſignabat intentione: traducentibus æmulis ſimulata ægritudine illuſum Principi, ut externo præſtitâ operâ grataretur, & propè ſuperſtitionem eſſe, in Moſchos Poloniæ hoſtes arma recuſaſſe, ut contra Turcam pro Hungaria pugnans, rumpendis veteribus cum Porta Ottomannica pactis anſam ſuggereret. Nec ampliùs viciſsitudinem rerum, aut variabile in Aulis Fatum accuſare auſim; cùm ipſa velut condolentia Aſtra, per diverſa quâ cælo quâ terrâ progidia, funeſtum inſtitutæ ſcænæ epilogum, præmonſtrarent. Ita ſemper orbibus cæleſtibus in hæc ſublunaria animatis, ut quid ſperandum cavendumuè mortalitati, provida illa quæ ſupra nos mens, in explicato Sphærarum Zodiaci volumine, vel oſtendat ad præcautionem, vel ingerat ad reſipiſcentiam.

Cumulus offenſionũ in Lubom: Mareſchal.

Ac primò non inane conſequentium omen horribilis & in ollæ ſpeciem turgidus Cometes effulſit; inchoatis Comitijs in hemiſpherium noſtrum motu vehementi illatus, & flammantem longè lateq; ferali incendio caudam protendens, velut Septemtrioni minaretur. Etenim ab extimo Libræ gradu per tropicos ſignorum à Virgine conſequenter decurrens, donec in xvj. dierum ſpatio ad Arietem, qui Regni Poloniæ ſignificator eſt, advolutus, ibidem continuam

Cometa apparet.

1664. nam flammam, quâ tanquam nocturno sole cælum ardebat, extingueret. Requisiti Matheseôs periti, quid sibi infaustus Bubo vellet? quidve globo illo cubisq; prolixis toto cælo nictantibus portenderetur? responderant pro sectæ ingenio, semper credulis infido sperantibus fallaci, Moschoviticæ Gentis fata eo ostento permonstrari. Tum ob eius stellæ crinitæ cursum, per successionem signorum vehementem, ac in Ariete lassescentem: tum ob Lunæ subsecutam Ecclipsim, quàm protinus ominosa Saturni & Martis Planetarũ funestaret conjunctio. Cùm revera ea cæli pathemata, futuras Poloniæ clades nuntiarent, si modò ut metheora indicabant, eadem peritorum Artis interpretatio adhiberetur. Sed isti nihil meliùs certiùsve ex astris prædicere solent, quàm recurrentia pro nundinis tempora.

Imagines lachrymãtur Busci.

Ac velut parùm esset in supernis cæli orbibus malorum nuntios è longinquo spectare; propiùs oculis admotæ commonebant iræ Numinis præsagitiones, & deposcendæ clementiæ monita. Quippe in oppido Busko, gemino milliari Pinczoviâ distante, apud Moniales è Familia Norbertana, effigies flagellati ad columnam Christi existens, de die sanguineis guttis velut ad renovatas plagas madens, sudavit: re non modò Deo dicatis claustralibus; sed promiscuæ ex oppido populi turbæ visibili. Dzierzkoviæ item pago ad Præpósituram Cracovienſem spectante, (cuius tunc possessor Cancellarius Regni Prazmovius) imago Virginis Deiparæ MARIÆ, in concursu frequentis populi ad sacra congregati, die xxvj. Iulij (quâ eodem de indictione Comitiorum deliberatum Varsaviæ) profuso ab oculis gemmeo rore lachrymata est: uti tunc multi credidêre Civiles motus detestante Cælo, malisq; nostris benignissima MATRE, quæ Poloniarum Regina dici amat, indolente. Imago ea bello Cosacio (ut ex inquisitione patuit) à Stanislao Myszkowski viro nobili, ex Vkrayna deportata, parùm difert ab ectypo Częstochovienſi, nisi forma & colores Græco-Roxolanum pingendi morem referent. Quæ ubi in publicùm emanârunt, dati mox à loci Ordinario Visores seu Commissarij sunt: Hyacinthus Liberius Sac: Cor: Chri: Præpositus, ac Grabianovius Generalis Aulæ Episcopalis Auditor, cum binis è Societate Iesu Theologis; qui re altiori perpensa indagine, ac per omnes circumstantias ventilata, demum pronuntiarunt, verè vim & manum Dei, supra naturæ vires & cursum ordinarium in illa lachrymarum productione operatam.

Itidem Dzierzkoviæ.

Comissarij ad dignoscẽdum.

Revelatio Imaginis Studzianẽsis.

Quoniam verò opera Dei revelare & confiteri honorificum: subjungo quia mirè coincidit cum tempore, imò obseruandum reor, primas de Studziannensi B. V. MARIÆ Imagine revelationes; dum in Lubo-

1664. in Lubomirscium Mareschallum deflagrabat Varsaviæ Iudicij rigor, factas fuisse. Mirabilis siquidem in operibus suis Deus, immittit calamitatum vices, sed mox suggerit Gratiarum fomenta, & ne videatur grave Divinæ manus flagellum, ærumnis atteri, quos affligit sublevat, quos visitat consolatur, portum in naufragio, asyllum in scopulo, vitam in pernicie, in desperatione salutem periclitantibus ostendens. Quod ut ex sacri loci archivo traditum mihi, reali ac candida mente consignabo; ignaris ad scitum, ingratis ad confidentiam, hæterodoxis ad fidem suggerendo. Quod si olim (ut Galliæ Fasti tradunt) unius Ioannæ puellæ, in vindicandam ab Angelis Frãciam divinitùs virtus inarserat; quidni competentius credam? Regis Æterni Matrem, Regni Sarmatici semper Protectricem, ne tunc quidem eius oblitam, ubi sui minùs illa memor, cognatas acies & Civilia prorsus in se exacueret odia. Hinc rei per tot miracula & beneficia celeberrimæ, exordium. Studzianna in Districtu Opoczensi rus exigũum, & si circumferentia latifundij suppetat, ob faculosa tamen & aridioris glebæ arva incolatu minori, Feudum terrestre erat Domûs Starołęscię: possessore ad præsens Olbrachto Starołęski Zarnovienſi Castellano, cujus possessio ducta in connubium Przerębscia Sieradienſis Palatini Filia, ad eum jure dotali devenerat. Vbi simul Imago, cum alia domestica Aulæ suppellectili parieti affixa manebat. Vso ea pro instrumento devotionis privatæ Castellano, maximè dum vergens ætas, ineptam jam alijs actibus senectutem ad preces damnat. De Artifice, & tempore elaboratæ Imaginis, nulla in hanc diem certitudo est. nam & sepulturam Moysis tot taumatum patratoris, abscondi voluit Deus; & acanthidis avium minimæ gentiura, ubi ille nidificet & fætum producat, secreta naturæ rimantibus, adhucdum incognita manet. Sufficit per miracula fidem de Imagine asseri, & gratitudinem deberi miraculorum patratori Deo. *Qui fecit potentiam in brachio suo.* Latebat interea thesaurus hic in penetrali ædium, acsi subtus modium recondita lucerna; cùm per Dei gratiam præsenti 1664. Anno funesto quidem illo, & per varias ærumnas Poloniæ memorabili: fausto tamen; cùm ab eo fonte nova gratiarum fluenta, tanqnam è puteo (quod vernaculo idiomate locus sonat) prosilire cæperunt. Siquidem uti commodior Starołęscio ad injurias brumæ hîc habitatio esset, conductus venerat Albertus Lenartowicz è Smarzowice incola, arte murarius, collapsos vetustate fornaces & quæ alia ex lapide facta ruinam feciſſent, reparaturus. Quod dum gnaviter præstat, ac fortè plus labori incumbit, quàm ut vis & ætas LXII. supergresso annum pateretur, febri ardente correptus, ultra quàm vel-

Studzianna Pagus prope Opoczno.

Lenartowicz Albertus Murarius.

1664. let ab incepto vacare debuit, ad ineuntem Decembrem in eodem conclavi decumbens. Interea dum vel increſcens morbus ægrum affligit, vel dilatæ mercedis ob imperfectam operam mentem angor exagitat; concubia nocte inſomnis, primum ſacro horrore corripi cæpit; dein inſolita aliqua luce offundi imaginem videt: unde artubus tremens, ac ad preces verſus, (ut ferè potiſsimus votorum locus, ubi ſpei nullus) humana voce clariora, & organa auditus percellentia accipit verba: *Ne timeas (inquit) ſalvus eris; etiam Oeconomo vita per me impetrata à Filio eſt; tu interim cura Sacellum mihi ex condigno erigendum, cum revera & locus mihi, & veneratio alia debeatur.* Extra dubium erat, vocem illam divinitùs prolatã ad Albertum ſolùm ſpectare, nemine præter illum in conclavi exiſtente, & donec diluceſcit multa ſolicitudine animi, prolata verba ſolitariũ expendente. O felix nimium (exclamare liceat) ad invidiam ſæculi homo, qui reficiendo fornaci veniens, eius Matris conſtruendo domicilio vocaris Architectus, & cui ſalutaris illa phraſis Angeli nuntiantis audita fuit. *Ne timeas vives.* neq; ſoli murario reſtituta miraculoſè valetudo fuit, niſi ſimul ad beneficiũ convaleſcendi vocaretur Oeconomus Krzeczkowski, à rationibus reditûum Studzianenſi prædio ab hero impoſitus. Pridem is gravi morbo decumbebat, & ubi ope medica reſtantis mortis neceſsitas amoveri nequiret, ad ſpiritualia juvandi animam remedia verſus, depoſitis apud Sacerdotem conſcientiæ noxis, ſacro viatico ac extrema unctione præmunitus, imminens jam lethum opperiebatur; inſtanter præſtolante è Paroecia Curione, uti moribundo oculos clauderet, ac de ſepultura diſponeret; cùm cæleſti ille ope ad ſanitatem & vitam ſubitò reductus, ac primò mane ſurgens, nec adminiculi indigens, in area prædij penſa laboris diurni ſubditis diſtribueret; adeo clara voce unum quemq; ciens, ac jubens, ut Albertus loquentem deforis audiens, jam tunc divinitùs reſtituta ægro ſalutem agnoſceret. Supererat tertium ſuper ædificationem Sacelli, in cultum Beatiſsimæ Matris extruendi. Vnde gemino receptæ ſanitatis miraculo erectior murarius, ſciſcitari intra ſe ſuſtinuit. Eccubi verò Sacellum illud erigendum? cùm animitùs inſtillatum reſponſum accipit. In colle adſito, ad dexteram in proximum pagum tendentis viæ (Małſzyce pagus) ubi filij ſui dilectæ ſponſæ quieſcerent. Nec cecidit ullum verbum irritum, Dominæ univerſi: conſignatur in cultum divinum Collis ille, ſeu prominens virginalis pudicitiæ tumulus, ubi peramplam Baſilicam nunc faſtigium montis attollit, trophæa Virginis Deiparæ in montibus ſanctis per Poloniam triumphantis oſtendens.

Audit verba divinitus prolata

Convaleſcit tam ipſe quàm Oeconomus.

De extruendo in cultum divinum Sacello admonetur.

Mons Puellarum unde dictus.

Iam verò denominatio montis Puellarum, ubi Sponſæ Chriſti quieſce-

1664. quieſcerent, eruitur à vetuſsimis ævi, & conſtanti, ex antiquo multorum traditione. Małſzyce Regis juris pagus, cum Studzianna interjecto limite cohæret; utriuſq; Incolis tam loci viciniâ, quàm commercijs ruralibus ad invicem permiſtis. Contigerat enimverò dudum antè (nam pro certo ſpecificari tempus nequit) dum ſub carnisprivio in pagis ad Hilaria populus ſe effundit; uti aliquod agreſtes puellæ, ad cauponam Małſzycios peregent; choreis ac aliæ honeſtæ recreationi, cum contubernalibus vacaturæ. Fortè hic milites hybernam contributionem exigentes aderant, qui villanorum conſeſſui immiſti, dum convivas à menſa removent, parùm abfuit, quin protervia militari ab agreſtibus villanis removiſſent puditiam. quæ tamen ut inſtructas honeſtati advertunt inſidias, arma tuendæ virtuti efficaciſsima reſumunt, fugam protinus capeſſentes; nec aliter niſi peccandi occaſionem vitando, ſibi conſulturæ. Quod de numero fuerint ambigitur: ternas fuiſſe convenit, haud variante in hanc diem traditione. Noctis ferè concubium erat, ſpiſsis ut hyeme ſolet nubibus, aërem adeo obnubentibus, ut non modò recognoſci viæ veſtigium; ſed terra à Cælo niſi pedes monſtrarent, nullo prorſus diſcrimine differre videreretur. Obſcurum noctis geminavit in momento cunſurgens tempeſtas acerrima, quæ & recentes nives ſparſit abundè, & veteres turbine vehementi commovebat moleſtiſsimè, ſimul vento pruiniſq; oculos pergentium everberando: ſicq; penitus afflixerat euntes, ut cùm regredi formidoloſum, progredi impoſsibile foret, occupato ad fortuitam pinum loco, puellæ conſidentes, dein nivibus ſuperfuſæ geluq; rigentes. fragrantem eo loci Deo amatori caſtitatis victimam, animas obtulerint. Memoria poſterorum non indignæ Viragines, uti quæ poſt emeritam ſervatæ pudicitiæ palmam, etiam Martytij laureolam adeptæ, non incongruè Sponſæ Chriſti dicerentur. Ac ne digna æternitate virtus non ſine honore ſepulturæ eſſet, eædem illæ nives ſuperſtruxerant intemeratis Corporibus Mauzolæum, idq; ebore candidius: ut vel ipſa nivium albedo ingeneraret caſtimoniæ deſiderium ſpectantibus; vel ſolutilis cum verno tepore materia, oſtenderet mundo ex agreſti tugurio Martyres, jam æterni capaces bravij, ex merito adamatæ virtutis. Hinc igitur Mons Puellarum dictus, vernaculè *Dźiewcza Gorá*, extruendo Sacello Deiparæ delectus, jam nunc inſignem Baſilicam præſefert & oſtendit; ſub cura Religioſorum Patrum, ſeu Clericorum Regularium Congregationis Oratorij Sancti Philipi Nerei, hic introductorum: per Illuſtr: Ioannem Zbaski tunc Præmiſlienſem, jam nunc Epiſcopum Varminenſem. ut verò diverſis corruſcans miraculis Imago, in tempus cultu & veneratione fidelium interdi-

Mirum accidens:

Puellas Nives obruunt & necant.

Hinc appellatio Montis.

1664. interdicta, & donec Iurisdictio Ecclesiæ cultum hyperduliæ decernit in occluso habita: deniq; & superfluente gratiarum desuper dantarum fonte in quosvis larga & benefica exiitit, sequentibus annis, si Deus vitam, consignabo; neq; reticens alias rei admodum miraculosæ circumstantias, autoritate sedis Primitialis, cujus Iurisdictioni Ordinariæ locus ille subest, ad pleniorem fidem evictas, & confirmatas.

De qua Imagine in postscriptis plura.

Generalia interim Comitia, de more præcedebant Particulares ProvinciarumConventus, in quibus ex gremio Nobilitatis Terrestres Nuntij deliguntur: qui in Consessu Ordinum, locum & jus ferendæ sententiæ cum potestate intercedendi obtinent. Non absimili Tribunatui Romano functione, nisi pretiosæ libertatis fætus, in licentiam (proh dolor) degeneraret; & quæ fuit majorum ingenuitas, sic Ephoros nostros, magis amor publici, quàm privata commoda, & diversim spectantes non pro quibus missi respectus, agerent. Cracovienſis Palatinus, ut Principem locum in Republ: obtinet, sic & pro capite consiliorum habetur. cujus Incolæ tam Proceres, quàm Nobilitas, magna tunc frequentia Prosłovicios convolaverant; nec minore omnium admirabilitate, quid turbo ille rerum ac mentium modo faventem Aulam, cum florentissimo Cive committens, tempestatis nuntiaret? hic loco consueto, dum in suffragia Nuntios eligendi itur, cum Minister publicus, haud petita dicendi venia, positionem mandati Regij in Mareschallum Lubomirscium proclamat; titulos quidem personæ competentes addit verùm & contenta citationis edisserit, Stentorea voce ad id quæsitus, uti præsenti citato acerbissima scommata objiciens, acrius bilem moveret. Vidi ego & coram aspexi, non vultu commotum, non affectu turbidum Mareschallum nec ullam passionem animi ab intra prodentem; innixum tantùm scipioni, ac sublatis sursum oculis, vel leniter contractis humeris, ad iniquè objecta, velut sine sensu injuriæ ausculantem. Vbi finierat Præco, cùm adessent qui vel lachrymis affectum, vel fortioribus verbis auxilium testarentur, acceptâ dicendi veniâ Mareschallus, gratias modestissimè Concivibus egit, constantem animum affectumq; testantibus, (nulla iratæ Majestatis aut cujusquam læsiva mentione) omnia volenti & probãti Deo adscribens: dein vitæ suæ acta, & merita, per synopsim modesta recapitulatione percensuit, mæsto inter audientes silentio, & præsenti commiseratione. Quis etenim crederet? adeo favorem Aulæ mutabilem, ac Regum benevolentiam vitream esse? ut qui nuper post Czudnovienſem victoriam, primarij Status Ministri publico encomio, Pater Patriæ dictus, jam nunc abjecti Præconis voce, ejusdem Patriæ hostis

Particulares Terrarum Conventus.

Prosłovicijs in Mareſc: Mandatũ proclammatur.

Eius modestia sui excusatio.

hostis vocaretur. Observatum tunc in plerisq; Palatinatibus disruptos, per subordinatas personas Conventus Particulares fuisse; etiã id tentatum Prosłovicijs, suspecto adversarijs zelantis pro Mareschallo Nobilitatis fervore, nec aliter eo popularitatis suffragio privandum censentibus. 1664.

Adveniente xxvj. Novembris præstituta Comitijs die incipiebant ea, ab æterni Numinis invocatione; votivum sacrum celebrante Episcopo Cujavienſi Czartoryscio; verba pro suggestu faciente, Cieciſſovio Regis è Soc: Iesu Ecclesiaste. Senatus planè infrequens aderat, & in populo quasi attonito, notabilibus insolitæ alicujus tristitiæ aut mæroris vestigijs, aliqua solitudo. Neq; frequentior stuba (ut vocant) Nuntiorum terrestrium erat, semideserta penitus, & quam non nisi soli Aulæ sequaces, ac conquisita exerendi odij instrumenta, complerent. Ab istis mox, non obstante plurium absentia, Director eius Collegij deligitur, sub Mareschalci nomine Ioannes Trach Gninski Succamerarius Pomeraniæ, ac majori tunc Cancellariæ sub nomine Regentis impositus, exindeque Aulæ probatus, uti dudum in oppositam partem antagonista. Vbi ad deliberationes Comitiales ventum, jam planè refrigerat fervor ille belli in Moschum gerendi, exciderant memoriã tranquillandæ Vkraynæ rationes, solvenda Exercitui stipendia, sepositа exinanitis Legionibus supplementa, submini stratio æris in nervum belli, aliaq; apprimè necessaria planè evanuerant: huc conversis totius Aulæ quâ publicis, quâ privatis sermonibus, quomodo se illa non de Moscho aut rebellione, sed de invidioso Capite vindicaret: unde prima Mareschalco Equestri cura quantocyus ex Nuntijs selectos nominare Iudices, qui sin minus procederent Comitia, at saltem dijudicandæ Lubomirscij causæ gratiosam navarent operam. Ejus negotij circumstantias, cùm nec omittere liceat historiæ, nec pro sensu cunctorum referendas sperem: summis tantùm labris attingam, trifariam divisas; in Acta ante judicium, in processum causæ, & latum Decretum consequentia.

Comitiorũ exordium.

Mareschalcius Nuntiorum.

Circumstãtiæ Iudicij in Lubomirscium.

Ac primò nihil Mareschallus Lubomirscius omittebat, per quæ lenitã irã Majestatis, veterem gratiam repararet. Stabuli Regni Præfecto fratre germano, ac Stanislao filio Scepusienſe Capitaneo submissis, qui Regem deprecarentur. Interponebat autoritatem suam & Summus Pontifex, Clemens IX. per literas, jusso quinetiam suo per Poloniam Legato, præsenti interpositione mederi disidio: instabat simul consanguineus Cæsar; diversi Principes & Electores Imperij; Patria insuper universa poscere visa, ut si innocentem Rex absolvere nollet, saltem pro nocente Reipubl: donaret. Sed in cas-

Deprecatur is Regem, per varios.

1664. ſum omnia, tantis infrapoſitis deprecatoribus, quàm ut deſtinatum vindictæ caput eriperent. Ipſe quinetiam quævis tentare certus, per modum ſupplicis libelli Caſimiro Regi ſcripſerat eo ſenſu.

Sereniſſime Rex Domine & Benefactor mi clementiſſime.

Ita per omne tempus vitæ deſervij S. R. M. Veſtræ, ut non modò opere, ſed ne cogitatione quidem contra eam deliquerim. Sic me Deus adjuvet. Litera ad Regem ſup plices. *Agnoſcebam me ſemper facturam ejus, Domumq; meam ex Ser: Regum Patris & Fratris S. R. M. Veſtræ gratia, & benignitate ſtetiſſe, ac floruiſſe. Quidni nunc tantorum beneficiorum rea in me exſpiraret gratitudo. Quo fato meo, nunc in eam inciderim S. R. M. averſionem, quâ eum quem elevaſti allidis, quem creaſti annihilas, quem nuper poſuiſti in ſpectaculum favoris, nunc vertis in exemplum indignationis, ſcire nequeo, & ſcrutari non audeo. Supplico tantum S. R. M. humillimè ad pedes provolutus, non intres Domine in judicium cum ſervo tuo. Opus manuum tuarum ſum, fac de me tanquam Dominus de ſervo, Rex de ſubdito, Formator de Creatura luſtitiam: illo tantùm nomine rea, quia infelici, nec aliud crimen (teſtem Deum appello) recognoſcenti. Quod ſi ut homo per inconſiderationem offendi S. R. M. Dñum & Benefactorem meum, iterum deprecor ad ima pedũ proſtratus: imò mendico condonare velit errorem, S. R. M., & hac benignitate Duce, quâ per totùm clareſcis Orbem, me ad Regalem gratiam admittere digneris. Datum Ianovecij Anno* 1664.

Simili argumento ad Collegium Nuntiorum ſcripta epiſtola poſtulatotia fuit: uti oppreſſo ab æmulis Civi aſsiſtere, ac quod magis in reconcilianda Majeſtate deprecandi vices ſubire vellent. Sed hæc, legendam negantibus Lithuanis, ſepoſita tantiſper fuit. Leſzczynium quoq; Primatem cum Cracovienſe Antiſtite Trzebicio, ad reconciliandum curas verè Paſtorales vertiſſe, conſtitit: qui fontem diſsidij obſtruere aggreſsi, dum Ludovicam Reginam eo ſuper negotio adeunt, indignanter accepti; mox ejuſmodi dimiſsi reſponſo. oleum igni importuna poſtulatione affuſuros, & quæ plus exacerbationis offenſo Regi, quàm juvando reo auxilij adferret. Regem non de tribu Levi eſſe, qui juſtè conceptas in ſontem offenſas, oſcitando eijciat, aut ſuaderi ſe clementem in publica crimina patiatur. Mediam tamen viam ineundam (quod dilemmaticè conficiebat). diſtringatur priùs juſtitiæ bilanx ad æquilibrium æquitatis, aut eſt Lubomirſcius inſons; & tunc juridicè abſolutus incolumitatem debebit innocentiæ ſuæ: vel ſi demeruit, officioſo mulctabitur Decreto. Tum demum attrito ſuffragandum erit, nec incommodè cieri miſericordiam poſſe; Principe ad lenitatem naturâ & uſu facto, & ne in hoſtium quidem, nedum ſubditorum ruinam obdurato. Sic ſuaſi remittunt animos, fruſtraneam deprecationem rati; an fortè veterum ſimultatum non immemores, cùm inter Præſules ac Exercitûum Duces, plerumq; non de plano conveniat; panes præpoſitionis, illis pro Eccleſia, iſtis pro milite vindicantibus. Ac quo palam eſſet, Mareſchallum ſincerè ac bona fide deprecando Regi inſiſtere, rem totam committebat fidei Arbitrorum, Fratri ac Filio, Ioanne Woiakowski Præmyſlienſe Vexilliſero, ac Stephano Xięski Caſtrenſi Cracovienſi Notario additis; uti quatuor Viri illi de medijs placandæ Majeſtatis plenimodè agerent. Vbi verò Principem ad mitiora inclinare apparet, deprehenſo qui incolumi Mareſchalco ſtare ſe diffiderent, mox tabulas (plenipotentiam vocant) ſat modeſto ſtylo confectas criminantur, quòd ijs appoſitum eſſet, uti nullum ex pacto mediationis, honori Mareſchalli præjudicium ſequeretur. Quæ in majorem offenſam tracta exceptio, veluti reus, non ex legis amuſſi, aut judicantis Majeſtatis ſententiâ, ſed in ſua cauſa Iudex ſeipſum abſolveret. Hinc irrita mediatione ad proſequendam litem itum eſt.

Etiam Primas & Trzebicius deprecationẽ tentũt

Mox perſuaſi à Regina remittunt.

Quatuor Viri ad cõponendum

Vehementior in cætu Nuntiorum terreſtrium concertatio exarſerat, ubi Director Gninſcius ſepoſitis aut omiſsis ad tractandum ex lege negotijs, Deputatos ad judicia Conventionalia ex Gentibus nominaret. Obſtabant pleriq; delegandis, diſordine fieri aſſeverantes, niſi priùs vacantia Reipubl: beneficia (lege ſic diſponente) diſtribuerentur. Sed evicêre qui nominandos cenſebant, uti ex beneplacito deſtinati, ignaris cæteris, ad judicia irent, ac mox præſtito juramento in Conſeſſum Iudicium reciperẽtur. Quod ubi innotuit ad judicia receptos, permovit enimverò circulum Equeſtrem rei indignitas, ut Gninſcio illegalitatem Deputationis in frontem exprobrarent, ac contra nullitatem judicij proteſtarentur. Ante alios Alexander Zaboklicki Subjudex & Nuntius Bracławienſis, in facie ſtubæ Equeſtris luculenter queſtus eſt, jura & conſuetudines antiquas violari, materias incompetentes obtrudi, liberas Nuntiorum voces opprimi; clandeſtinè & citra univerſorum conſenſum ad Iudicia Delegatos mitti; recenſitiſq; alijs quæ pro gravamine ipſe acciperet, demum facta publicè Proteſtatione; ex circulo Nuntiorum receſsit, ſicq; omnem Comitiorum activitatem ſolvere videbatur. Inſiſtebant contra aliqui, actum Comitialem niſi in conſenſu trium Ordinum ſolvi poſſe pervincentes. Cæterùm Iudicia, (immotis dum inferiora moventur, ſuperioribus) incipiebant, ab atroci & horrenda Lithuani militis cæde in Theſaurarium & Campeſtrem Ducem Gaſievium perpetrata; enormis homicidij pænas Conjuge Gaſievia urgente

Inter Nuntios motus & Proteſtatio.

Zaboklicki Subiudex Bracławienſis.

Iudicia inchoantur.

1664.

1664. urgente, & cunctis non impunitum ſcelus manere cenſentibus. Ejus criminis rei plures, carcere publico vincti tenebantur, ac convicti poſtmodùm facinoris ſententiam mortis ſubire; retenti tamdiu in ergaſtulis donec compliçes alij ſiſtuntur. Memorant ad inſtitutam actionem, exteriorem veſtem, in qua cæſus Gaſievius globis diſcerptam, ac cruore taboq; oblitam, in conſpectu Iudicij projectam fuiſſe: quod ſimiliter procurante Marco Antonio, ad invidiam percuſſorum C. Iulij Cæſaris emphaſeos gratiâ factum, Romana haud reticet hiſtoria. Mox actio in Mareſchalcum Lubomirſcium acclamata fuit, ſedente pro Tribunali Rege, lectis è Senatu & Equeſtri Ordine judicibus, circumvoluto. Hieronymus de Skrzynno Dunin, ut Delatoris partes ſuſciperet, induci paſſus; promulgabat theſim (inductionem Cauſæ Iuriſperiti vocant) Franciſcus Tanski Advocatus Regius, ſub Inſtigatoris Regni nomine; Inſtigatore Lithuaniæ aliaq; forenſium Rabularum turba hiando circumfuſa: quippe in miſeros faciliùs odium quàm commiſerationem exciveris, & canes ſemper macilentiorem allatrant. Suffragabatur Patri Stanislaus Lubomirski Scepuſienſis Præfectus, jam Paterni caſus intelligens, pietate (uti quæ in eum detractos Genitori faſces, in brevi contulit) memorabili. Ac primò juris beneficium in partem clementiæ traductum fuit; Patronos addidiſſe. Quis enim non ſine certa offenſa vim facundiæ exereret? aut rationum momenta in ea cauſa vendicanda experiri vellet? quæ non legum ſuffragio, non æquitatis ope, non innocentiæ adminiculo diſceptanda, ſed ad exacerbatæ Aulæ nutum, Decretali fulmini ſubicienda foret? additi itaq; Patroni, Mniſzek, & Zeſtelinski; quorum prior in Tribunalitia quidem palæſtra vetus, & fori ſciens; ſed utraq; aure per ſenium captus: Zeſtelinſcio dum ſtrenuè Regij Procuratoris rationes refutat, objectum; patratum ab ipſo Petricoviæ homicidium, necdùm publicâ pœnâ eluiſſe, innodatumq; Proceſſu, non modò patrocinari legibus nocentem cuiquam non poſſe, verùm etiam in conſpectu R. M. comparentem, ad pœnas legum à parte læſa ex demerito vocari. Sed exhibuit Zeſtelinſcius relaxationem pœnarum, in Comitijs 1661. obtentam: quâ demum ſuffragante conquievit impetitio. Veritis ſcilicet inimicis, ne abſcedentes Patroni præviſo deciſivæ ſententiæ eventu, relictam ulteriori moræ & diſceptationi litem deſererent. Erat præterea quod citata pars quereretur? præſentem pro Tribunali Regem præſediſſe; qui in crimine perduellionis uti cauſa propria, ex jure Regni Iudex eſſe non poſsit: ſubjuncta expreſsè in Statuto legis cauſa. *Ne fulgor potentiæ Regiæ, juſtitiam obrueret.* Dum proponitur cauſa, apertæ fores, cunctis ad ingreſſum triclinij

Actio in Lubomirſcium Mareſchal.

Patronorum additio.

Rex Iudicijs præſidet contra expreſſam Leg.

patuêre;

1664. patuêre; ubi replicant ad objecta Patroni, jubentur exeſſe, imò depelluntur Arbitri, ideo tantùm ut occluſis valuis, etiam aures hominum ad audiendam innocentiæ defenſionem clauderentur. Nec poſtrema pars gravaminis, Iudices clandeſtinè intruſi, & interventibus proteſtationib⁹ prorſus illegales. Iudicium de nocte cæptum. Delator ſubterfugiens, & diu in proſequendam litem reluctans. Teſtes vel ex inimicis lecti, vel ex jure damnatis, qui teſtari nequirent. Probationes objectorum criminum, quas lex notorias, ſufficientes, & luce clariores exigit, defuiſſe: nudos tantùm diſcurſus, conjecturas imaginarias, præſumptiones mentales, & farraginem futilium opinionum, ad convincendum primarium Civem adhibita. Dilatio deducendi ſcrutinij; non niſi in triduo permiſſa, cùm etiam in Civilibus actionibus geminæ hebdomadis ſpatium currat conceſsibile. Tum demum injuncta Delatoti convictio; quâ peracta publicatur Decretum, proclamatur citatus honore & capite minor, bonorum Regalium, & honorum privatio; aliaq; decernuntur, quæ ſi per ſæcula Hiſtoricos gentis excutias, haud facilè ejuſmodi oppreſsionis exemplum repereris. & hactenus Regina voluerat.

Alia partis gravamina recẽſentur.

Quæ verò Iudicium conſecuta, ea memorantur præcipua: ipſiusmet Ludovicæ Reginæ, inſolita lætitia, non jam ex ſolenni (ut moris) Natalitiorum Chriſti feſtivitate, quàm quod eodem tempore, ex triumphato inviſo capite, in Gallias tranſmitteret monumentum. Irrequieta Legati Gallici in eventum Iudicij ſolicitudo, qui in conclavi Reginæ, aliquoties auditus legibus Polonis improperare, quæ Reges noſtros vinctis manibus regnare vellent. Referebant aliqui, & Cancellarij Regni Prazmovij, vel per arrogantiam impotens, vel per inadvertentiam ſcandaloſum dictum, quod à Iudicio redux adſtantes protulerat. *Iam quid timeamus (inquit) nihil ſupereſt, ne Sathanam quidem: uti eligamus Regnaturum qui placuerit nobis.* Nec tenor decreti in ſcripto, ut ſolet extraditus, ſed prælo imprimi juſſus; coacto Typographo, uti feſtis non parcens diebus, imprimendum feſtinaret. Deniq; ægre finita lite, Brion Gallus cum deſultorijs; alter Bonaubik Perſa cum leviorib⁹ turmis, in bona Mareſchalci immittuntur. Qui muturato abſceſſu diſcrimen prævenientem, dum non comperiunt, ultra hoſtilem modum in Colonos ditionum ſævière: etiam Nicolao Linowski Viro Nobili, bonorum Ianovecenſium III: conſortis Hæreditariorum Præfecto, enormiter trucidato. Plura tranſmitto quibus pro illo tempore, datis in publicum ſcriptis, amica manus & caſui indolens, indemnitatem Patroni tutabatur: nam & lautus dum in igne ardet crepat, & concuſſa tellus mugitum edit; quidni vir bonus honori conſulat, qui vitæ æquiparatur.

Conſequẽtia Iudicium.

Scandalosum dictũ.

1664. *Sic dum magni pœnas fortuna favoris, exegit à misero.* Comitia mox solùmmodo ad convictionem reatus tracta dissolvuntur. Tum demum nullitati actus zelosè Nuntijs se opponentibus, Protestatio-neq; illa Zabokliccij ex Actis Castri Radomiensis Authentice de-prompta; cum assidens in Trono Rex ad Ministros quibus circum-fusus. *Quidni (ait) ultra laborem operamq; perdimus, si in nos pro bono publico satagentes, tantùm malignitati licet. Rupta Comitia jam nunc fa-teor, ubi in pleno confessu Ordinum Regni, boni viri isti, ut fontem prote-gant, periculo gravissimi belli Patriam exponunt.* Iustus itaq; Regni Cancellarius, dissoluti actûs prolixè exponebat rationes jam patheticè in eos invectus, qui per factiones tranquillitati publicæ illuderent, jam dolorosa emphasi insinuans, adeo privatorum excrescere ambi-tum, ut se non modò supra æqualitatem Civium; verùm etiam supra Rempubl: locatos velint. Id patere sole clarius, repertis qui vel omnia sibi licere putant, vel alienis criminibus patroni, fonteq; pœ-nis subducendo, per rupturam Comitiorum in pernitiem Patriæ ope-rarentur. Non alio flagrantiori malignitati instinctu, quàm quòd Novicij solis ortum, in occasu Regnantis Principis, respicere inten-dant. Plura dixisset, nisi turmatim consurgentes Nuntij, Regiam manum de more osculaturi, Trono advolverentur.

Casimirus Rex dissolutam Comi-tia fatetur.

Mareschi: ex Regno secedit.

Quid Actum Varsaviæ per citos nuntios Mareschallus accipi-ens, ubi atrox Decretum in se prolatum intelligit, brevi deliberati-one prout res crepera poscebat, instanti flammæ abitu se eripere ma-turat; haud ignarus quàm affinia jus & vis vocabula forent, nec spe-ciem executioni defore in opprimendo jurevicto arbitratus, in quem summum Ius cum summa injuria conspirassent. Ergo per literas di-cto conjugi vale, (quæ tunc Łancuti commorata) in viam se Ianovecio alta nocte dedit, stipantibus latus amicis ac clientibus, sed ne-mine quo pergeret conscio, donec limitem Patriæ prærergressum, Vratislaviam peti constaret. Aderat tum ea in Vrbe, Georgius Comes Schaugotius, Generalis totius Silesiæ sub oberrantis nomine Præ-fectus, qui fortè prævisо tanti hospitis adventu, an Aulæ Cæsareæ Mandato? obviam progressus, honorificè excepit incognito veni-entem, ac Nomine Leopoldi Cæsaris in cujus ditionibus hospitare-tur, in ea sortis adversitate perhumanè solatus est. Nec Vrbs per-ampla omisit quidquam humanitatis, non modò ut nobilissimo exuli compatiens, verùm ut membrum Sac: Rom: Imp: venerata.

Vratislavi-am diver-tens.

De titulo Principũ Imp: Rom.

Siquidem (ut breviter attingam) Stanislao Lubomirski Pala-tino Cracovienſi Mareschalci Parenti, ob insignia in rem Christianã merita, præcipuè trophæa bello Chocimensi, ex Osmane Turcarum Imp: reportata, contuletat Ferdinandus III. Cæsar, titulum & di-gnitatem

1664. gnitatem Principis Imperij Rom: uti tantum heroem, qui adver-sùs Prædonem Orbis pro incolumitate Europæ depugnasset, velut inquilinum & contribulem Germaniæ faceret; emanato in id rei diplomate sub Annum Christi 1647. Cùm subinde in Polonia com-motis undique rebus, vel Palatinus eam dignationem in levi po-neret, cui sat honorum in Patria esset, vel deniq; interveniens mors ulteriores curas abrumperet; hinc factum, uti collata ea in Imperio dignitas, magis non sperni quàm acceptari posset: intermisso Prin-cipalis loci & ordinis usu capione, quam ibi sessionem an possessio-nem in stallo Principum Imperij vocant. Donec sepositam à Pala-tino Parente, eius honoris dignationem repetunt Filij, Alexander stabuli Regni præfectus, ac Georgius Mareschallus Regni Lubomir-scij Fratres, missoq; primò Francfordiam, sub Annum Christi 1659. dein Augustam Vindelicorum, quam Regenspurgum dicunt, ad Co-mitia Imperij, Stanislao à Brzezie Woienski Archidiacono tunc Pile-cense, sufficientibus ad id Mandatis instructo: demum & obtinent, Sacri Romani Imperij Principum, cum pleno titulo prærogativam. Ad Ius & honorem Mitræ Ducalis annuentibus Germaniæ Ordini-bus admissi & speciali diplomate, confirmante Imp: Leopol-do in gremium perauguſti cætûs per investituram recepti.

Lubomirſcij ablm. collato.

Hinc Vratislaviæ excipiendo Mareschalco honor,
alteram Patriam quam viro forti universus Or-
bis exhibet, facilè apud humanitatis
memores invenienti.

A. M. D. G.

ANNA-

ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTERIS TERTII, REGNANTE JOANNE CASIMIRO, LIBER IV.

Elenchus Contentorum.

A. CH. 1665.

AD pacandos motus iterata Ordinibus indicuntur Comitia. Incipit Annus à supplicio in milites Lithuanos, cædis Gasieuij reos; & jam ante Sententiâ Iudicij damnatos. Hilaria mox nuptiarũ Aula agitat. Moschi ad Regem legatio. Per Vkraynam turbæ sedulitate Czarnieckij comprimuntur. Quæ inter morbo ille tentari cæpit, ac valetudini consulturus, dum ex Vkrayna abit, in itinere moritur. De stirpe Czaneciorum, & Palatini fortissimi Herois qualitatibus pleraq; Hunc consequitur Ioannes Zamoyski Palatinus Sandomirtensis, fato functus. Comitia Varsaviæ inchoata, mox dissoluta. Reconciliando Regi nihil intentatum à Lubomirscio, qui demum spe omni placandæ Majestatis

statis præcisa, innocentiam suam variis scriptis manifestam facit. In 1665.
contrarium Aula, universalibus literis perduellem & jure damnatum declarat. In Poloniam mox regressus ille exponit reditûs sui causas. Exercitus ex Vkrayna avocatur, cujus pars potior Regi adhæret; altera conflato Nexu obsequium exeutit. Wierzbowski Siradiensis Palatini obitus. Episcopus Cracovienſis Trzebicius mediationem Lubomirscij cum Rege suscipit: quâ mox irrita ad arma Civilia utriq; se vertunt. Cracovia Regio Præsidio firmatur. Boguslai Ducis Radivilli, cum Nepte ex Fratre Matrimonium. Casimirus Rex in Basilica Cracoviensi Sacellum erigit, condendis mortalitatis suæ exuvijs. Zorawski Mathematicus diem obit. Grodnæ Convocatio Ordinum Lithuaniæ. Rex Varsaviâ cum Regina movens, à milite in obsequio manente per Nuntios salutatur. Etiam à Nexu adsunt, sed exesse jubentur. Apud Ravam Castra Regia, sed molesta nimium Incolis, ob Lixarum direptiones: hinc in Regem ab injuriatis querimoniæ. Etiam Lubomirscius præsidia causæ parat, ac submontano tractu elactatus Nexum sibi adjungit. Cum quo tranato Vistulâ, Czestochoviam iter convertit. Apud Regios nulla disciplinæ Castrensis curâ, passim oræ quibus ibatur desolantur. Dankoviæ ab Episcopis tentatur negotium paciscendi; ad oppidum Czestochowa Regij in Lubomirscianos incurrunt. Opponunt isti Signa, ac peracri certamine inito, Regios superant. Quo transacto protinus in viam se dant. Lubomirscius captivos familiariter tractat, ac liberè dimittit. Nuntius cladis prandenti Regi allatus, qui propere loco versus hostem movet. Ab Hano Crimensi internuntius. Etiam à Tetera Præfecto Cosacorum. Rex Callisium tendit, cui in itinere à Tribunali Regni Delegati, pro suspendendis armis supplicant. Etiam majoris Poloniæ Nobilitas, desolationem oræ suæ deprecatur. Ast nullo postulati effectu, sub Signa coëunt, quo securitati larium consulerent. Sub hæc persistit mediatio. Scepusiensis Præfectus, molliendo Reginæ Ludovicæ animo, à Patre mittitur. Majores Poloni militaribus injurijs exacerbati Confœderatis junguntur. Tandem Mediatorum interventu, apud Palczynum in stipulatum verbalem deducta pacificatio, quæ tamen arma magis suspendit, quàm diremit. Tractatu finito, Regem excepit Thoronium. Metropolitæ Kijovienſis tum Chmielniczenkij ex detentione eliberatio.

QVasi parùm esset, fervente per Vkraynam Rebellione, ac ruptis cum Moscho Pacis Tractatibus, gemino bello Rempublicam implicari; consurgebat enimverò & tertium, gravius ac periculosius prioribus, quod Civile haud immeritò dixerim: per interna disidia, & exulceratorum animorum collisiones, repertis domi partibus, sub Executionis rei judicatæ prætextu, & op-

 pressæ

1665. preſſæ innocentiæ titulo. Hoc ſymptoma, nondum revaleſcentis Poloniæ poſt anteacta bella vires, graviſsimè afflixit; hoc veternum torporem induxit, vti de fervore belli gerendi in hoſtes externos remitteremus; percommodè tunc veteres Patriæ limites injuriâ ademptos recuperaturi: imò quod majus, ea labes denigravit intaminatam Gentis noſtræ famam, quâ ab ævo Nomen Polonum floruit inclytum, in Regnantes fide, & Majeſtatis ſibi per libera Suffragia lectæ obſervantiſsimum. Ejus motûs occaſionem ſupra recenſui; cui cauſa adſcribenda ſit, haud perinde affirmem; niſi quòd plures cenſerent magis decuiſſe Majeſtatem parcere delinquenti, quàm crudo juris obtentu proterere ſupplicem. Lubomirſcius etenim etiam tunc Principis gratiæ omni poſsibili modo reparandæ inſiſtens; donec ubi tam externorum Monarcharum interceſsione, quàm univerſæ Reipubl: ſupplici prece haud impetrabilem advertit, tum demum quod & natura brutis, & ratio Barbaris ſuggerit, ad modos inculpatæ tutellæ verſus, præſidia innocentiæ, & periclitanti capiti contra vim apparare cæpit. Ad quæ ne deſcendere neceſſum foret, ex voto & ſuaſu melioris partis Senatûs ſtetit, quominus publicæ tranquillitati quoquo modo ſtatuminandæ, per Poſtcomitiale Sen: Con: deliberationes inſtituerentur; ubi ut quiſq; Senatorum ad propoſita capita, quid ſentiret aperiebat. Hic aliqua internos motus ſopiendi mentio, ſed mentio tantùm, & in ſpeciem diſcurſûs, non adeo operoſo paciſcendi negotio, ſi modò præconceptis offenſionibus abolitis, honores quibus privatus reſtituerentur; vel in parte ſaltem, cùm ipſe Clava Campeſtri in victimam ultioni ſponte decederet. Etiam Rex mitiora non abnuere creditus, præcipuè Sacri Ordinis Senatorum evictus precibus, unde ad iterum indicenda Generalia Comitia aſſenſum facilis præbuit, pro die xjx. Februarij celebranda. in quibus pro reconciliatione ſolùm offenſi Principis ageretur, ſi modò revera ſupplex Lubomirſcius, non ampliùs irritaret ſcriptis factiſq; Majeſtatem; ac extra fines Regni tantiſper agens, expectaret gratiam gratis dandam, non elatione aut minis à Rege ſuo extorquendam. Vnde ſpes pacandi diſsidij, ante alios promovente negotium Cracovienſe Epiſcopo Trzebicio: ſimul Rege, ubi ſemotis arbitris, agit egregium pro pace & Repub: zelum, non obſcurè monſtrante; ubi domeſticis conſultoribus auſcultat, facilè ueteres iras odiaq; reſumente.

Civilis in præſens motûs unde origo.

Lubomirſcius ſe ad tutionem parat.

Interim ex Sen: Con: indicuntur Comitia.

Sub eos Aulæ fluxus vel refluxus, tragico exordio annus cæpit, raptis in ſupplicium cædis reis, Gaſievij Theſaurarij & Campeſtris Lithuaniæ Ducis, & jam ad capitales pænas conventionalis Decreti ſententiâ ante damnatis: plures publico carcere tenebantur, quorum

Percuſſorũ Gaſievij ſupplicia.

quorum aliqui jam naturali morte pænam anteverterant, alij per Iudicium ubi innocentes patuit abſoluti, nunc quos convicerat Actrix ſanguine noxam eluebant. Die v. Ianuarij clauſis portis, non modò adſitum Prætorio forum Varſavienſe Stationarius miles occupaverat; verùm & platearum anfractus & privatarum ædium veſtibula armatorum globi inſedêre. Eminebat ante Prætorium ſex palmos à terra pegma, circa quod agmine inſtructo Pediratus curioſam ſpectatorum turbam arcebat; adeo pleriſq; ſpectandi avidis, ut uelut erepturi juſtitiario hoſtiam, ſe intruderent. Tum demum feralem ſcenam incæpit Chriſtophorus Niewiarowski, provectæ Virætatis, à primis annis per militiæ gradus ad Tribunatum in Exercitu Lithuanico evectus: promiſsâ in pectus barbâ, ac concolore caniciei ex albo holoſerico veſte ſpectabilis. ſequabatur Conſtantinus Kotowski Regiæ Loricatorum Cohortis dudum Optio, media ætate nec illaudatâ antehac militiâ perfunctus, niſi nimium in Nexu licêre ſibi putâſſet. Additi complices alij, qui ex demerito omnes, manu publici Miniſtri obtruncati interîêre. Magna omnium in ſenem Niewiarovium commiſeratione, quem non enixè requirentis Majeſtatis interpoſitio, non inſtantes Senatûs preces, imo nec in brevi valedictura mundo ſenectus, pœnæ eximere valuit: interempti Gaſievij Conſorte, ad parcendum difficili; uti has manibus atrociter cæſi Conjugis daret inferias, ſanguinem pro ſanguine repoſcente. 1665.

Mox funeſto ſpectaculo, quæ rerum humanarum viciſsitudo eſt, hilaria ſuccedebant. Ioannes Wielopolski Præfectus Becenſis, jam Patris Caſtellani Woynicenſis, in Senatu autoritate validi, jam ſua ipſius indole & egregijs qualitatibus, in directione Collegij Equeſtris Comitiorum Anni 1661. monſtratis, commendabilis, in conſortium tori adſumebat Conſtantiam Komorowska, olim Caſtellani Oswiecimenſis Komorovij filiam: Virginem ſeu formæ venuſtate, ſeu decentiâ morum, toto Reginæ Gynæceo præcellentem. Stirps ea Komoroviorum, de armis Korczak ex Hungaria originem deducens, peramplas inibi olim poſsidebat ditiones, magnis ſemper meritis & honoribus, tituloq; Comitum in Orava & Liptow inſignita. Aſt ubi Reges Poloni ſceptris Hungariæ aliquoties admoti fuêre, deguſtata Polonæ libertatis dulcedine Komorovij, non amplius cum fato Regnantium veterem Patriam repetebant; mallentes in libero ſtatu novam ſortem, & labore quæſitas opes, quàm ad veteres & dudum partas facultates, in Hungariam reverti. Hinc Komorovij dicti, velut in Polonia inquilini eſſe mallent, quàm Patricij Pannoniæ. Actus Nuptialis ſolenni pompa & celebritate expeditus; Ludovica Regina monſtrante, quantæ curæ ſibi credita Polo-

Hilaria Nuptiarũ Præfecti Becenſis.

De Komoroviorum Familia.

1665. norum pignora forent; etiam Caſtellano Neoſponſi Parente, Regalem prope magnificentiam Majeſtates tractante, non ſumptu modò & exquiſitis Convivijs, verùm & donorum opulenta largitione. Hinc poſtea evenit, ut Comitatus Zywiecenſis, olim Domûs Komoroviæ hæredium; ſed à Regina Pol: Conſtantia, Ioannis Caſimiri matre, pro apennagio Filijs còémptus, quod redimendi cautio in contractu appoſita foret; ab eodem Wielopolſcio, Vxoris nomine repoſita poſthac ſumma, ex Regia poſſeſsione vindicatus poſtliminio, ac juri terreſtri redditus eſt; portio hæreditatis opimæ, cum uſu fructu percommodo.

Comitatus Zywiecenſis mentio.

Ad publicata iterum celebrandorum Comitiorum Vniverſalia, omnium benè Patriæ cupientium ſpes & vota inſurgebant; cùm & Aula velut deſpumante iras per temporis intervalla animum, non omnino præſeferet implacabilem; & potior pars Senatûs maximè Præſules nullo ex Vrbe diggreſſu, hîc actum Comitialem mitiora ſuadendo operirentur. Iamq; plurium in meliorum expectatione ſpes erant, cùm vagus primo rumor, dein certior aſſeveratio attulit detractos Lubomirſcio honores, eoſque omnes inter præpotentes æmulos jam diſtributos: nempe Clavam Campeſtrem Palatino Czarnecio; Virgam Marſchalcalem Illuſt: Vexilliſero Regni; Præfecturam Cracovienſem Michàéli Zebrzydovio Regni Enſifero ceſsiſſe: alijs alia quæ maturata privatio, ut ad injuriam ſpoliato Civi relata, ſic pro innocente nitentibus Provincialibus, prægravis admodum ex contemptu dolor, oriebatur. Fama fuit nihil magis perdolitum Lubomirſcio, quàm deſtinatam Enſifero Regni Zebrzydovio Arcis Cracovienſis Præfecturam. Erant iſti vinculo propinqui ſanguinis nexi, (quippè Zebrzydovius Lubomirſciâ genitus) æquales annis, pares qualitatibus, nec utriq; diſpar majorum claritudo. Sed indole planè diſsimiles, & ut ab ineunte ætate diverſi ſtudijs, ſic in provectiore ſejungente antipathia aliqua, penitus animis diſsidebant, præſertim accedente ſtimulo invidentiæ; cùm Lubomirſcius continua praxi ad Remp: admotus, proſperâ famâ & gradu uteretur, alter ſequiore valetudine, ac perpetuâ podagrâ vexatus, eò quò prior, eniti non poſſet. Hinc inter conſobrinos ſimultates, & continuata odia animitus gliſcebant, emergente recens occaſione aucta, quòd Mareſchallus dum adhuc in Aula præpollet, Carolum Ducem Czartoryski Zebrzydovij Generum, nullo affinitatis reſpectu, ab aſſequendo Succamerariatu Cracovienſi, quæ primaria municipalis dignatio eſt, arceret. Gnarum id Aulæ, proin animis repugnantes quo magis committeret, Zebrzydovium renuntiatum jam Minoris Poloniæ Generalem, in adeundam ejus Præfecturæ poſſeſsionem quantocyus exſtimu-

Diſtributio honorũ Lubomir.

Eius cum Zebrzydovio ſimultates.

1665. exſtimulat, ingreſſum in Arcem ſublata omni mora ſuadet, & niſi virum ſe in accipiendo, quod Rex præſtat beneficio oſtendit, fore mox alium, qui gratiori animo & promptitudine oblatum honorem acceptaret. Ergo vocatis Zebrzydovius Amicis conſilium exquirit; ſuam ipſe valetudinem, tum arctæ neceſsitudinis vincula, etiam illegitimè abrogatæ dignationis injuriam, altius expendens huc flexit. *Nec (inquit) voluntati, nec munificentiæ tribuentis Principis refragari licet, certè ſpernere oblatam gratiam nefas fuerit; ea tamen conditione accipere ſe, ut haud gravatim reſtituam privato, ſi ita è re Patriæ videbitur. vel ſi interim mors occupat, quidni fato meo reſignẽ per iteratam Collationem autori ceſſuram functionem? liberis utiq; maſculis in quos transferre poſſim careo, & fracta valetudo extrema prope eſſe admonet, quibus ſatius de tumulo, quàm titulo providendum.* Ergo maturato ingreſſu in Arcem Regiam intrat, Officium Caſtrenſe veteri amoto de novo inſtituit, juriſdictionemq; capeſsit, ac quod ejus muneris eſt exequitur. Sed admodum raro applauſu acceptus, imò exprobratione & murmure haud tacito Nobilitatis; ſed quæ mox ſtudia aſſenſu & toleratione ſopirentur, quia ſic viſum ſuperioribus. ea humani ingenij imbecillitate, ut ubi mirari & timere deſierint, vituperata laudent, & pro rato demum accipiant, ad quæ nuper flagrantiùs excanduiſſent.

Zebrzydovius de accipienda Præfectura deliberat.

Propalato Lubomirſcij caſu & Patriâ abeuntis exilio, conterminæ Gentes pro paradoxo accipiebant, quomodo in Primicerium liberi Regni, tantum fortunæ licuiſſet? præſertim in devincto legibus Statu, curioſa rerum noſtrarum indagine pleriq; externorum, cognoſcendi deſiderio tenebantur. Sed præcipuè volupè Moſchis, noſtro inter ſe digladiantium infortunio erigi, ac eo velut domeſtici belli obice dirimi hoſtilitatem, vireſq; dudum ipſis formidoloſas: donec ex nupera impetitione percommodè reſpirantes, depreſſam repararent potentiam. Quovè penitiùs ſtatum rei inveſtigarent, ſubmittebatur Internuntius, in Aula noſtra ante verſatus ille; imò verſutus cognomine Neſtorow, qui Wiazmæ aliquantum ſubſtitit; donec literis ſalvi conductus (ut vocant) ab Aula miſsis, Varſaviam permittente Rege veniret. Is recondito altiore conſilio gratulatus Regi, quòd ſepoſitis curis belli, ad ſtudia ineundæ concordiæ cum Gente Moſchorum inclinâſſet; prolixè bona pacis cum incommodis armorum comparans, huc demum flexit, etiam Mag: Ducem ſuum, à Sanguine Chriſtianorum fundendo omnino alienum eſſe, & amicitias omni meliori modo retinere velle: ſi modò deſtinati ad tractatus pacis Commiſſarij, in locum aſsignatum redeuntes, ſepoſitis verborum altercationibus, bona & reali fide pacem inter utraſq;

Moſchi Internuntij adventus.

1665. Gentes, confectis ritè tabulis, ſtabilirent. Id ſuum Magnum Dominatorem flagrantiſsimè cupere, firma ſpe & voto ſimilia ſuæ Majeſtati placitura. Simul centum ferè captivos, pro teſſera benevolentis animi erga Sac: Reg: Mai: in libertatem aſſertos ex Polonis Lithuaniſq; à Mag: Duce offerebat; qui jam Wiazmæ in procinctu itineris eſſent, donec de neceſsitatibus viæ provideretur. Nec quicquam amplius ex Commiſſo adferebat, qui dum ultra morem & ingenium gentis, pleriſq; Externis per officium ſalutandis ſe impendit, aut per ſuos cum mercatoribus in arcano, quaſi de commercijs tractat, redargutus eo nomine à ſuſpecta officioſitate contineri debuit: identidem commotior verbis, quòd ex immenſa Mag: Ducis ſui beneuolentia plurimos captivos in libertatem aſſertos deducens, ipſe interim iniquo talione in Polonia planè captivus haberetur.

Eiuſdem-met Officioſitas.

Ukraynenſia.

In Vkrayna, ut irremiſſo labore curiſq; exercitam æſtatem, ſic inter continua pericula hyemem Duces Poloni exegerant; turbida paſsim plebe & omnino pacati ſtatus, niſi pedetentim adigitur intolerante. Solatio erat Sierkonem, veteranum Coſacorum Ductorem, tamdiu à noſtris ob metum Scytharum (quos ille cane pejus & angue oderat) alienatum, in partes pertraxiſſe: per veterem Sodalem Hanenkum adpromiſſa Regis gratia, & donec conciliatur Scy his, ſecura protectione. Eum quia pugnacem, & plurbus in hoſtes experimentis ſtrenuum, Coſaci turbis Ducem deſtinabant, niſi meliùs conſultus, ac breues inconſtantis vulgi favores peroſus, unde potiores eſſent, & ipſe hùc verteretur. Neq; tamen deſidebant motus, & inter plebem armatæ coitiones; ex occaſione Stativorum vel maximè tumultuantem, in quæ locatus miles, dum alimonia precariò ab Incolis oppidorum haud impetrat, adhibita vi recipiebat ea, ſine quibus vita tolerari non poteſt. Irrequietæ ob hæc curæ Czarnecio, ad cuncta, ſine ullo tum ætatis, tum quietis neceſſariæ reſpectu invigilanti: unde continuo labore fractus extrema provocaſſe, otij impatiens credebatur. Duo maximè afficiebant. Stawiſzczorum retecta iterum conjuratio; ac Sebaſtiani Machowski Legionem, ad diſturbandos Rebelles miſſam, à Coſacis malè mulctatam, cum quibus ſubitario congreſſu, ducentos ferè è ſuis cæſos Machovius amiſerat. Ergo Palatinus dies noctibus jungens ſumma celeritate Staviſzczyos advolat, ac in ipſo facinoris procinctu oppidum ingreſſus, conjurationis autores inveſtigat, cùmq; mox totus municipij incolatus conſcientiâ perduellionis ad arma conclamaret, advertens anteacta plaga incorrigibiles, ferociam armis cohibet; turbonibus ferro domitis, datoq; in prædam Militi oppido; qui demum ſubjectis flammis reſiduum cremaverat, quod

Sierko noſtris adiũctus.

Machovij velites à Rebellibus diſperſi.

quod à priori incendio integrum manſit. Etiam Palatinus Ruſsiæ Jablonovius, cum adjuncto agmine Wdowiczenkum Rebellium anteſignanum, apud Kislak municipium nactus diſperſerat: Coſacorũ plurimis quibus fuga perculſis deſerere pignora nefas eſſet, vel ferro abſumptis, vel ultro ſe dedentibus.

1665. *Czarneciũs edomat Staviſzczyos.*

Interim fata (Chriſtianè accipi velim) aliud deſtinabant. Siquidem Stephanus in Czarnca Czarniecki, Palatinus Kijovienſis, ejus belli & plurium Dux clariſsimus, ætate provectior, (quippe ſexageſimum ſextum ætatis annum ſupergreſſus) in morbum inciderat; diuq; ſecum ipſe luctatus quominus vim morbi firmitudine animi excuteret, ex febri periodica ſenſim increſcente ægrimonia, male habere cæpit. Vnde de regreſſu in Patriam ab amicis monitus, ubi & copia medendi peritorum, & juvandæ ſanitatis fomenta præſtò haberentur; inter arma enutritus Heros, recuſabat omnino digredi ex ſtatione, contumelioſam cenſens commiſſam Regiminis ſpartham, imbelli prætextu juvandæ valetudinis deſerere, donec tandem ſubductis rationibus; primò ſpecie quietis ad feudum ſuum Illencios divertens; inde in citeriorem Poloniam cogente dum invaleſcit morbo, iter inſtituit. Fortè factum, ut in itinere obvius ei tabellio publicus, literas à Rege redderet, ſimul & Privilegium, quo renuntiabatur Dux Exerciruum Regni Campeſtris: quibus ille lectis ad aſtantes infit. *Vtiq; non ſemel futurum fore prædixi, me tunc Clavæ regundi Exercitus admovendum, ubi viribus deſtitutus tractando ferro impar ſum: ſi tamen à propitio cælo aliqua ſpes vitæ longioris affulget, meherculè enixurum, ne pigeat collati muneris Principem; quod ſi vitæ filum abrumpitur, etiam pro additamento ſepulchralis elogij, præſens Majeſtatis beneficium eſto.* Tum ultra pergens, Dubnam ſe Wołhyniæ Fortalitium deportari juſsit, quippe cum nec equitare, nec carpento vehi morbus pateretur, ſandapilam ſuccollantes equi portabant, donec exili rure Sokołowka dicto, invaleſcente ſymptomate ad extrema adigeretur. Itaq; nullo hîc prædio, in ruſticam caſam receptus, ac obiter percunctatus quanti Dubno diſtaret? accerſito Patre Dambrowski Soc: Ieſu Præsbytero, dudum ſibi bellis Sueticis & Holſaticis conſcientiæ moderatore, apud quem recenſitis Chriſtiano more vitæ noxis, ac ſequenti die, quòd Hoſtia niſi de mane confici poſſet, Sacro Viatico munitus, in viam univerſæ carnis ijt in ſua reſolutus principia. Inſigni fragilitatis humanæ documento, ut qui nominis claritudine, ac rerum geſtarum gloria, planè Orbem Europæum impleverat, jam nunc celebratiſsimam illam tot trophæis victorijſq; animam, vili tugurio clauſus emitteret. Notabile eſt, extremis imminentibus equum ſcutulatum verſatilem

Extrema Palatini Czarnecij.

Illẽcios divertit inde in Poloniam.

Extrema ad ſocios verba per viam.

Chriſtiano more vitam claudit.

1665. satilem illum, & cursu pertinaci, quo in bellicis occasionibus præcipuè usus; juxta se ubi decumbebat in atrio locari præcepisse; sæpius commonito agasone uti curam ejus non remitteret. Res mira? irrationale jumentum quasi Domino compatiens, pabulum omne abdicat, pedibus solum quatit, dolenter immugit, venientes aut exeuntes respectat, ac velut rationis particeps, suæq; jacturæ præscium, imminente Hero periodo novissima se in terram prosternit, ingemitq;, quasi sessori suo commoriturum. Sic & hic finijt raræ fortitudinis Heros, vix credibilis celeritatis bellator; ac velut ignem pro anima aleret, in pericula æstu Martio ferventissimus: dignus enimverò quem perennis memoria posteris traderet, celebraret Patria & virtute bellica cum Decijs aut Scipionibus Romanis componeret. Nuntiata mors grandi dolore Poloniam affecit, sed Rex Casimirus præcipuè alterari visus, orbatum se eo viro dolens, in quem omnis Aulæ favor, Ministrorum inclinatio, imò eo turbine rerum Majestatis fiducia vertebatur: hinc plures teneriùs abreptum dolebant, sinceris lachrymis, & angore vix consolabili. Genus illi è stirpe Patricia, pro stemmate navim cum Opalinijs communem gerente; Pater Stanislaus in Czarnca hæres, Mater Rzeszovia: vel hoc uno Filio sat laudum habituri Conjuges, nisi rara fœcunditas accederet, quæ duodecim Filiorum, & unius fœmellæ Parentes perfelicia puerperia prolis solatio, ultra commendatam Iacobi Patriarchæ felicitatem, extulisset. Filij vivi omnes & superstites; quinq; in Tribum Leviticam consignati, Deo famulaturi: septem ad vitam Civilem traductis studijs, omnes armis & vocatione Equestri claruêre. Quippe Paulus, diu Militiæ Cæsaris Ferdinandi III. adscriptus; finito demum bello Suetico, in Melitam Insulam perrexit, ubi bello cum Turcis apud Caneam gesto probata dexteritate, ad ordinem & jus Equitum Melitensium, quos ex antiquo Cavalieros S. Ioannis vocant, admissus fuit. Martinus exotica militia cum laude perfunctus, in Patria præsidio Codacensi Præfectus, dein Equitatus Germanici Colonellus. Petrus obsidione Claromontana; alijs alij expeditionibus nomen adepti. Sed extulit fama præ fratribus Stephanum, qui per omnes militiæ gradus, ad Tribunatum Legionis Lubomirscij Palatini Cracovienſis evectus, demum turbine rebellantis Vkraynæ biennij carcerem apud Cosacos sustinuit. Vnde pactis ad Zborovum initis liber, acriori ab infortunio impulsu, ad arma ivit ignis in morem, qui flatu ardescit, aut pilæ motu instar, repercusso velociori. Post cæsum Batoviana clade Samuelem Kalinovium, Præfecturam castrorum delatam accepit, quod militare munus, ne non sicca manu caperet, trajecta apud Manasteriszcza globo per utramq;

Equus Hero condolet.

De stirpe Czarneciorum.

Insignes Palatini qualitates

utramq; genam facie, non indignum se munere Castrensi cruentatus ostendit. Ex Castellano dehinc Kijovienſe, obsessæ à Carolo Sueco Cracoviæ Gubernator, Palatinam Terrarum Russiæ dignitatem obtinuit: mox Kijovienſi curuli immortuus est; addita clava regundi Exercitus, quam tamen morte præventus non adivit. Alioquin insigni aliquo merito aditurus, cùm eximiæ boni Ducis artes adessent. quidni enim malè imperaret, qui semper promptè parere didicerat. Felicitas à virtute, fortitudo ab animo, utraq; à Deo fuêre; autoritatem rigore disciplinæ sanciuit, venerationem strenuitate assecutus est: cùm quæ juberet discrimina, præsens ipse, imò prævius occuparet; non proprij sanguinis parcus, qui alienum prodigi vellet. Etiam nævis uti homo non caruit, ob cædem Wyhovij maturatam traductus, Sacricolasq; Græco-Russos asperiùs habitos; etiam in privata commoda attentus & vigil, ut ne campanis quidem per delubra Vkraynenſia parceret; vel in machinas reflando, vel Illencios remittendo. Iam in militem ut nullo respectu durior, & segni in necessaria provisu; dum laborem intendit, mercedem omittebat, crebrò dictitans: faciliùs eum continuo actu lassatum, quàm otio calcitrantem tractari. Vnde raræ inter legiones ejus turbæ, nisi dum per absentiam Ducis contagio insanirent. His meritis celebritas nominis respondit, non per Borealia tantùm Regna, & abstrusos Septemtrionis recessus; sed toto quâ latè patet Christiano Orbe diffusa fama: quinimo Scythis gente barbara, tanti Herois fato indolentibus. Masculæ prolis expers, in geminas filias ex Kobierzyccia conjuge genitas, successionem nominis & bonorum transmisit: quarum alteram Ioanni in Ruscza Branicki Curiæ Marescallo; alteram Leszczynio Palatino Podlachiæ vivens elocaverat. Non usq; injurio Cælo, quòd filium negaverit, crebro degenere celebrium virorum fœtu, ac Magnatum filijs noxis: ut & Scipionem Romanum pudefieret successoris indoles, & Georgij Castrioti, bellacis alioquin Ducis, famam obscuraret nati imbellia. Post eum dignitas Palatina Kijovienſis Michaëli Stanisławski cessit, haud occulto aliquorum murmure, premi innocuos ut attollantur nocentes. Præfecturæ in generos collatæ sunt, præmium meritorum, aut vadimonium futuri. Hæc de Stephano Czarniecio, celebri donec superstes Polonia bellatore, prolixiùs memorata; excusabit vel historiæ lex, ne virtutes sileantur, vel pietatis officium in gratiosum sibi pluribus stipendijs Ductorem.

1665.

Honores gesti.

Qualitates.

Etiam nævi.

Masculæ prolis expers.

Post Czarniecium brevi supremis funeris extulit Patria, Ioannem de Zamoscio Zamoyski Palatinum Sandomirienſem. Is domo inter honoratas Regni, tam veteri, quàm potenti, ex Sariorum Stem-

Hunc consequitur Zamoyscius.

1665. mate, Ielita nuncupato, proceſsit: facultatum vi & ſplendoris domeſtici congerie ea; ut quibuſvis majorum gentium Principibus, haud injuria compari poſsit. Claritudinem nominis opeſq; primus in Familiam intulit Ioannes de Zamoſcio Avus, Archicancellarius Regni Poloniæ, idemq; Exercituum Dux Generalis; pari ad utramq; functionem Minerva ambidexter, & tam in toga cuiuſvis prudentis conſilij autor, quàm multiplicium in ſago triumphorum Reip: pararius: admodum rara in uno ſubjecto qualitate, & fidum Miniſtrum Throni eſſe, & egregium ſimul Ducem belli agere. Certè compendium laudum eius, ex Gallico ſcriptore recenſet Piaſecius, in hæc verba. Sciet olim quem habuerit Ducem Polonia, ſimilem quando habitura ſit neſciet. Ex eo natus Thomas, itidem Supremus Regni Cancellarius, qui ex Duciſſa de Oſtrog Ioannem nunc defunctum ediderat, in quo celeberrimæ Lineæ Colophonem fatis ponere viſum. Geminas item filias reliquit: quarum major Hieremiæ Duci in Wiſniowiec Terrarum Ruſsiæ Palatino; junior altera Alexandro Koniecpolski Regni Vexillifero enupſerant; prognato Michaële Rege Poloniæ ex priore, cùm Koniecpolſcia unicum etiam filium edidiſſet, in quo ramus Stanislai Koniecpolski Caſtellani Cracovienſis ob ſterilitatem nepotis defecit. Cæterùm Ioannes Zamoyski Palat: Sandomirienſis, acta apud politiores nationes juventa, avitæ æmulus gloriæ, per arma clareſcere ſatagebat, ſemper in bella alacris & præſens. unde honorarijs Cohortibus privato ſumptu autoratis, rareſcentes Exercitûs copias notabili acceſſu ſupplebat, ac militares viros circa ſe fovens, magnas ſpes excitabat, ſi modò conſtaret vita, majorum virtutis & claritudinis ſuſcitandæ. Aderat magnanimitas, liberalitas, conatæ Zamoſciæ ſtirpi qualitates, idem acceſſu comis, convictu facilis, niſi plus indiſcretæ humanitati tribuens, quàm valetudini expediret, dum labefactatis per crebra convivia viribus deficit, vitâ demum abiret, præcoci fato ſublatus. Tertius ſtirpis ab Ioanne Avo, & ultimus Lineæ ordinantis Succeſſor. Devoluto poſt bonorum ordinatorum Feudo, in collateralem ramum Martinum Zamoyski Subdapiferum tunc Leopolienſem; ſed qui poſtea per varios dignitatum gradus, ad ſupremam Ærarij Præfecturam evectus, utramq; hiſtoriæ paginam implebit annis ſequentibus.

Claritudo generis Avo Cancellario.

Et Patre itidem Cancellario.

Indoles & qualitates

Circa ea funera, non ſat fauſto ad reaſſumenda Generalia Comitia ſidere itum eſt, jam malè iſtis ominante populo, & uſitata phraſi in anteceſſum *Requiem* canente, facili de eventu conjectura, haud quaquam ſperandam concordiam, ubi & injuriato præciſæ ſpes ablata reſtituendi, nec Principi tantùm facultatis ut iterum recipe-

Comitia iterum.

ret, quæ

1665. ret, quæ jam feſtinanter inter potentes æmulos diſtribuiſſet. Certè ea Comitia, quòd intra menſis ſpatium geminarentur, aliquis columbini generis vocavit; quæ aves intra menſem parerent, fætu quidem præcoci, ſed imbecillo nec durabili. Repetebant in his nonnullæ Provinciæ Regni poſtulata, uti Nuncij Terreſtres, pro Lubomirſcio Majeſtatem deprecarentur, tollerentq; eum offenſionis lapidem, imò publicæ diffidentiæ inter Ordines cauſam, non alio medio in hoſtem externum reparandis viribus, niſi Civilibus ſublatis diſsidijs reinduceretur univerſalis inter Status unanimitas. Neq; ſolùm vota deprecantis Patriæ pro Exule aderant, etiam externi Principes fidentius interpoſitionem ſuggerebant; enixiùs inde crudeſcente odio, quo majoribus nominibus Exul in reconciliationem uſus, niteretur: velut Principem indeprecabilem, ac nimij in Subditos rigoris apud Exteros traduceret. Vnde in reſcriptis literarum univerſalium, exagerabantur hyperbolicè Lubomirſcij crimina, ipſeq; idem omnia noviſsima meritus deferebatur. Vbi cæpta Comitia diſquirentibus anxiè Nuntijs cui nam virga directrix eius Collegij committeretur, Antonius Chrapowicki è Lithuanis Succamerarius Smolenſcenſis ſublectus fuit. Collegis quidem eligentibus, aſt hunc & non alium ex beneplacito ſuo monſtrante Aula, obnoxium ſuffraganti, & memorem per quem deſtinaretur. Ejus actus ſolennitates ſingulatim referre ſuperſedeo. certè importunas altercantium voces oneroſum fuerit; eo tantùm ſubjuncto, ubi perſpectum conditas ſubinde offenſas, jam tunc in ſpeciem premi, ac conſilia privatim non erigendo ſupplici, ſed deprimendo agitari, juſtus omnes dolor ex ſpreta totius Reipubl: interceſsione perſtringebat. Vnde meliorum partium Senatores demiſsis animis, rariùs in Curiam veniebant, qui veniſſent ſuſpenſo (ut ajunt) naſo ſilenter agentes. Nuntij quinetiam diu inter ſe controvertentes, demum in Senatum vocati, dum Aula poſtulata Ptovinciarum infra ponit, iſti quoq; diverſas materias intrudentes, nihil explicitè ad Propoſitionem à Throno reſpondebant; etſi Caſimirus, per ſcriptum ad Archivum datum, verbo Regio & ſubſcriptione ſua firmatum, ſequentibus Comitijs compenſationem ablatorum Lubomirſcio adpromitteret: dilatio tamen ea, per quam pateretur juſtus, & interim affligeretur Regnum, pleriſq; diſplicuit; velut ideo tantùm per morarum ambages procraſtinata indulgentia, donec concepta odia æmulorum præſenti ex oppreſſo Cive vindicta ſatiarentur. Sic dum nihil agendo tempus diffluit, Vladislaus Łoś Dapifer Płocenſis, idemq; Chełmenſis Palatinatûs Nuntius, veniam dicendi aliquandiu poſcens nec obtinens, imò verò à Prazmovio Majore Cancellario uti ſileret

Iterũ pro reſtitutione Lubom: agitur.

Director Cœtus Equeſtris.

Comitijs cõcludendis remora.

Diſſolvuntur Comitia.

inter-

1665. interpellatus, & junior ipſe annis veteranis ante ſe promendæ ſententiæ locum daret, tanquam in levipendium ſui prolato dicto offenſus, facta ut moris reclamatione, ſub prætextu liberæ vocis ſibi negatæ, Comitia ſolvit. Rara quidem ex eo facto laus, imò certa Patriæ pernicies, ſi quæ ſtudio omnium ac indefeſſo labore promota conſilia, unius pertinacia abrumpat. Vnde non abſurdè aliquis, in tam licentioſum publicorum conſiliorum ruptorem, brevi proluſerat diſticho.

Peccata in Cælum clamantia ſunt tot apud nos.
Quotquot reclamant Nuntij Varſaviæ?

Hactenus Comitia: certè plures Legati Externorum aderant, Moſchi ad continuationem cæpti tractatus; Chani Crimenſis ad proſequendum contra Moſchos bellum invitantes. Legatus Gallicus, jam poſt ſoluta Comitia ſeriùs veniebat. Is erat Petrus de Bonze Monſpolienſis Epiſcopus, eo rerum ſtatu non ſat gratus Poloniæ hoſpes, ubi æſtuat malè ſopitis factionibus Aula, & abrogata illa per legem Electio, etiam tunc reviviſcere crederetur; quod tunc artibus Gallicis imputatum. Sub digreſſum Varſaviâ die xxvj. Martij, memorabile accidit; dum Nuntij terreſtres Regi valedicunt, & inter accedentes ad Regiæ manus oſculum, Stephanus Xięski Caſtri Cracovienſis Notarius, Regis ad dexteram oſculandam accedit, ad quem Rex infit. Et quo animo (inquit) Xięſci, an non Iudæ proditoris? cui ex abrupto Xięſcius: Nequaquam Iudæ, ſed Ioannis Baptiſtæ, Ser: Rex. Id quomodo ſciſcitante Majeſtate, ſubjungit ex Evangelio ille: Non licet tibi Rex Sereniſsime, violare Leges. Erat ſiquidem Xięſcius ut juris patrij ſcientiâ clarus, ſic ingenuitate, & reali in dandis reſponſis candore, à prudentia inſtructus, quem dum Princeps, uti ex intimiori Lubomirſcij amicitia interrogatione pulſat indebita, accomodata rei quæſitæ explicatione, Subditus Majeſtati reſpondit. Sed utinam verborum acuminibus ipſa loquendi ſatietas finem faceret; niſi ut prius fulgurat, mox tonati dein imber effunditur: ſic importunas ſermonum controverſias, ſolito more, conſequitur tuba concinens claſsicum, & exinde delectorum capitum fuſus innocuè ſanguis.

Legati Externorum.

Xięski Regi reſpondet.

Hæc internorum motuum præludia, & omiſſa omni externi belli cura, ad inteſtinum diſsidium verſi paratus. Exciderant jam animo recens parta trans Boryſtenem trophæa; Tractatus Graſnenſes non amplius pacis conficiendæ deſiderium ingerebant; Vkraynæ paulatim ad ſe redeuntis, ac obſequium reſumentis inceſſerat oblivio; nullo diſcriminis Patriæ, nullo famæ ac exiſtimationis Regiæ reſpectu agitata belli interni conſilia: hùc verſis æmulorum ſtudijs,

Apparatur bellum civile, ſepoſito externo.

ut quem

1665. ut quem juris ſpecie oppreſſerant, eundem præſenti armorum vi in ultionem conficerent. Hinc undiq; conquiſiti ſuccurſus, & de nervo belli ſolicitè proviſum. Proceres ut quiſq; promerendæ gratiæ ſatagens, honorarias Cohortes autorandas ſuſcipiebant, Legionum ſupplementa ex Ærario depromptis pecunijs contrahebãtur, quæ jam in Vkraynam ituræ retinentur, uti moleſtiſsimo tantiſper circuitu, totum planè Regnum evaſtarent. Sed maximè dolendum, dum tam Lithuanus miles, quàm & ex Vkrayna Cohortes Polonæ ab utroq; limite Regni in meditulium Patriæ ad Civiles turbas arceſſuntur, vocantur Coſaci, ſolicitantur Scythæ & undecunq; auxilia, velut in Turcam conquiruntur; ſuppeditante impendia Aula, tam ex publico, quàm privato Ærario.

Res poſcere videtur, ut de revocato ex Vkrayna Exercitu, breviter ad informationem legentium adnectam. Cedente fatis Palatino Czarniecio, dein Illuſtr: Vexillifero negotijs privatis avocato, delatum regimen Exercitûs ſuſceperat Stanislaus Iabłonowski, jam tunc terrarum Ruſsiæ Palatinus; qui moderatè populum exlegem tractans, etiam vel ipſa ſuadente quietem bruma, pacatioribus militem continebat ſtativis, uti Cohortes ad concilium militare vocatæ (rotam Equeſtrem dicunt) delectos ex gremio Exercitûs Nuntios, ad priora Varſaviam Comitia mitterent; pro merita gemino anno ſtipendia repetituros. Sed præcipuè ſummas Cohortibus ex Commiſsione Leopolienſi retentas, præſenti ſolutione enumerandas, ſimul & hyberna deſervita repræſentari urgebant. Equidem omni meliori jure promeruerant fortiſsimæ Legiones, ſatisfieri poſtulatis, jam ultra biennium in hoſtico moratæ, & tam equorum, quàm omnis militaris ſupellectilis diſpendium paſſæ, cum ecce rumpuntur Comitia, item altera nullo effectu diffluunt, unde dum tributa ſciſci nequeunt, etiam ſtipendiorum exolutio pro deſperata militi habebatur. Itaq; pro derelictis ſe & orphanis Cohortes cenſeri ratæ, dum inter diſcrimina egent, & deeſt qui curam emeritorum gereret; deniq; ex Deputatis militaribus cognito, pecunias ſibi debitas, in alios uſus converti, noviſq; delectibus ſtipendia, quæ iſti meruiſſent numerari: uſi opportunè revocantis Regis autoritate, ſe ab obſequio Ductorum ſubducunt, iteratum Nexum conflantes, impoſito ſibi Duumvirûm Magiſtratu; Adamo Oſtrzycki, ac Ioſepho Borek, ſub Mareſchalci, ac Subſtituti militaris nomine. Sic inter ſe nexi, & advertentes pacatis ſtipendia negari, ſolvi extorquentibus; Confœderationem injerant, ac à cæteris ſejuncti, qui damnatum legibus Nexum refugerent, propè campos Ianczarychæ Caſtris conſiſtentes, donec reſponſum ab Aula prodit, expectabãt.

Revocatur ex Vkrayna Exercitus.

Sub regimine Iabłonovij Palat. Ruſ. exiſtens.

Cohortes Nexum conflant.

Cùm

1665. Cùm interim Palatinus Iablonovius, nihil intentatum relinqueret, quominus diſcuſſa ſeditione in obſequio retineret pervicaces; quod dum præſtare nequit, prævalente Schiſmate ſatis fuit Ductori aliquam partem ſubducere contagio, quando omnes bonos facere non poſſet. Perlatus Varſaviam de inita Confœderatione rumor, moleſtus ſanè Aulæ extitit, ac formata jam conſilia belli planè intervertit, pleriſq; militarium in ſuſpicionem conſcientiæ vocatis, & niſi excuſaret abſentia, vel loci diſtantia ob coalitum Nexum vapulaturis.

Maiori parte in obſequio manente.

Quippe nec Lubomirſcius oſcitanter rebus ſuis ſatagebat, ſeu immeriti exilij tædio, ſeu reparandæ exiſtimationi inſiſtens; pleriſq; juſtè depreſſum perſuaſis, ex eo tantùm, quia miſer eſſet. In Patriam itaq; redire ſtatuit, præſertim Ioanne Branicki Curiæ Regni Mareſchallo, per Petrum Sladkowski Vexilliferum Ravenſem invitante; etiam Cracovienſi Epiſcopo Trzebicio, per Andream Pęgowski Officialem Sandomirienſem ſpem inſinuante; non ſine gratiæ Regiæ mox redintegrandæ promiſſo. Vnde ſuaderi ſe paſſus, de adornando in Patriam reditu cogitavit: etſi ejuſmodi invitamenta in ſuſpicionem pleriq; traherent, ad vindictam acciri dicentes; quominus fidens & reditum maturans dolo interciperetur; præſertim cum diuerſi armatorum globi, in ditiones Lubomirſcianas immiſsi, volitarent paſsim, non tantùm colonis graves, verùm etiam ultra intendentes, ſi modò in improvidum, nec metuentem ſibi, incidiſſent Sed prudens & cautus, ubi Vratislaviâ in ſubmontanum tractum commeat, ac per confinia Hungariæ ad Vrbes Scepuſij ultra octingentorum manu ſtipatus ibat; uti in ſubitam vim non imparatus exiſteret. Prima cura fines Poloniæ ingreſsi fuit, dimiſsis ubiq; literis pacatum ſuum in Patriam regreſſum teſtari; immeriti exilij miſerias exponendo, demum hæc formalia ſubjunxit. Conſtiti hic in Scepuſienſi Filij mei Præfecturâ, eo fine tantùm, ut in hoc reclinatorio præſtoler pacificè eam, quâ me invidia æmulorum citra ullum demeritum ſpoliavit, Regalis gratiæ conciliationem; ad quàm Illuſt: D. Epiſcopus Cracovienſis omni cooperando ſolicitudine, non dubiam mihi ſpem fecit eius redintegrandæ: tranſmiſſo ad me Sen: Conſulto, quo priſtinum Statum, & ereptos injuriâ honores largiſsima promiſsione reddendos S. R. M. polliceretur. Quocirca patienter & cum omnimoda modeſtia optatũ factæ à S.R.M. declarationis præſtolando efffectum; uti ſemper nihil intendebam adverſum, ſic nunc ab ijs cogitatis alienus, quæ ſpeciem aliquam turbandæ tranquillitatis publicæ præſeferrent, Patriam introij: tranquillitatem Reipubl: ac pacem internam, vel innocentiæ meæ longè anteponens &c. Dehinc in Brionem Colonellum aliquantùm flagrantiùs invectùs, qui externus bona

Lubomirſcij in Regnum reditus.

Cuiq; in Patriam ſe regredi per ſcriptum nuntiat.

bona ſua proliſque circumductis hoſtiliter armatorum turmis, non Chriſtianè diriperet, amicos ac clientes Domûs crudeliter habens; ne cogar (inquit) impoſita naturalis defenſionis neceſsitate reſtinguere hæc incendia &c. Datum in Arce Lubownia die 11. Maij Anno 1665. 1665.

Sieradienſis Palatini obitus.

Exeunte Aprili fato fungitur Varſaviæ, Hieronymus Wierzbowski, Sieradienſis Palatinus, Ludovicæ Reginæ in Aula acceptus, ipſaq; promovente Legatione in Moſchoviam perfunctus. tunc apoſtemate ex ſuperfluitate humorum, ſpecie catarrhi ſuffocativi oppreſſus vitam finijt; novellarum amans, & curruum diverſim parandorum ingenioſus repertor. Poſt quem Palatina dignitas Carolo Przerębski Succamerario Sieradienſi ceſsit; magna Arcis Cracovienſis Procuratione translata, in Stanislaum Skarſzewski Caſtellanum tunc Małogoſtenſem; Præfectura Oswięcimenſi Ioanni Pieniązek collata, Equitatum Germanicum in partes Regias conducenti.

Inclinantibus ad arma partibus, ubi patuit Confœderatum militem in repetenda ſtipendia novo Nexu obſtrictum in ſubmontana reſpicere; potiſsimæ Curæ ad ſervandam Cracoviam, caput & Metropolim Regni vertebantur. In præſidium Vrbis immiſſa pedeſtri Legione, Ioannis Pauli Celarij, ac binis Cohortibus Equitatûs Germanici. In Arcem veteri exautorato milite, & peditatûs Præfecto, C. C. C. ſclopetariorum agmen ex incolatu plebis Subalpinæ raptim collectum, Michael Zebrzydowski, loci Capitaneus induxerat; eodem varios commeatus ob caſum importante, & militi arcis cuſtodi, tam de veſte, quàm armis, è proprio penu providente. Similiter Civibus Cracovien: conquirendæ annonæ, quæ in ſemeſtre ſufficeret, impoſita neceſsitas, reviſa ſedulo Armamentaria, & propugnandis Fortalitijs neceſſariorum imperata conquiſitio. Inſuper obligata de novo Magiſtratûs Vrbici juramento fides, diſtributa militi hoſpitia, & in Prætorio portiſq; permiſti præſidiariis Cives, irremiſſas agere excubias iubebantur: & quæ alia belli munia, ſub adventum Sueci hoſtis omiſeramus. Supra hos contra exermem Civem paratus, dolori erant literæ Regis nomine ad Trzebicium Epiſcopum Cracoviẽſem ſcriptæ; quatenus is omnem reconciliandi mentionem prorſus abiiceret, reſcinderetq;: uti qui publicus Maieſtatis & Patriæ hoſtis, arma in Principem perduellia pararet. Vnde contumelioſum eſſet Majeſtati, cum armato Subdito, & omnes modos turbandæ Patriæ veſtigante, ad conditiones paciſcendi deſcendere. Vnde ut quiſq; futuri proſpiciens, præſertim Palatinatûs Cracovien: Nobilitas, anxia egit; non vanè metuens, ne ea Civilis belli procella, inter limites ſuos primo impetu deſæviret.

Cracovia præſidium recipit.

Mediatio abrumpitur.

Nec

1665. Nec minùs percellebant ex Cancellaria Maiori emanata Vniverſalia, ad agreſtes Submontanos (Gorale dictos) dimiſſa; quibus cruda admodum periphraſi, recenſitis demeritis ob quæ Lubomirſcius vapularet, & proſcriptus eſſet, invitabantur meliori parti fautores, ut ſi modò ille per Alpium Sarmaticarum receſſus tranſiret, noxium caput tollerent, vel ſanè exigerent, oblata facti impunitate, & notabilis mercedis promiſſo. Alia ſcripta in publicum data omitto, ſupra ſatyræ modum peracerba, & ad augendum tantùm odium in vulgus proiecta.

Univerſales literæ.

Radivillianæ Nuptiæ.

Sub hæc, Boguslaus in Birze & Dubinki Dux Radivillus, M. D. Lith: Hypparchus, ſeu ſtabuli Præfectus; (innui anteriùs triplicem exiſtere Ducum Radivillorum unius Stirpis lineam: quorum alii de Olyka & Nieswieſz; alii in Birze & Dubinki; tertii demum in Klecko & Kopyl Domum denotarent) connubio vitam ſtabiliens, adiungebat Toro Euphroſinam Radivilliam, Ianuſsii Palatini Vilnenſis, ac Exercituum M. D. Lith: Ducis, Patruelis ſui Filiam; ſibi ex Fratre Neptem. Nuptiarum in gradu vetito motivum erat, ne ampliſsimæ ditiones in alienam Familiam enuptâ Hæredisſâ tranſirent; id cavente per teſtamentũ Parente: hinc Patruus Filiaſtræ iungebatur, non duorum tantùm in idem corpus coalitione, ſed & facultatum in unam maſſam congerie. Obſtabat, quòd Neoſponſi ambo Calviniſmo addicti, vetante propinqui ſanguinis gradu, invalidè matrimonium contraherent, præiudicarentq; futuræ proli illegitimitate, niſi ab Ordinaria Eccleſiæ Iuriſdictione, in anteceſſum Nuptiæ ratificarentur. Odium eſt Heterodoxis in Eccleſiam Catholicam implacabile, nihil magis quàm Primatum Petri, & traditas viſibili in terris Chriſti Vicario claves oppugnantibus; aſt quos ſana ratio in errore contumaces non flectit, irrefragabilis neceſsitas ſubſtitutæ Deo Poteſtatis, plenitudinem convincit: ut in quæ ſæculari Magiſtratui nulla vis aut facultas; Oecumœnica Eccleſia creditarum Iuriſdictione clavium (ubi legalis ratio adeſt) etiam in averſis & inimicis diſpenſare impedimentum valeat. Quod tum factum, ſupplicantibus Sanctæ Sedi Neoſponſis; præcipuè, dum acceſsit validum pro cauſa Regis Caſimiri ad Pont: Max: ſuffragium, & interceſsio; cui tunc obtentam apud Rotam Romanam diſpenſationem contrahentes debuêre.

Caſimirus Rex tumulum ſibi condit.

Etiam ut ex ordine aperiam, Ioannes Caſimirus Rex, ne non mortalitatis ſuæ immemor eſſet, pietatis Avitæ Anteceſſorum Iagiellonum æmulatione ductus, Sacellum ſibi in Cathedrali Arcis Cracovienſis Baſilica erigi curavit; in quo ſolutus humanis, Exuvias mortalitatis ſuæ deponeret; inſigni fabrica & eleganti epigraphe decorato

decorato loco; niſi conſultiùs optimus alioquin Rex feciſſet, ſi in pectoribus & animis benevolentium populorum, non inanimatis lapidibus, ſuperſtitem ad poſteros famam extendi voluiſſet. Placuit locus ex oppoſito Sigiſmundi Auguſti Regis ſacelli; in quo olim magna ſanctitatis opinione Ioannes Prandota Epiſcopus Cracovienſis requieſceret: qui facilè ceſsit mortuus ſuperſtiti, Præſul Regi, elatiſq; cineribus operoſo Architectonices labore conſurgebat moles, oppoſita & conſimili Iagiellonicæ ſtructura, donec poſthac autoris revecta ex Gallijs oſſa, poſthumo officio hic conderentur. 1665.

Ubi & cõditus tacet

Nec immemoratus literis abeat, Nicolaus Zorawski Gymnaſij Cracovienſis Alumnus, diu in Regno per editas in Matheſi ephemericas prognoſes clarus, demum ſtudio creſcendi, an opimioris minervalis promiſſo? ad Aulam evocatus. Adjunxerat ille ſtudijs Aſtrologicis, Medicæ artis profeſsionem, inq; eam praxim datus, animum utriſq; diviſit, experturus utra faveret magis? demum titulo Archiatri contentus, Aſtrolabio totum ſe addixerat, liberaliùs vacaturus Metheoris, ſi hominibus non ſuccedit. Vir aliàs literis ſolidè innutritus, quales non crebrò ætas hæc protulit: niſi ſequaces ejuſdem profeſsionis abuſu artis ad illicita verſi, judiciarias ex Aſtris conjecturas, & fortuitos eventus, infallibili ſiderum decreto adſcribentes, nobilis ſcientiæ famam temerarent. Cui tunc uti ſuperſtitioni ſolet, accedebat in Aula pernicioſa appendix, repertis paſsim qui ſpiritus familiares (pharædros vocant) annulis, incluſos ferrent; adeo impunè Legi divinæ uſurpata contraventione, ut plures rem licitam contenderent, ac conſtituto in pharædros vendentibus pretio, etiam quibus vetare intererat tolerarent. Ea ſcabie ultima regiminis Auguſti Regis infecta memorant, manuſcriptorum codices; ad illicitam curioſitatem prodromo aliquo, qui Magiæ damnatæ non expers, curioſo Principi inſtillaret futurorum præſagitiones, donec ipſe funeſtam necem teterrimæ impoſturæ pretium tulerit.

Mors Zorawſcij Mathematici.

Spiritus familiares

Tertium jam datis in publicum univerſalibus literis, explicitè in Lubomirſcium perduellem apellatum, movenda arma denuntiabantur. qui idem prolixa criminationum ſynopſi, etiam coaliti Nexûs, ejuſq; contra Patriam ſibi aſſociati autor vulgaretur, eâ verborum acerbitate ac convitiorum plauſtris, quæ vel rixoſis vetulis dedecori eſſent. Vnde ſpe reconciliationis præciſa, in eam univocè ferebatur Aula ſententiam. Præmio & pænâ contineri Regna, nec quicquam magis ſedando motui expedire, niſi ut exlex ſubditus, & ſupra æqualitatem ſe ferens, pænâ coërceretur. Etſi enim diſponit lex

Vniuerſalia tertio emittũtur

1665. nit lex, ut non posit captivari Nobilis, nisi jurevictus; sed is idem Princeps jurejurando Regio obligatur, uti nocentes ad pœnas vocet, & in exorbitantibus Civibus præsenti mulcta refrænet malitiam. Ideo Regibus commissa sceptra, velut Asuero virgam auream, ut bonis benè, malis non impunè sit; & Vicaria Dei in terris potestas partiens ex condigno virtuti præmia, aut demeritis pœnas, tam sit discolis terrori, quàm benemeritis venerationi. Iam nunc clementiæ vanum nomen, postquam simulatæ pœnitentiæ impostură Regi illusum: qui dum indulgendi facilis in throno deprecaturum subditum præstolatur, mox gravem sibi & armatas preces ferentem, æmulum satius quàm supplicem audire cogitur. Nam cùm refractarius ad solicitandam Legionum fidem præceps ruit? quid expectandam amplius, nisi ut Legibus nocens, oblitum Sacramenti militem & insimilem tractum perfidiam sibi associans, cum exermi Majestate ex præmeditato armis contenderet &c. Hæc & innumera alia scriptis aut dictis vulgata, maculoso ad posteritatem dedecore pravis consultis, in noxam Patriæ tam manum, quàm linguam commodâsse.

Varia Protecta Scriptorum in vulgus.

Grodnam interea convocati Lithuaniæ Ordines, demum translato Białam Radivillanum oppidum, conventiculo, deliberavêre; an salvis cum Regno Poloniæ unionis Mag: Duci Lith: vinculis, in id belli ritè & ex officio subsidia Regi mitterent. Multi quippe Procerum Lithuanorum, domesticis turbis misceri abnuebant: præsertim in dies graviori ditionibus istis Moschorum potentia, imò jam in penitiora Lithuaniæ Exercitibus hostiliter ingressis. Non mittenda subsidia quò sarta tecta unio conservaretur, alterius factionis autoritate primò stabat: nisi Castellanus Gneznensis Sielscius, quem illuc suo nomine submiserat Rex, tantùm proficeret, ut priore consilio abscedentes, & suffragari Regi æquum censendo, totam Gentem in reali obsequio Majestatis mansuram profiterentur. Itaq; permisivè decreta auxilia, quibus præesset Hilarius Połubinski Campestris Lithuaniæ Notarius.

Lithuanorum Grodnæ consultatio.

Ubi Decreta Regi auxilia.

Die xij. Iulij movit Rex Varsaviâ, in frequenti Aulicorum latus stipantium Comitatu; mox consecuta Regina, quam itidem nobilissimæ è Gynæceo stiparent Viragines. In Loreto apud PP. Bernardinos Pragæ, abituræ sacris vacavêre Majestates, itinerariam benedictionê Stephano Wierzbowski Episcopo Poznanensi impertiente. cæterùm & Rege non pro more suo mæstiore, dum in viam proceditur, & cunctis insueto alioquin silentio dum itinerarium vale dicunt, torpentibus. Nam & equus Regius bis, quod observatum lapsum propè cespitaverat, & in ipso itineris procinctu, non sat læta

Casimirus Varsaviâ movet Pragâ versus

Nuntij

1665. Nuntij adferebant, de recrudescentibus in Exercitu turbis, ac reluctante in id belli sequi Regem militia: nisi in antecessum retenta stipendia, etiam provenientia hyberna, protinus paratis nummis solverentur. Vnde leniendis animis ipsemet ad Legiones ea parte iter destinabat; cùm adfertur ab Exercitu missos adesse, qui integrum obsequium & egregiam in Principem fidem Legionum deferrent, in vim tantùm perfunctorij appendicis subnectentes; ut falcem cote exacui, sic in milite fervorem Martium, emerito ære, uti necessario nervo & efficaci agendorum machinâ excitari. Erant Iacobus Potocki Campestris Regni Notarius, Stephanus Czarniecki Caniovienſis Præfectus, ac Łaczynski Desultoriorũ Colonellus; Oratores primò grati, ubi præter verba tot præclarè gestorum facinora, imò vulnera ostendunt: mox subrepente fastidio, dum pro Exercitûs recens ab Vkrayna reducis indigentia, & solvendis stipendijs inculcant. Læta tamen fronte excepit Rex venientes, alacerq; ipsis referentibus audijt, Generalem Ducem Potocium, nullo inclinatæ ætatis respectu, festinatis itineribus mox adfuturum: qui in Exercitu præsens nuper, apud Levartoviam Castris constitisset. De Confœderatis Cohortibus quæsiti? extenuabant vires, per contemptum vocando Swiderſciani partus fætum abortivum, & postremam militarium fæcem, quos jam fama ferret ab incolis Submontani tractus fustibus concisos circa Samboriam, reliquos ex accepta plaga per Pocutiam delitescere. Hæc isti ad palatum Aulæ, ne si coalito Nexu firmiores retulissent, ingrata narrando, sibi ipsis de favore detraherent. Tum undecunq; contractis nominibus, multa solicitudine conquirebantur pecuniæ, adnitente Ærario, quominus gemini Quartualis solutione miles contentari posset; reliqua mox pacatis turbis recepturus. Aderant & à Nexu Confœderato, Stetkiewicz, ac Bielecki Cohortium Optiones; sed hos dum Cancellarius Regni suo more increpitos accipit, restim illis aliasq; in perfidos pœnas interminatus, satis habuêre ex Regiæ mentis Mercurio cognovisse, quæ ab ipso Rege audire nollent.

Sed antevertũt Nũtij Exercitûs.

Etiam à Confœderatis.

Dum tardigradus miles, præcipuè novi delectus ad Regem confluunt, interea Metatores Regij intervallo milliaris ab oppido Rava Castra locaverant; Casimiro Rege in Collegio Patrum Soc: Iesu cum Regina hospitante. Nondum Exercitus, jam bellum erat curuli ministerio lixisq;, primùm in gallinas, mox in ovium greges, insuper in miserorum agrestium casas pugnantibus; & facilè incolatum omnem solitâ vexâ turbantibus, cùm nulla in Castris coërcendorum cura esset, & infrænabilis insolentissimæ colluviei in rapinas licentia. Quo nomine passim querelæ incusantium, molestiâ affi-

Regia Castra Ravam propè.

1665. ciebant Regem, ſanè deſtitutum, qui licentioſos coërceret, rapiniſq; promiſcuis pro diſciplina Caſtrenſi imponeret modum. Donec obviam itur, bina effluebat hebdomada, occluſa ſæpius injurias exponentibus Collegij porta; etiam venatione, ac ſimulato per adſita arva diggreſſu, tædium levante Caſimiro, ex continua querulantium geminatione contractum. Hinc fuit, ut animi cauſa exſpatiaturus, ad pagum Głuchowsko diverteret; ſuggerente non nemine, oppido haud procul eſſe, à viro nobili & ſedato habitatum, & qui rei venaticæ apprimè ſtudioſus eſſet. Benè eſt (inquit Rex) diſcedamus, equitatio agitationem, agitatio appetitum excitabit: utinam & ſomnum mihi exilem hactenus, & interruptum. Etiam Regina comitem ſe obtulit, prægreſſum in equo Regem carpento conſecuta. Nobilis Sułkovius Hæres erat, cui ut expræcurſoribus adventare Regem conſtitit, alacer Hoſpes proſilit, excepturus honorificè Majeſtatem: ſimul cum eo aliquot amici effunduntur. Sed alius Sułkoviæ conjugi animus, quàm ut injurijs militaribus exacerbata Mulier, ſilentio jacturam rerum ſuarum premeret. Quippe dum deſcenſum ab equo Rex molitur, illa flexo in terram poplite, ac elevatis ſurſum manibus ſublata voce exclamat: *Eternæ Deus, qui bonos Reges protegis, malos punis; cur ad afflictionem noſtram, & gemitum pauperum non reſpicis? quos omni hoſte externo ſæviores milites Regij vexant, ſpoliantq; : Intende in adjutorium, ac in caput quod nos priùs immenſis contributionibus exhauſit, jam nunc per ſtatellites diripit, dimitte fulmina.* Plura parabat, cùm Rex excandeſcens; *quid malum (inquit) in furiam hanc incidimus?* ſimul converſo equo retro iter flexit, enixè precante Patrefamilias deſcenſum, negante Rege: *Bone vir (inquit) malam uxorem habetis.* Silenſq; Ravam revertebatur; etiam Ludovica Regina ubi improperium patuit, nimium quàm indignante. Ea dum ſolito mæſtior ad cænam venit, Rex ad aſtantes infit. (ut illi mos loviali inter Familiares comitate & hilariori ſermone delectari) Id demum injuriam paſsis ſupereſt, ut quod re ipſa repetere nequeunt, ſaltim verborum vehementiâ ulciſcantur. Tum ad Szumovium Quæſtorem Curiæ verſus. *Heus Szumovij? ſiccine à vetulis oppugnabimur? & qui inter viros & arma inſenui, jam nunc ab anu iſta improperia feram: ſatius imparem hanc luctam declinando, Lubomirſcio ignoſcamus, quàm ne à deteriore ſexu per contumeliam amplius lacerari contingat.* Nec ſatis fuit procacium verborum clavum animo Principis impegiſse, poſtera die Ravam veniens, copiam alloquendi Regis popoſcit, illataſq; recenſens injurias, rurſus in lachrymas diraſq; ſolvebatur; niſi dum betulaceam ſilvam à milite exciſam queritur, aliquot centum imperialibus

Caſimiri Regis diggreſſio.

Honorificè à Nobili acceptus.

Non item ab uxore ejus iniuriata.

Præclarũ Reg: dictum.

alibus ex Ærario depromptis placata fuit, muliebris linguæ impotentia. Simile quid poſtea accidit. Altera rurſus itidem expilatam domum, & ſtupris ſuperaddita verbera coram Rege querebatur: excuſabat adſtitum aliquis, ejuſmodi fructus ex bello provenire dictitans, & poſt hac expectanda pejora, quæ non alio imputari poſsint, niſi qui bello cauſam dediſſet. Addidit Rex. *Ignoſce Mater, Rebellem perſequimur. Malefactori imputa non nobis quæ paſſa es.* Ad quæ Mulier. *Benè eſt (inquit) Sereniſſime, ſi modò conatus iſti non magis perdendis nobis, quàm debellando Lubomirſcio impendũtur. Quem ego ipſa decrepita licet anus, & altero pede clauda conſequerer etiam, hodie haud ita longe ſubductum; ſi modò ſexus & ætas permitterent.*

1665. *Alterius mulieris iterũ ſcommate petitus Rex.*

Etiam Lubomirſcius expediri in ſe arma advertens, periclitanti capiti præſidia conquirere non omiſit; celeri diggreſſu Socalium ad Generum Felicem Potocki Subdapiferum Regni abiens; uti cum Generali Potocio Cracovienſe Palatino collocutus, eum ad reparandam Aulæ gratiam, cooperatorem precibus impelleret. Quod dum per abſentiam Generalis non ſuccedit, tum demum ad Nexum militarem ſub Oſtrzyccio Præfecto pergit, à quo gratè acceptus, indivulſam utrorumq; cauſæ unionem, & conſtantem in extrema innocenti Exercitûs aſsiſtentiam, pretium adventus conficit: ab utrinq; partibus fidem mutuam Iurejurando obligantibus. Hoc præſidio erectus, nihilominus reſpiciebat quoſvis reconciliandi modos, ne per violenta convulſæ tranquilitatis publicæ media, rebus ſuis reparandis conſulere videretur. Media igitur via pergendum ratus, enixiſsimè Trzebicium Epiſcopum Cracovienſem de iteranda mediatione appellat, ultroneam reſignationem honorum, ſi modò ij non in pœnam delicti abrogarentur ſpondet; & iturum in Vkraynam ac ſerio bellum cum hoſtibvs Reipubl: geſturum recipit: modò Rex proſtratum & ſupplicem, innatæ clementiæ memor, in priſtinum gratiæ & confidentiæ ſtatum reduceret. Certè permovit ut par erat, afflictioni proximi indolentem Epiſcopum ſubmiſsio: qui mox aſcito in conſortium parandæ concordiæ Thoma Lezynski Epiſcopo Chełmenſe, flagrantiùs pro more ſuo ad Regem in cauſa ſuppliicis perſcribens, primo reſponſo increpitus fuit, dein limitata poteſtate, ſic agere permiſſus, uti nihil cathegoricè concluderet, niſi priùs à Confœderato Exercitu ſejunctus Lubomirſcius, totum ſe arbitrio Regis & notæ permitteret clementiæ. Quod ille diſcriminoſum ſibi judicans, etſi Regi fideret maximè, ſed graves æmulos & ſuſpectam inimicorum potentiam non vanè metuens, (etiam rumore publico abſterritus, uti per tractatus in naſſam propelleretur ſpargente) apud Libuſſam Nexui junctus, incunctantèr apud Mogiłam

Lubomirſcius res ſuas promovet.

Nexu ſibi adjuncto mediationem perurgens.

Qua nihil ſperante, Vires contrahit.

1665 gilam Ciſtercienſis Familiæ cænobium, tranato Viſtulâ, ad Miechoviam recenſuit Copias; quæ jam ſupra quinq; millia accurſu plurium excreſcerent. Tribus millibus & quingentis Nexus conſtabat, veterani omnes, & diuturno armorum uſu exercitus miles; ſub Ducibus ſibi delectis Oſtrzycki ac Ioſepho Borek; quorum prior ſub Directoris, alter ſubſtituti nomine, Nexui præerant. Prætoriam Haſtatorum Alam, deducebat Alexander Polanowski; Vir militiâ clarus: ad hæc tres Loricatorum Cohortes, viris equiſq; inſtructæ, ſub Optionibus Andrea Chełmski, Andrea Kawiecki, ac Ianuſio Bieykowski; ſexcentorum ferme numero. Gordanus Chantyley Marchio Anglus, ſed jam tum pro meritis Poloniæ Indigena Equitum Germanicorum quatuordecem ſignis imperitabat. Thomas Pniowski, ac Elias Łacki, Deſultorios Equites regebant; Stephanus Piaſoczynski Subdapifer Bracłavienſis, cum quatuor velitum ſignis; Samuel Czaplicki cum tribus; etiam Hruſſa, cum trecentorum è Wołchynenſibus lecta manu, ſequebatur. Equites Valachi agmen claudebant, ſub Staweccio ac Białogłowſcio Rotmagiſtris. Adhærebant lateri amicorum fidiſsimi; qui non præmijs oſtentante Aula illecti; non pœnarum metu uti complices abſterriti: ex præcipuis erant, Stephanus Niemierzycz Succamerarius Kijovienſis; Nicolaus ac Ioannes Pekosławſcij fratres; Vladislaus Łoś; Colaltus Italus, præclarâ in Imperio perfunctus militiâ, alijq; integerrima fide, & amicitiæ laude memorabiles. Aſt potiſsimum afflictioni ſolatium, duo filij ad latus, jam paternæ qualiſcunq; fortunæ capaces & ſocij; ac non tam votis aut querelis adverſitatem ſortis, quàm infracto animo & egregijs qualitatibus pericula capeſsituri, accedebant.

Et Copias recenſet.

Neq; amicis deſtitutur.

Interim tamen mediatorum ſtudijs in pacandum diſsidium inſurgentibus, annitebatur Trzebicius, donec pleniùs de conditionibus paciſcendi (quas nunc Aulico vocabulo capitulationes vocant) conuenit, uti Rex apud Andreoviam Caſtris conſiſtens; Lubomirſcius Koniecpoliam verſus, effectum mediationis operirentur. Sed mox mutuò condictum locum, imò jam placito Regis firmatum, fors aliqua, aut contingens diſcuſsit: medius ſiquidem inter partes Præſul, dum Secemini in domo Parochiali ſubſiſtit, & noctem inſomnem perſcribendis ad alterutros literis impendit; Amanuenſis, errore ſeu inſomnio deluſus, obſigillatam ad Pacium Lithuaniæ Cancellarium epiſtolam, ad Lubomirſcium; quæ item Lubomirſcio deberetur, titulo Pacij inſcriptam tranſmiſit. Comperto demum ex effectu errore, ubi Lubomirſcius aperto literarum folio, neſcio quid ex ijs conijciens, intempeſta nocte ſuos ad iter accingi mandaverit, tutiori receſſu, & ab igne remotus, non adeo ardore flammæ adurendus.

Mediationem caſus interrumpit,

Subin-

1665. Subinde Regij Exercitûs armiluſtrium conditum eſt, cumq; ſex mill: ſtipendiarius miles excederet, Prætoriani cum recens autoratis Cohortibus, tria mill: ſuperabant: quibus adjuncti ſub Połubinſcio Lithuani, conficere numerum, qui plus xvj. mill: qui minus xij. cenſebantur. Sed Regium Exercitum ſupervacua impedimenta, ingens curruum vis, lixarumq; ac propolarum Caſtrenſium incondita turba, immane quantum augebant; quibus alendis per rapinas decurſæ oræ hauriebantur, cùm Lubomirſciani oneribus vacui, lixis in equos vectorios receptis, expediti irent, & dum loco reponendis prædis carent, obvio tantùm victu & tolerabili neceſſariorum receptione, minus Incolatum premebant tranſeuntes. Offendit enimverò Regem inſperatus à Koniecpolio Confœderatorum receſſus; hinc exprobrata mediatoribus ficta ſupplicis Lubomirſcij pœnitentia, & in ſpeciem tantùm donec vires contrahit oſtentata ſubmiſsio, Itaq; Alexander Minor cum Stanislao Iordan exploratum præmiſsi, dum fortè in robuſtiorem Confœderatorum manum apud Predboriam incidunt, diſpallati confuſè ad Caſtra Regia revertebantur: quo nomine objurgati à Tribunis fuêre, eorum tamen receſſum, aliquo ex Clero Caſtrenſi, per jocum elevante, Quidni (inquit) obtemperarent Regio Pſalti vaticinanti. Minor vidit & fugit, & Iordanis reverſus eſt retrorſum. Nec iterum tentata præludia ſuccedebant, apud Grabowa pagum à Polanovio in trajectu Pilcæ depulſis Regijs; & ultra flumen vi majore rejectis. Sed nihil moleſtiùs continua imbrium eluvie, qui perpetuo madore depluentis Cæli cæno velut viſco iter Exercitûs implicarent. Vnde apud utroſq; victualium defectus, niſi immitibus Lixis, quæ ex empto conſtare non poſſunt, per rapinas acquirere moris ſit. Eo paſsim malo afflictæ tunc oræ, per quas utriq; tranſibant, etiam Confœderatis promiſcuum raptum licere putantibus; niſi Dux averſionem Provincialium prævidens, ob ſpoliatum Krzepicenſe templum, Michaëlem Corſum, Græcum turmæ Ductorem, convictum ſceleris, cum ſeptemdecim complicibus, qui ſacrilegio ſe contaminaverant, alios fiſtulatibus globis, alios laqueo ſtrangulari juſsiſſet. Hinc pæna paucorum cæterorum diſciplinam ſtabiliebat.

Armiluſtrium Regij Exercitus.

Confœderati receſſus Regem offendit.

Pœnis direptiones cohibitæ.

Non tamen deſpondebant Mediatores animum, inſtanter perurgentes quominus tam Princeps miſerabili Provinciarum excidio ad commiſerationem; quàm ſubditus ejuſdem Patriæ ductus amore in reſipiſcentiam, flecterentur: hinc partibus intermedij iterum atq; iterum hortamenta pacis ferebant, identidem per ſacra profanaq; obteſtante Trzebicio, uti poſitis armis, Civile diſsidium Civilibus medijs ſopiretur. Non abnuebat Lubomirſcius, modò diſcrimine

1665. IteratoMediationis negotium tantatur.

Quibus cõ ditionibus

Nulla conclusione abruptum

Czestochowa Oppidũ

scrimine honestè ac tutè se exolvere: posset destinato Dankoviæ loco, ubi colloquerentur, ac interposita fide publica, sive coalesceret concordia, sive non; utroſq; pacatè diggressuros. Venientibus Dankoviam Episcopis, aderat & Lubomirscius, ducentis ferè Commilitonibus septus; cui circumstantibus istis, Trzebicius multa de offenso Principe innuens, & exprobranti prior huc flexit. *Si (inquit) uti par est, ad media placandæ Majestatis descendimus, non onerosum videatur ex æquo & justo, etiam Patriæ causa ea præstare, quæ subjungo. Nempè renuntiaret primò Nexui militari Lubomirscius; quem injuria ab obsequio Reipubl: detraxisset; abstineret factionibus extra Patriam secedens; præmissa qualis subditum docet deprecatione Majestatis; ac Confœderatus miles ad legitimum Ducum imperium interea reverteretur. Quæ nisi bona fide in antecessum implentur, non aliter utriſq; pristinam Regis gratiam reparaturis.* Ad hæc quotquot aderant socij militares, unanimiter conclamant. *Nequaquam deserendum à se benemeritum Ducem, & oppressum Civem; cui ut semel in omnem qualiscunq; sortis eventum associati forent, sic eidem in extrema jungi, immo commori haud dubitarent. Causam ejus ita suæ conjunctam esse, ut facilius rumpi, quàm separari possit. Pro innocentia & oppressa libertate, in ignes & fulmina ruituros, honestiore morte ferro militariter concidendi, quam ut per ignonimiam, fracta laqueo gula (ut sibi Aula minaretur) pereundum foret.* Sic flagrantibus animis in crastinum differri colloquium debuit; cùm postridie Regiorum agmen Dankoviæ sub diluculum advolvitur, àquo mox plures equi tractantium in pascuis, etiam aliquot Nobiles socij intercepti sunt. Quod ut innotuit, dolentes lacessiti Confœderati, ac de iniqua impetitione, quâ nec pacandis rebus brevis mora daretur, apud Mediatores questi, dicto vale nulla conclusione in viam se dedêre; obliquo flexu Częstochoviam agmen vertentes. Certè inscio Rege factum constitit, nimium sibi arrogantibus plerisq; Regiorum ac recessum militarem timori & fugæ Confœderatorum imputantibus. In libris memorialibus reperio, die jx. Iulij inter juges pluvias nonnihil serenante Cælo, duas grandes columnas toto hemisphario flammas spargentes, sub meridiem apparuisse; quæ mox semihoræ spatio in unum coalescentes, velut bicorne vexillum aliquod efficerent; eo ostento futuræ cladis præsagitionem, præmonstrari nonnullis censentibus.

Częstochovia oppidum Præfecturæ Olstinensi annexum, Lubomirscij Feudum erat, cui in peramæno colle imminet toto orbe Europæo nominatissimum Clari Montis cænobium; Deposito Imaginis Deiparæ Virginis, à S. Luca (ut fert traditio) depictæ beneficijsq;

1665.

Rex Clarũ Montem visitat.

A Religiosis salutatur.

Quibus Cancellarius Lith: respondet.

Diversa apud Regios Consilia.

ficijsq; per fideles hîc receptis, celeberrimo. Loci miraculosi situm & Depositum, quia primo Climactere descripsi, jam nunc actum agere supersedeo. Incessit hîc desiderium Regem, locum ex devotione invisere, non solùm quòd tenerrimè erga Deiparam affectus Princeps, sed ne debiti cultus omissione ansam præberet sermonibus, velut negligens sacrorum, quæ biduo ante Lubomirscius devotè visitâsset. Vnde iterum in Sieradiensem tractum abeuntem donec insequitur, in patenti circa Vartam planicie Castris consistentibus; eques ipse in Montem Clarum plerisq; è Senatu ad latus deuotionis causâ ascendit. Expectabat ante portam Monasterij, Religiosorum loci cætus, per officium effusus; in Anachoretarum speciem barbata & candidata phalanx, donec exscendente Rege salutabatur ab Provinciali Ordinis; sumpta ab igne materia dicendi, qui præferri antiquitùs Regibus soleret (cum interim fulmina machinarum detonarent) veteri more & ceremonia, testandæ in Principes venerationi usurpata; quem etiam nunc Paulina Familia ferventium animorum affectum, in abscondito cordis deferat, imò præferat ad S. R. M. ingressum &c. Accipere gratè Religiosi cætûs officium ostendebat Rex; suboffensum tamen constitit, ex accepto hîc nuper & tractato à Patribus Lubomirscio, offensa tamen ea in tempus utcunq; condita, Regis nomine salutantibus respondit Pacius Lith: Cancellarius. eo sensu: Quando S. R. Majestas D. N. C. accensum ignem à Rebellibus, id est furorem publicum extinguere nititur, optimè admodum fieri, quando V. V. R. R. cum igne occuritis Principi, quem cupidè S R. M. expetit, nempè animorum sinceritatem, simul devotarum Orationum fervorem; quibus se Regnumq; suum hîc ad Aram Virginis Deiparæ, diligentissimè commendat. Festus dies erat S. Laurentio Martyri sacer, quo Rex ad templum rectâ descendens, in Sacello Virginis Deiparæ, aliquantum Orationi vacavit, donec expedito Sacro pranderet apud Patres, ministrantibus ad mensam Religiosis, ac somno in meridie refectus, demum hora à prandio secunda, valedicto loco sacro, in Castra se pernoctaturus contulit.

Continui imbres, & ex his molestæ cænosi tractûs difficultates permovebant Regem, uti lasso Exercitui in respirium alicubi consistens, injurijs cæli modica quiete obviam iret: aut quod verius, misertus desolationis Provinciarum, finem dissidio imponere pateretur; nisi aliquis infestus paci genius adversis consilijs, tranquillandi media excussisset. Iam Regina aberat à cunctis pro scopulo publicæ tranquillitatis habita, aut insimulata, sæpiusq; Rex privatis sermonibus desiderium sopiendorum motuum præseferebat, cùm in

1665. arcano adeſſent, qui obſeſſum planè Regem tenentes, quâ vellent parvi Æthyopes magnum Elephantem circumducerent: horum dicta pro oraculis, & conſilia pro regula agendi erant, imò qualesqua-
Violenta prævalent. les ſuggeſtiones, vim indilati effectus ſortiebantur; nulla pax, nullus reconciliationis modus placebat, niſi probantibus iſtis, ac quæcunq; placita pro imperio, imò pro claſsico accipi oportuit; palsim Rege, ubi nemo contra mutire audet, geminis Conſultoribus auſcultante. Ac tunc quidem Pacius Cancellarius, laborum Regis metam imminere, victricemq; de rebellibus ſubditis laurum ipſam in manum venire dixit. Vbi Lubomirſcius omiſſo in Majorem Poloniam, quò intenderat greſſu, jam ad angulòs Sileſiæ tergiverſando reſpiceret, ultrò reti involuendus. ac velut fatis pro optimo Principe pugnant bus, ſua ſponte ſe in naſſam injiciens *Sat fuerit gloriæ (ajebat) ſanguini ſuorum parcenti Principi, finibus Patriæ gravem exegiſſe, ſat ob demerita pœnarum, cum hac perfidi militis manu, non diu apud Germanos hoſpitem gratum fore, æquè Poloniæ oneroſum: ſerò magis quàm indebito ſupplicio pœnas daturum, ubi non ferrente vexam Sileſia, ob promiſcuas rapinas caſtigabitur. Amplius ubi reclinet caput non habebit, hinc milite Regio inſequente, illinc Cæſareanorum armis prædatorio agmini occurrentibus, niſi ut inter incudem & malleum poſitus, ultrò in caſſes ruat, ac velut obnoxia viſco avis nullo negotio capiatur.* Suaſioni adjecit preces, uti Lithuanis inſequendi comitteretur negotium, quominus relinquerent iſti perenne ſtrenuitatis ſuæ, in Polonia monumentum; ſimul demonſtraretur fide & reverentiâ in Principem, neminem ante Sociam Gentem, gloriari in tota Sarmatia poſſe. Annuit tum Rex pœnitenda ſuadendi, commodo in ſpeciem conſilio, ſi finibus Regni conjuratus cum Duce ſuo exigitur miles, jam incruentam victoriam, jam internam tranquillitatem reinducendam facilè ſupponendo. Ergo Pacius ſcopum tetigiſſe ſibi gratulatus, vocatum Połubinſcium, Gentileſq; ſuos, de tam honorifico Principis in eos judicio commonet, ampliſsimam promerendæ gloriæ occaſionem inculcat, præpturoſq; cunctis ut famam, ſic præmia ſpondet, ſi modò Confœderatos fortiſsimè (ut ſolent) aggreſsi, prædonum ſatius quàm bellatorũ manum, trans limité Regni depellerent; mõſtrarentq;, nec Rokoſſorum, nec perduellionũ autores in Lithuania naſci: imò ad ſubeunda quævis pro Regij Nominis amplitudine pericula, animos ſtrenuæ Genti abundè ſuppetere. Addebat plura inflammando, niſi vir militaris, à continuo uſu armorum, ſtimulo in gloriam haud indigeret, non neſcius quàm bellè de bello imperitis diſſerere promptum ſit, & rarum inter Togatos reperias, qui non verborum diſpendium, quàm ſanguinis facere mallet.

Depellẽdis Confœder: deſtinatur Lithuani.

Sub Ductore Połubinſcio.

re mallet. Erexit demum Princeps ad ſe vocatum, docuitq; quid 1665.
fieri vellet? ſi antegreſſus cum quinq; millium agmine, terga abeuntis Nexûs carperet: ſe mox cum toto Exercitu è veſtigio conſecuturum, & ſtrenuos præeuntis conatus, tota virium mole erecturum. Tum demum haud gravatim mandato paruit, ut par erat Połubinſcius; indictumq; in alteram diem militi iter, Signis Lithuanicis fervore Ducum, ad novam gloriæ meſſem animatis; additiſq; *Cum adjunctis Legionibus.*
ad recentes Cohortes, Exoticæ militiæ Legionibus, quæ apud nos veteri more ex Patriotis lectæ, ritu & habitu Teutonico, Legiones Germanorum appellantur. Prima erat Prætorianorum Cuſtodiæ Regiæ Phalanx, ſub Wrangele Sueco Legionis Legato; altera Equitum Germanicorum ſub Brione Gallo, noviter conducta; tum præter Deſultorios, ac ſeptingentes levioris armaturæ Valachos; (nam ferè Polonis, qui dudum ſub Mareſchallo ſtipendia meruiſſent, & nunc prompti favoris inceſſeret ſuſpicio, minus fidebatur) etiam complures è Voluntarijs, nullo mandato ſe Lithuanis ad certam lauream adjungebant. Nam ut obiter attingam, ea quaſi jam in ſinu habitæ victoriæ præſumptio erat, ut Brion Alæ Raytarorum Præfectus, ſub abitum, evaginati enſis mucronem, Rege coram jugulo ad- *Jactantia militaris.*
moveret, ſtolidè jurejurando ſe obſtringens, niſi Lubomirſcij caput Principi adferrat, eo ferro ſuum petiturum.

Ex adverſo Mareſchallus, ſeu Trzebicij Epiſcopi literis, defer- *Cur Czeſtochovã Lubomirſe verteret.*
veſcere in dies Principis iras, ac leniri animum nuntiantis; ſeu Palatinatûum Minoris Poloniæ Nobilitatis, quòd propediem ſperabatur, acceſſu erigendus, Częſtochoviam verſus eo conſilio iter verterat; quominus luculentis Olſztinenſis Præfecturæ ditionibus, tam ſine Provincialium noxa, miles ſuus reſpiraret; quàm & incolis Palatinatûs Cracovienſis tempus eſſet, uti à milite Regio perpeſsi injurias, ſi non in depellendas gravium hoſpitum rapinas, ſaltem Libertatibus tuendis, in defenſionem communis cauſæ convolarent. Sed fefellit utrumq; cùm alia ab Aula perſcriberentur, & contraria fierent: ea conſiliorum in horas mutabilitate, ut qui hodie ſpecioſa pollicendo, pronum ad ignoſcendum Regem exhibebant; mox velut diverſo áère afflati, quos flectere non poterant, contumaces appellarent. Itaq; ſuo fato permiſſæ partes, à conſectatoris ludo, in decretoriũ certamen ſe comparant: haud arduo congreſſu, ubi prior ſtudio abſcedit, al- *Lithuani Czeſtochi pergunt.*
ter è veſtigio efflictim conſequitur. Apud Kakawa pagum Confœderati; prope Brzeznicam Regij pernoctabant, cùm Lithuani Częſtochovam ſubitò invadentes, Propolas aliquot Lubomirſcianos intercipiunt; mox & Oppidanos acerbiùs habent, complices rebellionis & proditores vocando. Gnara hæc Confœderatis, proin alij

1665. noctem in armis tranſigere, alij circumdare vigilibus excubijs latera; mox inalbeſcente cælo in viam ſe dabant, uti abeundo vim eluderent, vel ſuo ordine diggredientes, ad retundendum impetum non imparati laceſſerentur. Primum agmen (militariter Antiguardiam vocant) Subſtitutus Borek duxit; ac is recta Konopiska pagum planè inobſervatus, ſummo manè tranſierat: vel ob dubiam adhucdum lucem, vel ex paluſtribus exhalante nebula, ac denſata Signa obtegente. Quippe Warta nobilis fluvius, velut in venerationem loci ſacri ad radices Clari Montis decurrens, Częſtochoviam alluit: mitior undis tripartitò ad oppidum diviſis, major & tranſitu difficilior, ubi præter humiles cænoſaſq; ripas, uno alueo effunditur. Is Kromołovum propè Satrapiæ Warſzycyanæ oppidum ex nemoribus ortus, ſubfuſcas & ſilveſtri origini concolores aquas trahit; inde per Sieradienſem Provinciam flexuoſo circuitu defluens, ac in Majorem Poloniam, Poznaniamq; Metropolim evolutus, unus omnium Sarmatiæ fluviorum, ad occiduum ſolem vergit; donec apud Coſtrinum aquis in immenſum auctus, ac cum occurrente è Sileſia Odera (qui veteribus Guttalus eſt) ſocio fluxu permiſtus, in ſinum Venedicum apud Stetinum Pomeraniæ exoneratur. Tunc fortè tumeſcente ex jugi pluvia alveo, contigua prata inundaverat, funditùs fallente ob incertas lacunas vado, ſublatiſq; vehementiâ undarum pontibus, aliquam partibus in trajectu moram objeciſſe videbatur. Priores Regij è pinetis Olſztinenſibus evoluti, oſtenſo ab agreſtibus vado traijciebant, ſparſim feſtinantes, cum medio milliari infra, alterum Confœderatorum agmen Polanovio ducente amnem ſuperaret: in quem ſi ingruerent, magnum ad victoriam in ſe junctos pugnando adjumentum habituri; vel certè exitium ipſi ſuum evitaturi. Sic illaceſſitus flumen ſuperans Polanovius, per ſubjectam Monaſterio planiciem procedebat, cum modicum progreſſo, ſex ferè Regiorum levioris armaturæ Cohortes ſe objecêre, quæ ille immotis Ordinibus ſolo Velitum procurſu aliquantum ſuſtinens; demum Piaſzoczynij oppoſitis turmis facilè pepulit, retruſoſq; per adſita paluſtria diſperſit. Quod ut conſpectum Lituanis, eminentia collis juga occupantibus, mox claſsico in pugnam conciti, effuſo curſu illatis Signis in adverſos feruntur, improvido ſanè fervore, & nulla in certamen ruentium ſervandi ordinis cura. Etiam Polanovius animadverſos in quos pugnaret adeſſe, Signa confeſtim vertit, ingruentibus vim oppoſiturus. Concurrunt mox acriter ad ſeſquihoram ambiguo perdurantis pugnæ diſcrimine; æquo utrinq; marte pariq; virtute dimicantes. Cùm Lithuanos accēderent mandata Principis, & melior pro Rege pugnantium cauſa; depreſſuros alioquin

Etiam Cz. fœd: eo ordine.

Warthæ Fl. deſcriptio.

Congreſſus Luth: cum Confœderatis.

Et pernicre certamen.

quin exiſtimationem Gentis, niſi vincunt; per contractam imbelliæ labem. Quidni ſponſioni facerent fidem, quâ ſe ultores contemptim habitæ Maieſtatis obtulerant? inſuper haud quaq; decorum cenſentes, ſi ſubſecutus è veſtigio Rex, fortiſsimaſq; Legiones in ſubſidium ducens, vel improbaret non ſat virilem in aggrediendis perduellibus impetum, vel quòd boni ſuperi avertant, diſpallatos ab fugaci agmine ſuos, cum dolore exprobraret. Ex adverſo Confœderatis pro ſtimulo erat, modus inculpatæ tutellæ; tamq; Legum ac moris Patrij in aſſerenda mordicus Electione gravamen, quàm & in perſona meritiſsimi Ducis innocentiæ oppreſsio. Iam ſe ab iratâ Aulâ ad laqueum & reſtim, aliaq; ignobili pœnâ ſupplicia deſtinari meminerant; & cur non potiùs tortorem & equuleum prævertendo, militari fato & generoſa morte tot bellis ſuperſtites caderent? ſanè patet, ut purpurâ taurum, ſic militem probris miniſq; ſervilibus in deſperationem accendi, & diſcriminoſos conatus eſſe irritatæ neceſsitatis. Talibus aut ſimilibus ſtimulis concitatæ acies, ferociter cognatis armis collidentes, pugnæ eventu aliquantum protelato, experiebantur. Cæcidit primo congreſſu Bobrowski Piaſzoczynij Vexillarius; ex Lubomirſcij item Prætoria plures vulnerati, inter quos Grocholski haſtatus commilito (qui poſtea egregium nomen bellis ſequentibus merebitur) per cubitum grobo enormiter transfixus; pluresq; hic cecidêre. Aſt ubi poſterius Confœderati Exercitûs agmen (Retroguardia) Ducente Oſtrzyccio vicinis ſylvis evolutum ſe oſtendit; quod licet extra amnem eminus exiſtens, non ſtatim in participium pugnæ venire poterat, attamen vel ipſa in ſuccurſum feſtinantium imagine, fulgentibuſq; ad oppoſitum ſolem armis, oculos qui ſemper primi in acie vincuntur everberantibus; tum demum Lithuani ſenſim langueſcere, ac militari receſſu oppidum verſùs regredi incipiebant; donec illatis ſumma vi Confœderati Signis, jam confuſos & tergum reſpicientes, toto Campo victores depellerent. Etſi opportunè ſubſidijs ex oppido regreſſui ſiſtendo ſubmiſsis ac Equitatu Germanico cum Prætorianorum phalange in ſuccurſum re jam perdita feſtinante. Sed hi parùm præſtitêre, imò ipſi ſe in naſſam implicabant, urgentibus enixè prælium Confœderatis, ut fractis jam & confuſis Lithuani Ordinibus, latè patente campo depulſi, in ipſum verticē montis pedem referrent. Non alia ſalutis ſpe reliqua, niſi ſubtus Claromontana mœnia admiſſi; tormentorum jactu à muris ſupernè protegerentur. Sed excuſſa ſpes velut naufrago tabula fuit. Subſtitutus quippe ex machinarum fragore committi pugnam conijciens, effuſo curſu revolabat; ac dum ad S. Barbaram progreſſus, locum refugij occupat, ſimul & tergum

1665.

Evētu pugnæ diu anceps.

Demum Regij à Cōfœder: aſperſi.

1665. tergum ex prælio recedentium præceperat. Etiam Patres Claromontani, sanè veriti ne parti succumbenti effugium præbentes, ipsi periclitarentur (in terrorem tamen persequentium aliquoties explosis machinis) portam Monasterij occluserant: cum intutum videretur asyllo excipere refugientes, ne irrumpentibus una Confœderatis, militari violentia locus sacer involveretur. Sic circumventi Regij aut pugnando cadunt, aut deditij capiuntur. Quorum haud exigua pars subtus mœnia Cœnobij Claromontani in fossas se demittens, loci sacri veneratione protecta est, moderante victore iras ac ferri licentiam cohibente in eos, quos Magna Dei Mater sub præsidium accepisset. Trecenti supra mille cæsorum numerati sunt, qui vocatis vespillonibus ad radices montis sepulchrum obtinuêre: loco tam insigni & celeberrimo, ut facilè credam jacturam vitæ, vel solo honore sepulturæ abundè compensatam. Cecidit ex insignioribus Casimirus Iudicki Præfectus Novogrodensis; ac Iundzil Cancellarij Lithuaniæ Optio; qui inter cadavera reperti, in vicino templo tumulati sunt. Inter captos Ductor agminis cum potioribus fuit, tum tres Pacij Cancellarij Lithuaniæ Patrueles, (qui ejus cladis fomes & incentivum) quorum alter Vexillifer Curiæ Mag: Duc: Lith: alter titulo Civoni Trocensis insigniretur. Łuzecki præterea Succamerarius Drohicensis; Srecensis, ac Szmeltinensis Præfecti; Alexander Minor Turmæ Equestris Rotmagister; de Bijs Gallus Peditum Colonellus; Brion Equestris Alæ Ductor; Wrangelius Suecus Prætoriæ Legionis Primipilus; Sulcius locum tenens, cum septemdecim Centurionibus, præter inferiorum Officiorum Præfectos, quorum cum gregarijs turba mille viros excesit. Cæterum Brionis Colonelli ut jactantia odio, sic imbellia cunctis irrisui fuit; qui in verbis ut supra attigi, stolidè ferox, ubi ferrum stringi oportuit, infra virum ostendit. Nam succumbentibus suis, primus nomine Alæ Germanicæ deditionem offerebat, (Quartier) victoris misericordiam implorando, & postquam turmales cum signis transire advertit, in effugium intentus ab Wolkiero Piaszoczynij Commilitone ad jugulum adacto ferro, mox colari prehensus abductus est: per omnia Plauti miles, audax in verbis, ignavus in opere. Lubomirscius rebus ordinatis, sub æstum prælij absens, versus Koziegłowy Amicis comitantibus tetendit, identidem commonitis suis, ut si omnino pugnandum foret, uti majorem protegendæ salutis propriæ, quàm eripiendæ alienæ rationem habere vellent. Demum re obiter peracta, velut victoria moram tendentibus injecisset confestim cæptum iter Confœderati prosequebantur, eadem agminum partitione, & exactè servatis ordinibus, abeuntes. Sic dum homines

In Clarũ Montem refugiunt.

Cæsorum numerus.

Ex captis potiores.

Lubomirscius prælio non interfuit.

1665. mines aut fallunt aut falluntur; ille qui supra nos nec fallere vult, nec falli potest, ex belli præjudiciò, meliorem causâ & justitiâ esse ostendit, qui potior armis haberetur. Ideo quidem ab initio mundi Leges conditæ, ut inter injuriam passum, & facientem discernerent: sed quia innatum mortalitati vitium, ut ubi vis prævalet, despicatui Iustitia habeatur, excluſæ beneficio legum innocentiæ, succurrere Numen voluit, ostenditq; in rebus humanis providentiam suam, sine quâ ne pilus quidem capitis nostri decidere queat, meliori causæ patrocinando. Hinc veteri ævo invaluerant diversa probandæ innocentiæ argumenta; vel per monomachiam binis aut pluribus pari numero decertantibus; vel candentis ferri tractatione, etiam in veneficia per aquam probationibus: quæ licet opis divinæ confidentiam suggererent sperantibus, abrogare tamen Ecclesiæ Orthodoxæ placuit, satius ducenti pati justos & mereri, quàm sub cæli adjuvantis prætextu, tam Iustitiæ quàm Legibus præjudicare. Etiam tunc promiscua omnium opinione, stabat, meliorem causa triumphasse. Nec omittendum, ut præsentes qui interfuêre memorant, ex volatu avium captum inclinantis victoriæ omen: cùm vel per obfuscatum nebulâ aërem; Regijs crocitantes corvi ac graculi, prope in ipsa Signa impingentes, haud dextrum augurium ferrent.

Ad Koziegłowy Tribuni rei prosperè gestæ laturi notitiam, læti ovantesq; ad Ducem ibant; ut quisq; prior non ingrato nuntio aures oneraturus. Is in extento Conopæo subsistens, & si jam de fausto prælij successu certior factus, ut quemq; ex Primoribus militiæ alacriter suo more accipiebat, præstitam operam, & exantlatum sui causa discrimen, quando re ipsa in præsens non posset, saltem boni affectûs contestatione pensaturus. Exhibiti simul ex prælio abducti, quibus ille nihil præsenti fortuna elatus, dum equis desiliunt, extra Conopæum obviam processit, & magis ut amicos, quàm hostes, sat blandè habuit, familiari complexu & sermone dignatus: demum ad paratas mensas humaniter invitavit. Dumq; Połubinscius proferret: *Quandoquidem sorte belli, quæ omnino variabilis est, huc sisterentur, subire æquo animo fortunæ judicium, magis ex inevitabili Numinis Decreto, quàm ex errore pugnæ aut ignaviâ suâ tolerandum. Cæterùm de æquanimitate Conciuium firmissimè persuasi, ita depressos sorte belli tractaturos, quomodo & ipsi in simili casu secùs jactâ aleâ tractari vellent.* Adhæc Mareschalcus modestissimè, imò rorantibus lachrymis *Impugnor ego non oppugno, & magis injuriam repello, quàm infero. In caput meum tot machinæ, ac cruenta consilia insurgunt; detracto ex Vkrayna, & Moschua bello, vires in me armantur. Ego Deo tantùm & innocentiæ fisus, vel recessu eludo ictus, vel meliorem*

Brevis digressio.

Apud veteres probandæ innocentiæ modi.

Augurium pugnæ ex avibus.

Lubomirscius Captivos humaniter excipt.

Połubinscio respõdet modestè.

1665. *meliorem Principis affectum, promereor patientiâ. Etiam nunc conditum vaginâ tenui ferrum, non districturus alioquin, nisi in tuitione salutis propriæ, ne vulnerarer. Cæterùm integram sibi cum Confœderato Exercitu, in Regem Serenissimum constare fidem, in Patriam amorem, in Cives respectum; ipsos verò præsentes hospitum locò apud se haberi, mox refectis cibo corporibus, quâ vellent dimittendos; jam edoctos, non in multitudine Exercitûs victoriam dari, sed de cælo fortitudinem esse.* Mox mensæ adhibitos Castrensi convivio excepit, nonnullis infelici casu consternatis; cùm reperirentur aliqui, qui inter pocula liberaliores jocos in solatium cladis spargerent. Duo tamen

Iurgium inter fratres. consessorum animos potissimè adverterant. Alexander Minor Turmæ Ductor ex Regijs erat, cujus frarer gradu & vocabulo Minor Casimirus, Iudicem Castrensem apud Confœderatos agebat: fortè an clementiæ Victoris fisus Alexander? an veteri cum Lubomirscio familiaritate elatior? haud retecto capite in Conopæum veniens, præsentis statûs planè immemorem se ostendit. Cui Casimirus velut commonefaciendo fratri, cur sic irreverenter se gereret quærit? *Depone (inquit) frater charissimè pileum, ne deponere cum capitis periculo cogaris.* Et insurgebat acre inter germanos jurgium, cùm semper ea sit bellorum Civilium natura & effectus; ut quæ apud concordes ex proximo sanguinis nexu vincula charitatis sunt, ea apud discordes, & in partes scissos, incitamenta irarum habeantur. Alterum jocosa energia risui materiem fecit. Erat cum Mareschallo Samborius Młoszowski Nobilis, jam insigni caluitie, & promissa barba; jam per sparsos argutè jocos inter militares notior. Is assidentibus superveniens, ac à Mareschallo quæsitus, quid ferret novi?

Iocus Militaris. *Bona omnia (respondit) nos ab omnium largitore Deo petimus; Da pacem Domine, & ecce is pro una pace, tres Pacios in manus nostras dedit.* Arriserunt omnes falso dicterio, & qui ipsi petebantur cavillo Pacij, tempestivum jocum ad solatium referebant. Sublatis mensis permissa omnibus abeundi libertas fuit; dono datis Połubinscio duobus præstantibus ab Duce equis, alijs item per Primores Exercitûs quibus veherentur suppeditatis, reliqui è gregarijs ob defectum, pedes remeabant. Nam cùm clangente tubâ restitui equi prælio captis juberentur; concitatus de industria in Castris rumor fuit, Regios acceptam cladem ulturos, totis viribus ingruere. Hinc Ductores seu intelligentes artis, seu ignari; sub auroram collectis in viam sarcinis; Calisium versùs abiêre: præda integra abeunti militi mansit; quæ in castris hærenti restituenda foret.

Cladis nũtium Rex accipit. Mstoviæ tum Rex in Canonicorum Regularium Monasterio prandebat, cùm in circumspectè allapsus nuncius, funditùs deletas Legio-

Legiones retulit: ac tranato Varthâ, Confœderatos contra tende- 1665.
re, notisq; per sylvas tramitibus; quis scit, an non in occursum Regi mox comparituros? Ad hæc: (ut in subitis solet) haud occultus pavor & consternatio, incessebat lateri proximos; qui antehac pugnæ immodici, jam nunc subsidente fervore pudefieri (immoto diutius Rege & silente) ostendebant; donec iterum Nuntius an comperta afferret scisitatus? ac eo hallucinante; mittitur Andreas Modrzewski, Excubiarum Castrensium Præfectus, cum aliquot Signis exploratum: revenientibus interea pluribus, qui à prælio elapsi, aut spectatores tantùm discriminis, certiora adferrebant. *Consternatio inter Regios.* nempè aleam quidem pugnæ meliori sorte in Nexum inclinâsse, superatosq; cum Legionibus Lithuanos; non tamen hostis virtute, quàm Regiorum paucitate, qui vi majore circumventi, ac nullo succursu aut auxiliorum submissione succubuissent. Cæterùm Confœderatos, ut in conflictum ex via à Regijs provocatos, strenuè admodùm manum conseruisse; sic profligatis Lithuanis, incunctanter ad iter accinctos, Signa retrovertisse, abijsseq;. Sed nec isti plenè informabant, nisi Rex singularia de prælio comperturus, citum equo veredarium, in Clarum Montem dimitteret; uti Religiosi visa actaq; ejus prælij singillatim relaturi, quantocyus adessent. Totis interea Castris apud Regios tumultuatum est; frendente passim milite, jam ob promissa, nec exoluta stipendia; jam pudore cladis, regiminisq; militaris socordiam incusante: nec parsum Regis consilio, jactis passim vocibus. *Trahi se irato cælo in prælium, adversus* *Imò militum suspecta voces.* *Confratres, ejusdem gentis & Patriæ Cives, etiam ejusdem Ecclesiæ Filios, ac quod magis detestabile in Patres, Fratres, & consanguineos armari, Manifestè displicere Deo belli causam, qui semper meliori patrocinari consueverit.* hinc adversam partem, numero & viribus inferiorem, favore Numinis prævalere ac vincere; evidenti innocentiæ documento: cùm nemo innocentiam aleâ damnari soleat. Ergo non ampliùs pravi consilij pœnas luerent, irent ad Regem ipsi, vel ex gremio sui mitterent postulatum, quatenus Serenissimus misertus Patriæ, non se ad cognatas cædes, & Civilem fundendum sanguinem duceret: neu vitam militum suorum, ita vilem habeat; ut desperatione incensis objectam velit studio abrumpendam. Iam *Exercitui profectio indicitur.* antehac innotuerat Regi nutare militum fidem, nec ambigua suspicio incessebat hæsitantium animorum, delatis nonnullorum sermonibus, qui hæc aut similia militi loquerentur: sed quia rigorem disciplinæ excludebat tempus, satiùs tunc visum profectionem Exercitui indixisse. Ex Sen: tamen consilio Mediatores Episcopi, in anteceſſum iter Exercitûs prævertebant, molliendæ ex victoria ferociæ,

1665. utq; ſpecies eſſet, omitti ex parte Aulæ nihil, quod ad ſarciendam concordiam faceret. Reverſus tandem cum ſocijs Polubinſcius, rei geſtæ & ſortis iniquæ caſum, Regi ex vero retulit; tantum ſanguinis fuſum & acceptam cladem ijs imputans, qui ſubſidia mittere omiſiſſent. Mox equitanti ante Signa Regi, occurrebant pedeſtres, revertentium è prælio globi, nonnullis ex Comitatu Regio prætergreſsis celeriter, ac monentibus, ut ſe latebris ſylvarum abderent, ne repræſentatio cladis cordolium augeret Principi.

Rex Lubomirſcium inſequitur

Prægreſſos Mediatores, diei tantùm interſtitio, Rex Caſimirus conſequebatur; ſi fortè proſpero eventu remiſsiorem Lubomirſcii nactus, acceptam contumeliam magis quàm cladem, aliquomodo compenſare poſſet. Sed is feſtinanter abibat, unde tota vis offenſæ, in Religioſos Clari Montis recidebat. Vapulabant iſti, tanquã favore in partes contorquere tela è machinis in Confœderatos omiſiſſent; receptum fugientibus occlusâ portâ negâſſent; imò Lubomirſcium ipſum hoſtem Patriæ declaratum, devotionis ſpecie locum viſitantem, confidenter & amicè nimis accepiſſent; aliaq; à malevolis objecta, quæ Regi vehementer irato bilem moverent. acceſsit promptæ in alterato pectore excandeſcentiæ motivum, ubi nebulo aliquis, in valvis portæ interioris, craſsiore gypſo inſcripſerat: Quarta Septembris, eſt Feſtum extractionis, Lithuanorum ex foſſa. Quod ubi legerat Rex, etſi ſubridendo tranſmitteret; altiùs tamen pupugit mordax ſcomma, cauſamq; dedit minus benigni in PP. Claromontanos favoris, imputata iſtis nimia in adverſam partem propenſione. Hinc evenit, ut ſalutatum prodeuntes, ac iteratum adventum in Montem Clarum gratulati Principi, indignanter his verbis acciperentur: Satiùs fuerat Patres, ſumere in defenſionem meorum arma, quàm in has ſalutatorias ambages, ex præmeditatò comparari. Nec priùs ad Sacrarium, aut deſtinatum quietis causâ cubiculum ivit: niſi protinùs accerſito Satellitij præfecto, (Gierſzewicz erat, ultra quinquagenarium provectæ ætatis. nec belli rudis) quem increpitum, ac in carcerem truſum, attentiùs cuſtodiri præcepit, perdurante in annum detentione: ſimul de alijs præſidiarijs habita quæſtio, etiam è familia domeſtica compluribus; unde ea in hoſtes Regis conniventia foret. Aderant ex Aulicis, qui exprobrarent ingratitudinem Religioſis, arguerentq; interverſorum Spiritualium reditũum, quos ex Kłobucenſi ditione, à Repub: in ſtipendium Præſidiarijs addictos, Cænobium in uſus privatos verteret. Fuêre qui dandum loco Abbatem, aut alium Ordinem introducendum ſuaderent: ut ferè; ſemper omnes cum læto Principe congaudent: rursùs indignante illo, mox atrâ bile concitantur. Vbi tamen Regi deductũ patuit,

Religioſi Clar Mon. offenſam incurrunt.

Salutãtes ingratè accepti.

Relegato Satellitio Monaſterij.

patuit, in præſidio exiſtentem militem, ab aratro in præſens vocatum, ex agreſtibus conſtare, ac veſte tantùm armiſq; militaribus, ſtipendiarios fingere: protinùs diſcinctos armis, ac ad raſtra relegatos, dimittere juſsit; trecentorum peditum impoſito præſidio, cui Włoſłowski Legionis Major, cum imperio ſub Commendantis nomine præeſſet; tam Præfecto, quàm milite ſumptibus Monaſterij alendo. Ita tunc, quia ex autore inflictæ cladis, ultio ſumi non poterat, vocatt in conſortium diſgratiæ Religioſi, & in crimen ſubſtituti noxam luebant: etſi objecta ſat luculenter diluentes. Occluſam quippe portam excuſabant, ne cum admiſsis fugientibus, victor ſimul irrueret, ac ita ferri licentia loco ſacro præjudicaretur; quòd non excuſa è machinis tela, ob defectum libratorum, pyrijq; factum; ſed magis ob reſpectum irregularitatis, ſi in unius gentis fideiq; homines tela contorſiſſent: inſuper quomodo in conglobatos & promiſcuè confuſos jacularentur, ſine certa utrorumq; pernicie; & majore ſibi ſcrupulo, qui læſiſſent, quàm quòd lædere omiſiſſent.

1665.

Præſidium cum Præfecto Regium, loco ſacro imponitur.

Movit dehinc Rex, hic inde per viam, diverſas accipiens Legationes. Aderat ab Hano Crimenſi, ſciſcitantis more ac requirentis: *Cur bellum cum Moſchis, ſummo fervore cæptum & promotũ non infeliciter, adeo negligatur? ut ne veſtigium militis Poloni, in tota Vkrayna, in conſervationem Provinciæ, compareat? Memorem Hanum armatæ cum Rege ſocietatis, eundem in continuationem belli gerendi in Moſchum præſtolari.* Subjungebat Nuntius (Abild Murza vocabulo) poſtulatorias, ut ſueta donaria Camenecum ex pacto mitterentur: non aliter quippe Hanum, ab hoſtilitate & excurſibus in Provincias Regni, ſuos cohibiturum, niſi pro præſtita opera, remunerarentur. Aderat ſimul à Tetera, Duce Coſacorum Iaśko Kułhak, qui egregiam Stachorſcij Præfecti Białocerkiewſcenſis commendaret in perduellibus coërcendis operam; neq; reticebat de ſua in Regem fide; adductis duobus infeſtis Vkraynæ turbonibus: Opara nempe & Caryko, qui concitatæ plebis anteſignani, arbitrio Regis juxta demerita puniendi, ſiſterentur. Cæterùm ſubſidia tam militis, quàm requiſitorum armamenti enixè petijt; ac ſi cordi eſſet Vkraynæ conſervatio, veniret ipſe cum Copijs Rex, ac hoſtes Regni anteriori bello fractos, in ſummam conficeret. Quod ſi domeſtici motus, præſentiam impediunt, uti ſeceſſum ex Vkrayna ſuum, mox regreſſuri, non improbraret, efflictim poſtulabat: ſcilicet opibus Chmielnicianis auctus ac ne perderet timens, retrò in tutiora abducere moliebatur. Pro maxima tamen retinendæ, in obſequio Vkraynæ, Nuntij adferebant, uti Metropolitanus Kijovienſis à Czarniecio abductus, cum alijs libertati ac laribus redditus, ſpem certiſsimam benignita-

Scytha Nũtius ab Hano Crim.

Etiam à Tetera Coſacorum Præf.

Adventum Reg. in Ukraynam urgent.

1665. tis Regiæ Colacis faceret, reduceſq; iſti in Patriam (cum jam eos diuturno carcere abſumptos fama vulgâſſet) contumacem plebem in fide confirmarent. Ampliùs Rex deliberavit, an emitteret? ne elapſo vadimonio, ſolveretur frænum inſolentiæ populi: aſt quia ſponſorem ſe Tetera dabat, cum præcipuis Tribunorum; ſi dimittuntur ſine armis, & ſumptu Reipubl: retenturum in obſequio Vkraynam, tunc demum aſſenſus in dimittendos Rex, donec commodè Mariæburgo reduci poſſent. In quorum locum Opara, in carcerem ductus, Caryko, quòd bis elusâ cuſtodiâ, præceps in fugam ſe proriperet, apud Radomskie palo infixo. Aderant & ab Exercitu Confœderato miſsi, qui excuſarent, apud Częſtochoviam cum Regijs, conflictum; in quem neceſsitate adacti deſcendiſſent: ſimul implorandæ Regis gratiæ, ut non magis præſentia errata, quàm vetera merita militum cum Duce ſuo, reſpicere vellet. Sigiſmundus Hynek Podlachiæ, ac Adamus Konarzowski venerant, movente jam à Claro Monte Rege; proin coram Generali Potocio commiſſa exponere juſsi, dum factum extenuant, & inflictam Regijs cladem, in neceſsitatem defenſionis referunt, nullo cathegorico reſponſo expediti ſunt, inobedientes Subditos, appellante Generali: uti qui in Principem ſtringere ferrum auſi, jam nunc velut legitimum actum excuſarent. Talibus excepti abiêre, quòd non in conſpectum Majeſtatis admiſsi, inclementiam & contemptum ſui appellantes. Rex demum Caliſsium pergebat, recedentibus inſiſtendo, injecto ad moram itineris gemino obice, jam quòd Legationib⁹ varijs, per viam ſubinde interpellaretur; ſed magis continua tempeſtate, ac depluentibus jugiter imbribus, quales veterrimi mortalium ſuo ævo non meminiſſent, tardatus. Intervenerat etiam hiſce diebus, ex gremio Iudicum Tribunalis Regni Legatio, quam Canonicus Gneznenſis Silnicius, ac Trzebuchowski Iunivladislavienſis Dapifer obirent; ea Commiſſorum ſumma. Non jam pro nocentibus ac turbidis militibus, (etſi iſtos reſipiſcentes, in Civium numerum recipere, paternæ clementiæ fuerit) ſed pro Patria omnium in ſe charitates complexa, Ser: Regem deprecari, quæ ab externis hoſtibus manca ac ſemilacera, ea ne per Civile diſsidium ac internas turbas, in extremum agonem ſuismet armis, & cognatis viribus agatur, Tribunal Regni humiliter poſtulare; agnoſcereq; ut causâ ſic viribus præpollere Regem potentiſsimum; non alium tamen cenſet magis egregium finem belli, niſi in quo ignoſcendo tranſigitur: oſtenſa contumaces per potentiam cóèrcendi facultate, quid demum Regia lenitas in demeritos poſsit, monſtrandum. Nihil quippe magis Principes ad ſidera tollit, quàm in ſupplices miſericordia; qui niſi archety-

Tum & eliberationem Metropolitæ.

Confœderati cladẽ Regijs illatam excuſant.

Aëris moleſtiſſima intẽperies

Etiam à Tribunali Regni Legatio.

1665. archetypo ſuo, conformes ſe, Dei Vicarij, præſtant deprecabiles, fruſtra ab eodem erratis ſuis veniam petent. Ponerentur itaq; arma; Patriæ utrinq; pernicioſa, ſecuri legum in exleges Cives diſtricta, ac interea miſerabilis ditionum Regni deſolatio inhiberetur. Hoc Tribunal: Regni Lublini congregatum, ſupremum luſtitiæ Areopagum, obnixè à S. M. petere, ſimul debitâ cum veneratione Regiam manum humillimè oſculari. Reſponſum in obſcuro fuit, ſueto Aulæ more, quæ placita accidiſſent, obvia propalatione vulgandi: contraria, ne in publicum emanarent, ſilenter tranſmittentis; aut ſaltem quæ amara eſſent, emiſsis in vulgum proiectis, dulcia fingendo.

Reſponſum Tribunali in obſcuro.

Aſperiora ferebant Palatinatûum Majoris Poloniæ delegati, Bardski ac Zbijowski, ex circulo Nobilitari apud Sremum congregato ad Regem miſsi. Leſzczynius etenim Regni Procancellarius, idemq; Majoris Poloniæ Generalis, priſci moris & rectitudinis Senator, ubi melioribus conſilijs, in Aulâ locum deeſſe, ac qui placita tantùm oggererent, æſtimari advertit, lubrico culmine procul ſe ſubduxerat: pro munere Generalis Præfecturæ, Iuridicundo Poſnaniæ intendens. Hic conſonantibus ex proximo armis, nec perfunctoriâ flammâ, ſed continenti incendio arſuras, Maioris Poloniæ oras prævidens, quominus ſecuritati Penatium eius Provinciæ, à licentia militari conſuleret, ad ſe ex officio pertinere ratus; literis Vniverſalibus Nobilitatem commonere inſtitit, quominus imminenti malo obviam irent, & igni qui pedetentim ſerperet reſtinguendo, intenderent; quem niſi avertunt aut extingunt, jam Calliſsienſi orâ malè mulctatâ, protinùs omnes cum laribus pignoribuſq; adurendos. Nec arenæ ſementem injecit præcuſtodiens, pluribus evidẽnti periculo excitis, etiam pleriſq; ob vetera odia, Aulæ perinfenſis; qui acriter ſtimularent cæteros, ſine ambagibus innuentes, non aliter Larium ſecuritatem conſtare poſſe, niſi armorum remedio: vel ſi univerſam R. P. pacare animus fuerit, meliori parti neceſſariò jungendos. Vnde vapulavit, tanquam commotæ Nobilitatis autor, cùm tamen ille, non ad motum & turbas, ſed ad rationes internæ ſecuritatis ineundæ, Incolas & Contribules Maioris Poloniæ ſinceriùs præmonuiſſet. Erant Vicecancellarius, cum Primate Regni Leſzczynij, ad invicem fratres uterini; quos Opalinia Mater rara fæcunditate geminos, uno partu in lucem protulerat; egregium ſi unquam fratrum par, non tantùm gravitate, prudentia, ac omni polytica virtute probè inſtructum, ſed etiam animorum concordia, corporis habitu, ac exterioribus vultûs lineamentis, adeo inter ſe conformè, ut niſi veſtis diſtingueret, ne noti quidem ac familiares, facilè dignoſcere poſſent. Aſt tunc quos natura conjunxit, ſtudia partium

Maioris Poloniæ Nobilitas ſecuritati internæ prævidet.

Leſzczynij fratres.

1665. partium in diversum sensum traxerant. Vnde Primas ad consilia Aulæ inclinatior, ac forte eo nomine requisitus, fidenter cum fratre per literas egit, exprobrantiq; prior scripsit. Vniversales literas quas ad Nobilitatem emisisset Generalis, non absimiles videri vulpibus illis Samsonis, ad quarum caudas alligatæ faces erant, quibus segetes Philistæorum exurerentur. Simili nunc conatu provocari Regem & irritari; cohiberi nequaquam posse, & ipsosmet Nobiles, si non satiùs meliori causæ, & majori potentiæ se aggregant, incensuros fomitem, quo demum retrusi dispallatiq;, singuli flammam domibus proprijs succendendis inferent. Ac fortè ex eò motivo, diversi argumenti programmata ab Aula prodibant: alia, quibus appromissa pacatè in domibus manenti Nobilitati, omnimoda protectio: contra: turbidis & partes facientibus præsens vastitas, & exemplaris pœnæ ex demerito interminatio. Hinc, quod sæpè accidit, ut qui terreat, provocet, ubi patuit Maiorem Poloniam à consectantibus se partibus, in theatrum destinari; haud multum cunctata Nobilitas (ut ferè ea plaga, quò ab Aula remotior, eò ad conservandas avitas Libertates ferventiori zelo fertur) mox in retundendam, quæ immineret vim, facilè sub Signa convolabat; Lubomirscius sub hæc, haud solidum in armis popularibus præsidium reputans, & intimiùs rebus suis prospecturus, ab ea manu, quæ plagam influxerat, medellam vulneri quærere instituit. Quippe Scepusienſem, Præfectum Fr:, Varsaviam ad Ludovicam Reginam, peretidæ humiliter opi ablegat; uti veterum meritorum intuitu, placatior, ac gravis lapsûs commiseratione, in pristinum favoris Regij statum restituere dignaretur: dato adstite, Stephano Niemierzycz, Kijovienſe Succamerario, qui consilia Iuvenis moderaretur: & quæ ille per erubescentiam haud efferret, veteranus pro confidentia apud Aulam luculentiùs explicando compleret. Subjuncto, (ad eliciendam commiserationem) quod se de toto, & in solidum arbitrio Sereniſsimæ, cum tota Domo sua, permitteret; & quidquid ipsa dixerit, censueritvè, modò ne Exul per externas oras vagari cogatur, ita sibi æquum, & jus fore. Nec aversò animo Regina, postulata accipere ostendit; dissimulato tantisper in causam sibi damnatum odio: ubi vel protectam divinitùs innocentiam respicit, vel per absentiam eorum, qui bilem concitarent, defervescenti iræ moderaretur. Certè haud gravatim pollicita reconciliationem, quovè sinceriùs cordi esse implenda promissa demonstraret, confestim expeditum Scepusienſem, seriò admonuit, uti aliâ viâ, quam quâ venerat, regressum institueret Varsavia; subesse namq; discrimen reverenti, & si in manus venerit, paterni criminis pœnas immeritò luiturum.

Primas Aulæ favet: Generalis Nobilitati.

Quæ sub Signa facilè convolat.

Præfectus Scepusij ad Reg: Lud: missus.

In speciem placatam convenit.

Neq; is in levi monita habuit, per obliquos circuitus ac diverticula viarum, mutato habitu rediens; quo incognitus discrimina itineris evitaret.

1665

Dum Leszczynius instinctu & literis, Christophorus Gtzymułtowski, (jam tunc ex Succamerario Castellanus Poznanienſis) ferventiore studio ad recolligendam sub Signa Nobilitatem apertè descendebat; velut tertias partes facturus, ac contra vim inferentes pro Republ: Palatinatûum vires oppositurus: qualem actum hodie, ab externis usurpatum, Neõterico vocabulo Gwarantiam vocant. Hinc modestia, per eas oras Confœderato militi commeanti, quominus ad se alliceret; offensæ erat Regiorum, quævis rapiendi licentia: præsertim in greges ovium, quos illùc numerosos incolæ alunt, immisericorde lixarum pugnâ consurgente. Vnde eò magis adversus vim, Provincialium cætus augeri cæpêre: acerbè frementibus, qui injuriam passi, & ubi verborum querelæ parùm movent, in reprimendam violentiam, pluribus locis conciti, pulsu campanarum agrestes, abigeatus armentorum, sanguine & cædibus lixarum rependebant. Palam erat oræ illius Nobilitatem, vel ob solam vexam Domuum, & direptiones molestissimas, in partes Lubomirscij haud obscurè inclinare: cùm isti nullâ morâ progredientes, ac obvio commeatu contenti, vix sensibili colonorum damno transirent: contra Regij ob peditem viarum & cæli injurijs lassum, ac Castrorum impedimenta seriùs, commeantia, per triduum quandoq; uno in loco, & ampliùs consisterent. haud exiguo quâ ibatur orarum gravamine. Sed vel maximè Nobilitas Nuntios suos, indignanter dimissos, pro contemptu accipiebat. Quominus verò surrecturi motus in herba comprimerentur; expedierat Aula Bonaventuram Madalinski, Supremum Thesauri Notarium, qui tam Ductore quàm Provincialibus ad mitiora suasis, demonstraret ideo Regem accinctum armis venire, ut pacem faceret: nec ab ijs ex ordine & legum præscripto agi, ubi vetitis congressibus se immiscentes, provocarent armati Regis patientiam. Talibus dum præcipuos è Nobilitate convenit Madalinius, quia ex mandato, etiam inter necessitudine obstrictos fidenter expostulabat; obturbatus clamoribus Nobilitatis fuit: & nisi characteris divini humaniq; reverentiâ cohibuisset, non planè ex condigno dimittebatur; unde non injusta ex vilipenso Majestati offensâ, & Ministris ad latus, quorsum ea vergerent, facilè licuit conjecturari.

Castellanus Poznaniē: sub Signis Nobilitatē educit.

Rapinis & direptionibus vexatam.

Ad hos sub mittitur à Rege Madalinius.

Malè acceptus.

Sic congregata Majoris Poloniæ sub Signa Nobilitas, ne non pro focis tantùm & penatibus se armari ostenderet; quo in præsens Respublica, ac Cardinales Regni Leges gravarentur præjudicio, redactis

Capita gravaminum conscribit Nobilitas.

1665. redactis in compendium capitibus, velut rationes Aulæ exponebat; ob quæ indemnitati Patriæ consulendo, ad necessariam convulsarum Legum & tranquillitatis publicæ tuitionem, descendere debuerit. Earum capita prætensionum, in modum problematicarum quæstionum descripta; ex libris memorialibus fideliter insero.

Quæ in synopsim redacta recensentur.

Quod Sen: Con: suadere præsumpsit, aut concludere potuit, ut Rex Ser: ad Civile bellum inconsultis Ordinibus Regni descenderet? Cur M. D. Lith: Exercitus, relictâ limitum suorum defensione, in Regnum violenta arma, contra leges unionis iutulerit? cur Duces Regni abductis ex Vkrayna Legionibus, cum Exercitu in visceribus Regni existant? cur Clarus Mons Częstochovienſis, devotione populorum totâ Europâ insignis per Religiosos loci, ab insultu & potentia Suecorum proprio sumptu & Marte defensus, imposito præsidio gravaretur? cur oppida & Castra Iuridicundo destinata, milite Regio firmarentur? qui tam Iudices, quàm provocantes ad forum excluderent? cur permulti Nobiles injectis collo restibus, spectantibus proh dolor! imò gestientibus Legum custodibus, vincti captivarentur? cur pro autorandis ad Civile bellum delectibus, Regni Cancellarius patentes literas, Sigillo Majori communiret? fortè an oblitus ejus loci Officiales, in simili ausu per legem pro Infamibus declarari? Cur Illustr: Primas, arcanos cum Regno Galliæ contractus, quibus alienatio bonorum, & Reformationis S. Regnalis Majestatis continerentur, insciâ Republ: subscripserit? Cur idem ex privato consilio, aliquot tantùm è Senatu conscijs officinam solidariam aperire, & notabiles summas procudere jusserit? Cur Tartaricæ Cohortes Decreto Commissionis exautoratæ, in Exercitu Regio compareant? Cur externorum Legatis, præcipuè Sac: Cæsareæ Majestatis, ac Electoris Brandeburgici publicum (Audientiam vocant) negaretur? Cur ex bonis Spiritualium Contributiones per Sen: Con: ad bellum Civile sancirentur? Quæ eadem bona cùm pro Patrimonio Reipubl. censeantur, indebitè à Ducibus Exercitus, geminatis hybernis onerari? Cur in causis Civilibus, & merè foro Tribunalitio competentibus, Cancellaria Reg: Major, datis mandatis ad Comitia innoxios evocaret: Cur Grodnæ in Lithuania, sub Convocationis titulo, Consilium seu Conventiculum Legibus unionis repugnans, cum Proceribus Gentis, ad instar Comitiorum indictum, & celebratum esset? &c. &c. aliaq;; quæ ne fastidio sint omitto, per iterum missos ex gremio sui nuntios, Nobilitas perurgebat: adjectum insuper postulatum, uti Rex editis ad alios Palatinatus Restium literis, publicam motionem indiceret; ac demum Equestribus Comitijs habitis, tam crassis in administratione politica erroribus, imò perimentibus exorbitantijs Resp: mederi posset. Propiora hæc jurgio erant, unde Nuntios aliquantisper distinuit Aula, inter

Comitia Equestria.

1665. iram & dissimulationem cunctata; nec vanè deliberavit, an responderet? vera pleraq; objici sciens, quod si severiori Rescripto iterum exacerbarentur, sua sponte turbidi, jam alios Palatinatus pravo exemplo, ad similes motus facilè concitaturos; cùm sat in præsens negotij facesserent, propiores loco & affectu Confœderatis. Mitiùs itaq; acceptos, ac benignè habitos Nuntios, (qui fuerint comperisse non licuit) Aula dimisit, nisi quod pro more suo Prazmovius, ad Castellanum Poznaniensem scripserat. *Minoris momenti eas Theses videri ab eo missas, & satiùs in aliquo Gymnasio inter Scholares, non in arena Martis ab armatis disceptandas. Ad quid enim ea inquietitudine commoveret Contribules suos Castellanus? meliùs illis Consulturus, si neglectas per æstatem fruges in horrea deportarent; aut conseminandis in hyemem arvis attenderent: quàm injurijs Cæli insueti, operoso sed frustraneo belli conatu exercerentur. Errores quos ille Aulæ imputat, si in Comitijs Regni abolendos promovet, sanè ex ordine facturum. Certè dum alios corrigit, ut ipse culpâ vacet necessarum, sine qua si probè se dispicit, esse nequit ad hos tumultus concitando Majoris Poloniæ Incolas, cùm Publica motio, Lege vetante, sine divisione belli exciri non possit.*

Litera Cancellar: ad Poznanien: Castell.

Interea de die in diem indesinenter perpluebat, ut videretur vel cælum ipsum miseriæ nostræ complorare, vel madefacta continuis imbribus tellus, ulteriorem viam contendentibus abrumpere. In proximo hyems erat, & mox succesturæ imbribus áëris injuriæ. Augmenta virium Confœderatis accedebant, flumini velut qui longiùs progressus, vires acquirit eundo. Apud Regios cuncta nutabant, milite cognata arma passim execrante; imò non vanè fide Legionum suspecta, ubi per varios excursus cum Lubomirscianis congressi, condito interim ferro, familiaribus colloquijs; imò & poculis crebrò vacarent. Hinc finiendi disidij iterata cupido, vel instinctu conscientiæ, vel imminentium consideratione. Vndiq; compellabatur literis Rex pacem suadentium, jam supremo in Regno sacrorum Præside Leszcynio; jam Stanislao Warszycki Castellano Cracovienſi, ac eo nomine sæcularis Senatûs Principe, enixè ad pacandos motus Regem trahentibus: sed præcipuus ex Regina Conjunge stimulus, quæ, seu per Scepusienſem Præfectum (ut attigi) submissione mitigata, seu prudens ac casuum humanorum memor, perq; interualla temporis despumante affectu, mitiora perscribebat ad Regem. Nempè formidini sibi esse, Coronatum caput gregario discrimini objici, nec minùs inter populares dubiæ fidei, Principem periclitari. Extractum nullo operæ pretio Annum, instare hyemem; per quam eo magis sibilabunt angues, quando malignitas poti-

Cælum tandem mitiora persuadet.

Primores Senatŭ de concordia interpellãt.

Etiã Regê Lud. per literas.

1665. tas potiorem se armis jactabit. Proinde malle se extra discrimina positum salutare Regem, quàm pericula eluctato de victoria gratulari. Dissimularet tantisper, & fato permittat, quòd ex condigno comprimi nequeat; ubi justus rigor non succedit, clementiâ usurus &c. aliaq; addidit, quæ & anxiam amantis mentem explicarent, & per extrema pacandi dissidij modum averterentur. Vnde in curas

Iterum ad media tũ. meditationis iterum revoluta studia fuêre: Mediatoribus sedulò in opus commonitis, vel præsentium tædio, vel futuri solicitudine.

Rursùs me diatio Conf: offertur. Iam Confœderati accelerato diggressu, ne faventibus nocerêt, in Chełminensem tractum abibant, recreabantq; exhaustos viarum molestiâ equos, per herbida opimo pastu; cum Bydgostiâ haud procul, citus equo veredarius, subsistentem aslequitur Lubomirscium, nuntians: uti sisteret gradum, præstò adfore Mediatores, qui inter utrosq; de pace transigerent. Non ingrata hæc Duci, statum rerum & temporis intimè perspicienti; sed aversabatur miles suspecta

Sed isti renunt. consilia, ultrò offerentium, quæ antea mordicùs negâssent; & eatenus speciosa dictu in verbis esse, uti delusos ac mentione concordiæ remissiores, faciliùs in rete impellerent. Potiùs extrema quæq; perpetienda censebant, ne artibus dolosis circumventi perirent, qui æquo marte vinci non possent. Ejusmodi scrupuli dum reconciliationem morantur, & Aula oblatam gratiam vicissim sperni indignatur, rursùs in consilia armis rem terminandam itum est, tanquam contra publicæ tranquillitatis hostes, & in perniciem suam obduratos. Ergò motis Castris, directa in adversos acies, nec quidquam ab utrisq; omissum, quo se ad subeundum decretorium certamen paratos monstrarent. Quippe jam Signa Majoris Poloniæ se Contæderatis junxerant; militemq; continuo labore & itinere fractum, tot perpessæ ærumnæ, ut de summa rerum armis decerneretur, impellebant. Apud

Ad Palczynum utrinq; certamen apparãt. Palczynum itaq; per extensam planiciem contra stetêre acies, in novissimum discrimen enses dexteris aptando; velut interitus Poloniæ nisi à Polona manu procurari non posset. Hinc Rex Casimirus ut sanguinis, sic nominis Iagiellonici novissimus Successor; qui nequaquam commodiùs, nisi in gremio Nobilis Poloni se dormire diceret: illinc Nobilissimarum Familiarum Cives, præcipua Regni hujus portio, quibus semper & ab ævo integra in Principes fides, & illibata ex constanti obsequio gloria constitit: nunc cæco furore rapti, velut Andabatarum paria in semet ruebant, cruentum protinùs certamen apparando.

Cõfœderati restitutionem in integrum urgent. Mediatores tamen inter impersuasibiles, aut inclinantes, diversis rationibus; jam Duces, jam militem verbis aut lachrymis obtestabantur; quominus sensim ad concordiam traherent. Potissima contro-

1665. controvertendi materia, cùm protinùs solvendum Nexum Rex vellet: negarent enixè Confœderati, nisi priùs indictis, ac conclusis Comitijs, restitutio in integrum oppressi Civis, tum & amnestia militi, per legem latam definiretur. Opponebant Mediatores, iniquum videri, à subitis ijsq; armatis, velut per extorsionem cum Rege suo, ad tam contumeliosum stipulatum descendere? cur non potiùs innatæ benignitati Regiæ confisi, sine conditione in totum se arbitrio optimi Principis permitterent? sed à pluribus reclamatum est recusando: quæ anceps biduum tenuit disceptatio. Donec tandem po-

Tandem cõcluditur concordia tentissimum necessitatis telum, & quovis prætextu efficacior Civilis languinis parsimonia persuasit. demum; ignoscendum obstinatis, nec ampliùs in extremis desperationem irritandam. Ita divinitùs ut creditum ab omnibus, immissa inspiratione, post exhausta verborum impendia, tandem & districtum ferrum, partes vaginâ condebant: præsertim cùm Lubomirscius Patriæ causa, quævis Principis mandata laturum se submitteret; si modò immerito exilio consuleretur. per delassatos jam & rauce scentes Præsules, verbotenus definita concordia stetit. Majoris Poloniæ Nobilitas, diversis Castris egit, velut neutralis, aliquam ostendens Gwarantiæ speciem: non ideo tamen à susceptis partibus, & superaddito civilibus dissidijs fomite in totum excusabilis fuit. Certè oppressi tunc Incolatus gemitum, & cælum penetrantes agrestium querelas, quæ perpessi à Lixis; enarrare supervacuum fuerit: crebriori incusantibus Aulæ responso. Eos demùm fructus belli esse, & annexam armis provenientis calamitatis coronidem. Neq; minùs insolita tempestas afflixit Provincias, de qua appositè cum Poëta profari queam:

Nimium nocentem mœsta pœnitentiá
Lachrymis mundum obruit, Cælum fatiscens

Segetes pluvia corrumpit. ea aëris intemperie, uti devectæ in allodia segetes, per tecta horreorum pessundato grano efflorescerent, eoq; ipso exhausta seminis virtute corrumperentur. Vnde post acerba fames exorta, ac hanc consecuta pestilentia, inter causas publicæ calamitatis numerari debuit. Cæterùm capitulatio initæ ad Palczynum inter partes complanationis, verbotenus tantùm in stipulatum deducta fuit. Ijs conditionibus. Ponerentur utrinq; bona fide arma. Rex extra ordinem

Dirempta arma verbotenus. Comitia Ordinibus, quàm primùm indiceret, in quibus restitutio Lubomirscij; amnestia Nexui; exolutio stipendiorum militi; Injuriatis eo bello satisfactio; condicerentur. Lubomirscius extra fines Regni secedens, pacatè finem Comitiorum expectaret. Etiam Confœderati in Nexu subsistere permissi, donec Novella lege indemnitati consulitur, in hyberna per Majorem Poloniam locandi: cùm

1665. Regius miles, per minorem & contiguas ei Provincias, disponitur. Et eam transactionem, indefesso labori Andreæ Trzebicki, ac Thomæ Lezynski Episcoporum adscribendam debuimus; cùm isti inter

Indefesso Mediatorum studio

dissidentes medij, & sæpiùs partibus suspecti, non Cæli injurijs, aut viarum molestiâ, non indignantium aut adversantium renitentia, animos despondentes; noctu & interdiu operosum tranquillandarum partium negotium, indefessi agitavêre: donec tandem in effectum perducerent. Vnde in Trzebicium, enixiùs pro Lubomirscio, quâ zelosior erat, agentem, vehemens Aulæ excandescentia: rursum in

Trzebicij Epi. Crac. præcipue.

eundem dum pro Majestate agit, diffidentia Lubomirscij insurgebat. Arbitrorum turbidos componentium simili sorte ijs, qui in media Ædium regione consistentes, ab infra vexantur consurgente fumo, supernè aqua decidua. Sic istis evenit, dum partibus gratificari satagunt, neutris satisfacientes, se ipsos in victimam odij malè contentis dedunt. Quod brevibus subjungo.

Nox sine cœcilinandi molestia

Vti semper Placentini præ Veronensibus, in Aulis favorabiliores sunt, & promptior nulla ad offensam occasio, quàm indignanti Principi vera dicere: etiam Trzebicius conciliandis partibus intendens, pro Ordinis sacri candore, dum ingenuè & ex vero agit, nihil Patriâ carius habens, per acriores literas aliquoties correptus fuit: velut alterius partis fautor, alterius recentium beneficiorum oblivisceretur. Ex his epistolis una (nam plures omitto) per modum responsi his formalibus legebatur. *Quod dudum in proverbio erat, jam nunc in veriverbium abijt; lachrymâ nil citius arescere:*

Epistola Regis ad Trzebicium.

dum Reu: Vra: (Rex scribit datis Cracoviâ, die octava Junij literis) solicitudinem nostram Regiam, & tribulationes pro Rep. susceptas, ex motivo justi doloris, nuper condolendo prosecutus; jam nunc prioris compassionis oblitus, & stylum & animum mutes, quando Majestatem nostram, alieno sceleri in crimen substituis, & sic exhortaris, ut in pertinacia condemnes? quo facto (cùm ejusmodi projecta transcribantur) legentes scandalisas? inculpatam Tutellam, quam veritati & publico bono paramus, traducis? Rebellem subditum tacitè justificas? zelum suum explicando, nos qui lurevictos persequimur, ad odium publicum exponis? jura naturæ, tuitionem sui permittentia, abrumpis? hostem Patriæ favore populi armas? & per consequens, ad restitutionem erepti nobis honoris, omninò teneris? cur aut quomodo plorarent Imagines sacræ? se non inquirere; multum tamen in his Imaginum miraculis, ac portentis impostura esse, palam liquet. Vti & nuper Szamotulis accidit, cujus rei relator Wotochius, ad latus nobis est. Hoc tamen satis mirari non possumus, quòd ex his imaginum sudoribus, R. V. in nos tela contorqueat; qui pacem in Regno nobis à Deo commisso tuemur; perduellioni occurrimus;

1665. *rimus; Confœderationes militares abrupimus; Gazæ Regiæ opes in Exercitus profundimus; veram pacem & tranquillitatem Patriæ, tam ab extra quàm intra procuramus; laboribus, sanguine, & capite nostro Regio, bene de Republica meremur; & non satiùs in Lubomirscium vibres? qui jura Regni violat; Diœcesim R. V. cum colluvie gentium invadit; bella cum hostibus Regni, imò victorias impedit; præsidia ex Vkrayna seducto milite abducit; viscera Patriæ lancinat, partem Exercitûs ad pernicioſum Nexum ab obsequio detraxit; Remp. in diversa studia scindit, ut sic scissam commodius cum externis licitetur: deniq; capiti nostro diadema, liberis populi suffragijs impositum, quantum in illo est, detrahere conatur. In Brionem Colonellum, quòd ex ditionibus Episcopalibus ad victum necessaria recepisset, R. V. fremit; & in perduellem nihil dicit, qui in Diœcesi Cracovien. sanguinem Nobilem violat; templa expilat; prædia terrestria invadit; sexûs muliebris honestatem tollit; aliaq; enormia scandala profundo involvis silentio. Equidem ea animi passio, ex nimione in personam eius affectu? an facultatis intellectivæ obumbrationi R. V. adscribi debeat, se prorsùs ignorare. Certè visitanti Deo, qui alijs afflictionibus suis, etiam istam superadderet, adscriptam velle. Nam cum R. V. conatus nocendi publicos in nos retorques, fateris perduellem, & excusas temerarium, malefacta arguis, & pro nocente ignosci petis, personæ indignaris, & sceleri indultum vis, bellum Civile execraris, & autorem approbas; omniaq; inverso ordine exponis, acta & intentiones nostras damnando, ut noxium caput attollas &c. &c.* Omitto alia ejus scripti contenta, ijs tantùm subjunctis, ex quibus liquidò patet, veritatem privatæ fortunæ bonum esse, nec dici eam, nisi cum periculo Regibus: hinc in Mediatorem Præsulem offensa, dum sinceriùs tangit vulnus, quò medellam ferret efficaciùs. Ita non sine Cruce Andreas egit, siniſtrè acceptis pacandæ Reip. studijs, utq; ad similitudinem Patroni decussata Crux esset, optimam pro pace laborantis mentem, ad ingratias Aulæ invidi trahebant.

Ad Palczynum ex condicto, in breves treugas positis armis, partes abitum adornabant; nullis scripto contentis in pactum Capitulationibus, cùm istis competentior in Generalibus Comitijs campus, & major stabiliendis firmitudo, ibidem aperiretur. Ac primò Lubomirscius deprecatus sub tentorio Majestatem, indifferenter & admodum jejunè acceptus; ubi supplex advolvitur Rege velut miserescente: ubi innocentiam explicat, aut anteacta commemorat, haud obscurè passionem animi prodente. Hinc verbis temperatum, versaq; ad consequentia reflexione, meliùs visum, causæ præsidia maturato abitu in medio relinquere, aut differre; quàm supervacuis prôèmijs malè sopitam litem importunè suscitare. Hinc perfuncto-

Vale dicit Regi Lubomirscius.

1665. rium ſalve, feſtinatum vale excipiebat, ſimul Confœderatæ militiæ Primoribus, ad oſculum Regiæ manus admiſsis; & ſi iſti aſperioribus verbis in Miniſtros Aulæ haud temperarent, velut ij pravis conſilijs Regem, turbis Remp:, deſolatione Provincias involverint. Auſteriori vultu Grzymułtovius Poznanienſis Caſtellanus; & qui alij Ductores Nobilitatis Majoris Poloniæ, accepti fuêre: ſed qui exprobrata ſibi armata coitione, tanquam illegali, ſat animoſè objecta diluebant, reponente Caſtellano; dum concitæ in arma Nobilitatis velut autor redarguitur. *Vbi avitæ libertates luraq́, ſub patrocinio legum minùs tuta ſunt, ea in priſtinum Statum aſſerere armis oportuiſſe.* Inſuper Nobililitatem, poſtquam Rex abijt, triduò in Caſtris retentam, ad ſancienda pleraq́; inter ſe, per modum univerſalis Laudi induxerat; ſumma fuit. Vti ad alios Palatinatus Regni, Nobilitatis nomine, rationes ſcripto comprehenſæ dimitterentur; ob quas ad pacandam Remp: Incolæ Majoris Poloniæ ſub Signa ſe armati contulerint, auitas libertates propugnaturi. Dein retecto arcano ſignificabant diverſas factiones, præſertim ſuſcitandæ iterum Electionis inſurgere: nec niſi junctis animis armiſq́; perimens libertatem malum, tollendum. Tum in Regimine polytico, errores perſtringebant, ad poſtulanda Comitia pro exorbitantijs invitantes. Etiam prævalentibus Comitiorum rupturis, an non præſtaret Equeſtria Comitia indici Ordinibus. In caſu dehinc convulſionis initæ pacis, (quod Deus avertat) uti particularis Conventus Sredam indicendi, penes Caſtellanum poteſtas eſſet. Item Armiluſtrij Provincialis, album ſeu matriculæ ad Caſtra per oblatam porrectæ, penes eundem manerent. Ad alios Palatinatus, mitteret è gremio ſuo Nobilitas, uti juncta opera, Lubomirſcio adeſſent deprecatores Majeſtatis &c. Inſuper Poznanienſi Conſiliorum Provinciæ Directio, imò & convocandæ ſub Signa, ubi opus Nobilitatis facultas, ex omnium conſenſu tribuebatur. Tum demum ſancito ejuſmodi Laudo, ac ſolutis Ordinibus, domuitionem inſtituebant, quid pro Rep. egiſſent monſtrantes, ubi triduò poſteriùs Regijs Caſtris ſua ſolverent.

Etiam Caſtellanus Poznantenſis.

Maiores Poloni Laudum publicum condunt.

Tum demum Domos digreſſi.

Rex Torunium pergit.

Ineunte Novembre, Rex dimiſſo Exercitu, nonnullis Togatorum comitantibus, Torunium movit, jam neceſſaria quiete valetitudini conſulturus, aut veriùs cum dilabentibus, quaqua versùs Proceribus Conſilium initurus, quod indicendis Comitijs opportuniùs tempus videretur. Ingreſſus Torunium die 11. Novembris, Regiâ pompâ ac magnificè acceptus, effuſa ultra pontem multitudine, & feſto acclamantium plauſu ſalutatus. Duo ſequentes dies Sen: Con: dati, ex quo diſtributio hybernorum Mario Iaskolski Caſtellano Santocenſi, ac Stephano Bidzinski, jam tunc Præfecto Chęcinenſi, demandata

1665. mandata fuit. Nec ultra moratus Rex, præterquam in omnem caſum, relicto Vrbi ex Prætorianis Præſidio, inde Varſaviam ſub menſis declivium movit; deproperata itineris acceleratione, ubi identidem de adverſa Ludovicæ Reginæ valetudine nuntij ſuperveniunt. Hinc ultra ſolitum mæſtior, haud celare quibat alterati animi paſſiones, quas impensè augeret, ejus anni expeditio, uti non ſat fauſto ſidere cæpta, ſic nec optato fine terminata. Serò noctis appulit Varſaviam, unde ad hanc Expeditionem die 10. Iulij Anni præſentii 1665. moverat.

Vbi de agritudine Ludovicæ R. fit certior.

Lubomirſcius, ſimul cum Confœderato Exercitu, in Majorem Poloniam ingreſſus, dum Signa diverſim in Stativis conſiſtunt, aliquantum Wſchowæ ſeu Fravenburgi, ubi Magiſtratui bellico reclinatorium moratus; demum extra limitem Poloniæ ivit, à potiori militum parte, Wronkos oppidum Sileſiæ, deductus. Infortunio ſuo clarior Exul, & ubiq́; Patriam inveniens, & ſi angeret nimium, eâ ſe per injuriam depelli, à qua ipſe nuper tot hoſtes depuliſſet. Vratislavia iterum pro Aſyllo fuit, ſat acceptus honeſtè; dumq́; vitandis de die invidioſis honoribus, ſerò noctis commeat, patulas portas, ultra ſolitum Magiſtratu exhibente.

Lubomirſcius Vratislaviam abit.

Varſaviam veniens Caſimirus, brevi hoſpitem deponebat, ne tantilla quidem mora valetudini indulgens: quippe Proceribus convocatis Sen: Conſilium indixit, pro deſignando vel maximè Comitijs tempore, quæ indicenda promiſſo firmaverat; & ex publico uſu abſolvenda omninò arbitraretur. Convenerant non infrequentes, etſi ægro Primate, Poznanienſis, Cujavienſis, Połocenſis, Luceorienſis, Camenecenſis, Epiſcopi. præter Statûs Miniſtros, ex Senatu ſæculari plurimi, quibus demum conſuaſoribus ſtetit, uti omiſſa convocatione, quam Aula, velut in præparamentum Comitijs præmittere intendebat, Conventus Nobilitati Provinciales, pro die tertia Februarij; jam verò Comitia Generalia pro die xvij. Martij celebranda, deſignarentur.

Comitiorũ indictio.

Attigi ſupra Metropolitanum Kijovienſem, ac Georgium Chmielniczenko, exteriori cucullo non ſat paterna odia in Poloniam tegentem, à Czarniecio Palatino igni fomitem ſubtrahente, ex Vkrayna abductos; qui nuper ut libertati reſtituerentur, per miſſos à Tetera Nuncios exoratum Regem fuiſſe: cùm ſubducti, & ergaſtulo longinquo clauſi, eò acriùs turbulentæ plebi tædium inijcerent, imò anſam rebellioni. Vnde dimittendos Sen: Con: cenſuit, præſertim Teterâ ac potioribus Coſacorum Tribunis, omnem pro reſtitutis modeſtiam, & obſequium ſpondentibus. Itaq́; tunc Mariæburgo, ubi annum ſupra, ſub honeſta cuſtodia egerant, in Vkraynam

Metropolita Kiovienſis liber dimittitur.

1665. nam non ſine excuſatione detentionis, honorificè remiſsi ſunt. Et Tokolſcius quidem ſeu perpeſsi carceris ignominia, ſeu viciſsitudinis rerum intolerans, Kijoviam reverſus, depoſitis Metropolitanæ dignitatis inſignibus, ſuo ſe Sacerdotio abdicavit, inter cœnobitas brevi extremum diem obiens. Etiam Chmielnicius velut ad exemplar ſenioris, ſe quoq; Aſceterio ſuo incluſit, perfunctoria in clauſtro manſione, qui demum ex abdito in lucem protractus (ſuane ſponte an alieno arbitrio non liquet?) inveſtituram Ducatûs Ruſſiæ, Ottomanica potentia fretus, Tyaram Cucullo, & Cilicium Paludamento permutabit.

Matrimonium Ill: Sobiescij M. R.

Eodem Anno Illuſtres tædas, fauſtus in Polonia Hymæneus accendit. Illu: Ioanne Sobieski, jam tunc Supremo Regni Mareſchallo, ac Exercituum Duce Campeſtri, tori ſociam accipiente, MARIAM CASIMIRAM, nuper defuncti Ioannis Zamoyski Palatini Sandomirienſis, Heröis utraq; hiſtoriæ pagina nominatiſsimi, relictam Viduam. Genus Heröinæ ex ſtirpe Marchionum de Arquino, tota Gallia celebre, & quâ togatis quâ ſagatis honoribus, ſub Chriſtianiſsimis Regibus perfuncta: indoles, forma, morum decor, ſupra æqualium ſortem, & vota felicium: hinc ad Matrimonium ſummi in Repub: viri progreſſus, cum quo dein indiſsolubili nexu vincta, à toro ad Tronum Poloniæ ſublimabitur. A proſperiore fato fuit, uti relicta Gallia in Poloniam veniens, ac Ludovicæ Reginæ contubernio adſcripta, non modò ejuſdem intimos amores demereretur, verùm etiam ſublimis animi Heroinæ, non alia intimior, ac particeps ſecretorum eſſet: ſic adgubernantibus fatis, ut quam Ludovica in ſanguine Succeſtricem Troni, anxia quæreret, eandem domi præ manibus habens, ignoraret penitùs: ratò mortalibus ſolatio, ut optata eventum, & eventus præconceptas ſpes, conſequeretur. Hæc demum alma Mater, Poloniam fœcunda prole beabit, ex ſe natos in ſpem Regni ſurculos, & divi ſanguinis ſceptro Sarmatiæ admovendi, incrementa producens. Quos Deus Soſpites, incolumeſq; Patriæ causâ ſervet, ac tueatur in ævum:
Reip. columina, Piaſtei nominis veſtigium, & in
Crucis hoſtes præſentiſsimum flagellum.

A. M. D. G.

ANNA-

ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTERIS TERTII, REGNANTE JOANNE CASIMIRO, LIBER V.

Elenchus Contentorum.

A. CH. 1666.

Ractatu Palczynenſi, magis arma poſita, quàm diſſidia compoſita ſunt; iterùm motu interno recrudeſcente. Lubomirſcius de reconciliatione agit. Projectum inſeritur, quo Anonymus aliquis, non aliter procurandam reſtitutionem Exulis, niſi reſumpta iterùm Electione oſtendit. Altera machina evertendi, Cohortium à Nexu abſtractio, utroq; medio irrito, Comitia protelantur. Literæ bello præludunt, Manifeſto innocentiæ Lubomirſcij in lucem prodeunte. Vnde Aula exacerbata. Ejuſdem ad Pont: Max: literæ &c. Primas Regni Leſzczynius diem obijt: ejus extrema & tumulus: Prazmovium in Archiepiſcopatu Succeſſorem nactus. Iudicium Aſtrographi de Anno præſenti

1666. *præsenti* 1666. *Ludovicæ Reginæ continua ægritudo. Aula se in bellum accingit. Palatinatus viceversa de reprimendis injurijs consultāt; indicta sibi publica expeditione. Literis demùm universalibus offensi, arma utrinq; apparant. Lithuani & Cosaci vocati adsunt. Rex Varsaviá movet. Nobilitas in Lubomirscij partes inclinat: Regij ad Nowe Miasto recensentur. Etiam Palatinatus aliqui sub Signis prodeunt. Prima tractatûs apud Vniecoviam instituta mentio. Rex de nocte Castra in Confœderatos movet. Dehinc subsistit, comparentibus pro Pace Ablegatis Palatinatûum. Quá ad Koninum disceptata Ablegati recedunt; dicto Cancellarij offensi. Lacus Gopło & Notesij fluminis descriptio. Confœderati ad Pakość oppidum; Rex alterá Notesij ripá Castris considet. Lithuani à tergo instant Confœderatis, Regij occupant ad Montwy trajectum. His se Confœderati objiciunt; ac collatis Signis pugnatur, depulsis cum clade Regijs: quorum cædes ingens & dolenda; simul victoris inhumana in victos ferocia. Post pugnam consilia Pacis resumuntur; Confœderatis retrò tendentibus; Rex abeuntes insequitur, Genuina atrocis cladis causa. Regina Ludovii: pacem per literas suadet. Vnde rursùs tractatus ad Łęgonice resumpti, sed iterum infectis rebus ab utrinq; discessum. Tandem Pax sub conditionibus componitur; quæ expresse positæ. Zelus Nobilitatis pro legibus Patrijs, & Electionis cautella. Conclusæ Pacis Instrumentum, à partibus subscribitur. Rex ad Iaroßynum consistit; quem Lubomirscius deprecatur. Ejus ad Regem perfunctorium vale: demùm Dambrovam regressus. Sed brevi hîc mora, in Silesiam pergit. Rex Varsaviam. Niezabytovius Legiones ad Krupia recolligit, sub Regimentarij nomine. Pacificatio Łęgonicensis in diversum sermonibus trahitur. Comitia Varsaviá cæpta, sed admodum turbulenta: demùm dissolvuntur. Misera tunc Poloniæ facies. Generalis Potocij affecta valetudo. Machovius Exercitui impositus in Vkraynam tendit, ubi excluſus Municipijs, ad Brailoviam metatur. Cum Scythis pugna, qui circumfusos multitudine Polonos, clade afficiunt.*

Palczynen: pacificatio verbotenùs condita.

VIx infestæ partes, Palczynensibus Campis decesserant, in Stativis respiraturæ; cùm nihilo quietior, operosa æstate hyems, iterùm irrequietos animos, vel ipso Hybernorum otio, ad turbida & noxia impellebat. Siquidem nuperus Tractatus ille, nullo stipulatu (Capitulationem vocant) expressus, aut descriptis conditionibus firmatus; sed verbotenùs tantùm conditus fuit, uti positis in præsens armis, quantocyus sanguini

guini Civili parceretur, etiam venerationi Majestatis tribuendo, quæ non ex præscripto conditionum, aut necessitate; sed sua sponte & Regiæ indolis clementia, inclinatam se ad parcendum ostenderet. Vulgato dudùm in Aulis axiomate: Regum clementiam, non in ipsorum modo, sed in eorum, qui parent ingenijs, sitam esse: præsertim cùm brevi Comitia indicenda, Rex Casimirus promitteret, in quibus partes conciliari, & convulsarum ex orbita Legum medella, efficaciùs tractari posset. Itaq; tota vis factionum ex campo in Curiam, & à manibus ad cerebrum trasierat, ut donec tantisper posita arma, vacant, acumine ingeniorum digladiarentur. Aula etenim, licetsi pro sedando dissidio flagranter in speciem agere ostenderet; haud obscurè tamen constabat, non facilè publicam tranquillitatem, cum restitutione Exulis conjunctam, sarciendam fore, nisi vetus fermentum Electio, adminiculo Tractatûum caput attolleret. Hinc Reipubl: pacandæ obex, partibus in diversa respicientibus, & involuta cineribus scintilla, in majus prorumpente incendium. Nam & Lubomirscius tam pro Libertate propositi tenax, quàm artis intelligens, non vanè prævidebat; ne pristini Statûs recuperandi studio, dum futilibus promissis fidit, etiam reliqua decoqueret, scilicet tam apud Exteros famam, quàm apud concives existimationem. Commiserat ille Alexandro Fratri, Comestabili Regni, ac Stanislao Filio; Scepusiensi Præfecto, negotij in Aula tractandi & concludendi facultatem; sed quia excipiebat, ne quid isti tam conscientiæ, quàm legibus Patrijs contrarium admitterent; proin veniam exoranti pro Fratre Comestabili, prima fronte blandius responsum fuit; ast ubi restrictim, ac cum limitata potestate transigendi negotij tabulas exhibet, in colloquio à Regina audijt redarguente, ab juniore fratre vilipensionis & diffidentiæ: tum in exulem acerbiores questus, cujus nondum edomiti animi, mitescere elatio. Hinc longior mora Varsaviæ Comestabili, effectusq; negotiationis in suspenso fuit; cùm interim Aula destinata perficere nimiùm quàm cupiens, in eo negotio nec una via, nec uno gradu procederet. Ibant siquidem redibantq; emissarij, Internuntij, catascopi, diversim circumemissi, sed præcipuè Wschowam seu Fravenbergam, imò ubicunq; Confœderatæ Cohortes, per Majoris Poloniæ oppida consisterent, à Nexu abstrahendis tentamenta submittebantur: eò collimantibus consilijs, ut vel in capite factionem præciderent vel si id factu arduum foret, saltem avulsis Cohortibus, vires, quibus niteretur Lubomirscius, detraherent. Ac primo ex Amicis non nemo, Vratislaviam expediebatur, instructus mandatis; cui pro veteri confidentia facilior promovendo consilio accessus, & ardùo

1666.

Studia partium turbulenta.

Lubomirz Amicis negotiū committit.

Sed Aula reijcit.

Anonymi conatus in persuadendo.

1666. arduo pectori expugnando efficatior suasio esset. Subijcere lubet eam Anonymi, sanè operosam ad persuadendum machinam, quæ mox per modum projecti in publicum prodierat; jam nunc ex vernaculo in Latinum translatam, curiosis sciendi non ingratum ex argumento parergon interfero.

An expediat? Quæritur?

Intervenit quæstio, ardua sanè illa, & ad decidendum difficilis, quomodo pristinus, Regno exacti Lubomirscij status redintegrari possit? plura aliqui media obtrudunt, diversa diversi suggerunt, in eo conveniunt prudentes, nullum efficacius reperiri posse medium, quàm convulsam Electionis materiam in integrum restituendo. Memoria quippe recenti hæret, nuperis Comitijs, quibus per legem obliterata illa, simul elaboratum in perniciem Mareschalci telum, ac velut signo dato consurrexisse tot inimicorum machinas, quibus non jam pro suscitanda aut restituenda Electione, sed contra æmulum pugnarent; ac abolendæ autorem ingratijs ac diffidentiâ Aulæ obrutum, in eum impellerent scopulum, in quo nunc naufragum agit: interea ipsi per caput oppressi Civis, honorum sibi & fortunarum struerent incrementa. Res ipsa loquitur, unius generationem, alterius corruptionem esse: quando insurgunt æmuli, crescunt malevoli, attolluntur adversarij, aliqui rebus, nonnulli spebus, sese ingurgitant, per depressionem Personæ, Domûs, Amicorum, Ministrorum: etiam eorum, qui bonæ voluntatis ductu in partes propendent, evidenti discrimine. Ea plurium in unum caput conspiratio, potissima causa est, arduæ collapsi Statûs restitutionis. Nec minor altera offensæ Reginæ indignatio, quâ nisi placata, tolli effectum non posse certissimum est: nec aliud æstuanti bili remedium, nisi unde læsam se prætendit, adæquatis rationibus concilietur. Tertia ut ingenuè fatear, nimia Regis facilitas, qui insemel impressis affectibus perseverans, ex alieno nutu irascitur, vel veteris benevolentiæ oblivioſus, indignari pergit. Quartam adjungam, beneplacitum æmulorum, qui per absentiam tanti viri, ad clavum negotiorum admoti, removeri nollent; alijs ut parem, alijs ut priorem ferre non sustinentibus. In his quatuor rotis, volvitur præsens Reip: gravamen: Rex læsam domi Majestatem, & apud Exteros convulsam famam prætendit; Regina in cassum suscepti moliminis arguitur; Ministros Statûs pungit, sua ab uno consilijs vinci fragilitas. Quid, si addam cladium pudet, impensarum piget, sed vel maximè dolet, ab exteris contemptui, ab adversarijs irrisui esse: perfunctoriè velut in Theatro monstrata, ad Tronum Sarmaticum vocati Principis, designatione. Remedia malo alia extraordinaria esse possent, ut casus fatales; alia Ordinaria, quæ in potestate & dispositione nostra existunt.

Primum & præsentissimum remedium, Comitia Generalia credi par est; si modò illa prisca virtute, & vetero Polono candore haberentur. Sed

1666. *Sed parùm in his spei & nihil opis: imò metuendum, ne non ab Iustitia vindicandum Exulem, ad iterum & gravius deprimendum malevoli conspirent; præsertim ubi Rex sua sponte, vel alieno ductu infensus; Senatorum plures è diametro adversi; Sigillorum Præsides, & qui alij ex professo inimici; Ordo Equestris diversa in studia scissus; pauci pro te, nonnulli silebunt, plerique & potiores (ut nunc sæculi ingenium) sua versi ad lucra Quirites. Fallax ergò opinio, depressis rebus per Comitia remediari; imò parùm abest, quin ea timenda magis, quàm optanda sint: præsertim in ea adversariorum inquietudine, vetera odia, nisi cum vindicta invisi capitis decoquentium &c. &c.*

Magis ad rem arbitrarer, collapsæ fortunæ, ex virtute Civium, præsidium quærere; si excita in publicam Expeditionem Nobilitas, oppresso Concivi succurrit; in tam evidenti Libertatum jacturâ, & non inani armatæ Tyrannidis metu. Sed hi audendo & agendo, non querelis, aut scriptorum Projectis, trahi in partes facilius possent, Lubomirscianum Martem retrogradum conspicati, domi se continebunt: ubi stringi ferrum, converti & inferri Signa, ac non instrenuè apud Częstochoviam multatos Lithuanos vident, mox pugnanti accedent; qui discurrentem deseruerant, & non segni auxilio juvabunt, reciproco mox succursu erigendi. Quid si Brionis insolentia, eo modo in antecessum compescaretur? certè jam vel finem turbis, vel modum componendo dissidio inventum iri. Non vanus etiam subest scrupulus, publicam Expeditionem plus damni Provincijs, quàm auxilij Lubomirscio allaturam. Per me licet coëant? tamen acriùs verbis inter se illi contendent, quàm pro parte injuriati Civis re ipsa præstabunt. Iustus interea patietur, imò Rex inducta gentium colluvie, Scythis, Cosacis, Suecis, Lithuanis, vel perficiet armatus quod optat, vel opportunè calcitranti equo frænum cudet, ubi is macerabitur. Quod si Nobilitati Aula prævalet, actum est de Republ.; si æquales armis ac pares potentiâ erunt, deficiet sensim Populus, cui semper in opere Martio defuit perseverantia.

Vires Populi an sint ejusmodi, ex quibus consummata victoria sperari possit? per omnes rationes disquirendo haud assequor: adsit strenua agendi in Duce promptitudo, celeritati conjuncta. Quæ duo apud nostrates frustra requiras, præsertim ubi rapinis militaribus ad curam penatium abstracti, potiùs ducent consulere pignoribus, quàm publico &c. &c.

In Polonia, à Rege, Senatu, Spiritualibus, ad Oppidanos, & Agricolas usq;, contrariantur omnes Status Nobilitati; cùm Equestris Ordo amplior cæteris, suas tantùm augeat Libertates, cum depressione aliorum. Dato casu, nihil certiùs quàm luxuriantis arboris frondes rescindi, & proceritatem ramorum depressum iri: quod in Dania practicatum. Unde amoto fræno, Majestas liberiùs regnaret; Senatus sublatâ æmulâ po-

1666. tentiâ autoritatem repararet; Clerus onera Hybernorum, Differentias de Decimis, tum & reassumptionem Privilegij Iagiellonis vehementius urgeret; Oppida eximi Iurisdictioni Nobilitari, & suo Magdeburgo se permitti vellent; Ruricolæ insuper ex eo indiscretæ dominationis purgatorio, ad Campos Elisios, subditatús Silesiæ more; emergere cuperent, &c.

Spargitur rumor, Cæsarem, & Electorem Brandeburgicum, Regi nostro per Ablegatos detulisse, si in sopiendis domesticis turbis, Externorum auxilijs uteretur; ipsos vicissim Exercitus suos, ad limitem conducturos, securitatis propriæ causâ & provisu. Vbi factum? quia aliud Polonia, nisi Theatrum gladiatorium erit; per suos ad incitas, & novissimum agonem impellenda, mox ab ejusmodi auxiliarijs diripienda. Non meherculè aliud esset, nisi mera Olygarchia, per colla Civium, & cineres Patriæ mutationem Statús procurare. At supponamus ex Regalistis victoriam? quod haud quaquam possibile (arte illis & industriâ agentibus, ac semper pacem offerentibus, ut eludant potentiam) mox necessum erit, Arces externis tradere, sub titulo securitatis; bona Reipubl: oppignorari prætextu necessitatis; totum demiq; Regnum susq; deq; vertere, obtentu edomandæ Rebellionis. Rursus fiat sanè restitutio oppessi Civis per vim, seu armorum beneficio? tunc non aliud consequens sperandum; nisi ut vertatur torvus in gravem Majestati subditum oculus, haud deërunt in conclavi subtiles, invisi capitis delatores, & subplantandi media; novæ criminationes, Personæ vilipendium, & omnibus æmulis, acrior implacabilis Principis ira. Ergò iterum criminationibus impetent; confictis calumnijs onerabunt, vitæ & honori ex obliquo insidiabuntur: quæ ingenuo animo gravia, anxium tolerandi vel ad privatam vitam, vel ad spontaneum extra Patriam adigent secessum. Iij verò, qui nunc honores, opes, facultates, imò vitam suam oppresso devovent, quò se vertent? licebit ne deserere Amicos? fasne fuerit inter incudem & malleum positos linqui? ingenti cordolio suo & illorum fremitu? absit? ergò in publica Nobilitatis expeditione, modum restitutionis reponamus, quæ ostentui tantùm, & ad apparentiam grandior machina, revera magnificum nihil.

Pathos Hyperbolicũ

Quid amplùs restat, quod non perpetieris ob hanc Libertatem inclyte Heros? erepturus commune bonum evidenti naufragio. Sancti Martyres, fortunarum & vitæ, pro Christo jacturam subiêre; jam nunc transcedunt ærumnæ tuæ pro Libertate, supplicia Martyrum, quando & inclyta Domús, & Amicorum fidissimi, Ministri optimi, etiam & noti omnes, ad eandem passionem inviti trahuntur. Qui rerum sublunarium, idem & Libertatis cursus est; insurgunt omnia quousq; ultra procedere possunt; ubi superiores metas transgressa sistuntur, imò in præceps corruunt. Nec quicquam Libertatis conservationem magis procurat, quam in bene Ordinata Rep: Statúum æqualitas. Hoc æquilibrium integram præstat Venetorum Remp; ultra tredecim sæcula durabilem; cùm Romana, septimum annorum centenarium, paulò supergressa, (etsi potentiâ & flore Imperij amplior) per dissidia Statúum corruerit.

1666.

Ergò concludit.

Ex præmissis ergò consequitur; præsentibus malis, præsertim restitutioni Lubomirscij, non aliundè quærendum remedium; nisi unde causa emanavit symptomatis, illinc desumatur morbo antidotum; & experimente toxico, conficiatur theriaca salutaris. Ingratiarum origo ex depressa processit Electione· ergò ea omninò revificativè de integro restituenda. Sic certissimo modo redibit Aulæ gratia, Majestatis favor, Reginæ confidentia, cessabit livor, & omnis adversitas, in Personam, Domum, Amicos; & seipsam mordax consumet invidia, abstractis eo modo soricibus Palatij à spe, cui inhiant crescendi, & velut catulis à lacte avulsis.

Est quod fatear, remedium id prægrave videri, velut cogente necessitate vela submittere tempestati. Certè si inter privatos aut æquales res esset, sanè honoris causa verteretur. Sed quia cum Principe intercedit transactio, expedit meherculè fideli Subdito, omni abdicata temeritatis suspicione, ex ratione temporis, & successu rerum gloriam obsequij quærere. Aliter ob inflexibilem contumaciam, nec Regina nec Resp: subsistere possent, nisi tempori serviatur: & sic hæc navis dirigenda, ne propter rectum cursum, naufragio involvatur; omissa per obliquum via tutiore.

Nec Cæsarem & Brandeburgicum, id remedium reprobaturum, credibile fuerit; cùm alter per rationem amplioris Dominatús, extra ambitum Regni nostri existat: alter per rationem diversæ Religionis incapax sit; ambo rebus suis satis conducere existimantes, si modò de futuri Regnantis benevolentia securi, reddi possint. &c.

Quo ad Electionem? Sola personæ Successoris specificatio, videtur rebus vel maximè obicem ponere. Ex nobis culpa est, utinam & medellam per eosdem procurare liceat. Ergò revocet præcocia vota Candidatus, & quascunq; illegales ad Regnum vocantium stipulationes; restituat scripta; reddat assecurationes; secq; immunem ambitus, donec vocatus erit profiteatur. Interim modo solito, ac per Legem descripto instituatur Electio; promantur Suffragia; nominentur usitato more Candidati; Pacta Conventa disceptentur; Diplomata, Iuramenta, aliaq; solennitates informent trepidam suo bono Libertatem, quibus munita adversùs hos metus existat &c.

Recapitulatio argumentorum concludẽtia.

Deniq; tot polyticis rationibus subnixus, in eum modum præmissa concludebat. Sit sane? allegata media amariora videri: quæ tamen

1666. *tamen ex ſe ſalubria, commendat interna Patriæ tranquillitas, noviſſimæ deſolationis Regni averſio, Libertatis conſervatio, legum ex orbita deviantium correctio, adulteratæ monetæ ad meliorem notam reductio: inſuper Domûs Lubomirſciæ, Amicorum, Miniſtrorum, & omnium adhærentium integritas; imò totiùs Patriæ expectata quies, & deſiderabilis ſecuritas. Auxiliares iſti alterutrius partis, ſeu fortuna favet ſeu deprimit, in quocunq; ſtatu ſemper ſunt, & erunt autori ſuo graves, petiſſimè ubi vindices, oppreſſi Civis, dici haberiq; jactabunt. O intolerabilem generoſo pectori vermem, eſſe in poteſtate multitudinis. Imò Deus ſuam Celſitudinem per miraculum ſervat, dum mærore in his ærumnis opprimere non permittit. Iam verò ejuſmodi turbis in longum protractis, dato caſu (quod Deus avertat) mortis, quid cùm Domo ſuæ Celſitudinis? quid cum Amicis eſſet? neq; minùs cum Libertate? pro qua S. C. tantùm ſuffers & pateris. Imò intaminatâ apud poſteros famâ laboraret, cùm ejuſmodi auſus, ex felici tantùm approbentur eventu. Sic imputatum M. Pompeio Patriæ exitium, quia infeliciter cum Cæſare pugnavit; ſi viciſſet Liberatoris Patriæ nomen habiturus. Ergò agendum & tempori ſerviendum, donec ſpirat Libertas, & adhuc vividæ apparent vires Nobilitatis. &c.*

Hæc; quiſquis ille Autor, haud invalidis rationibus perſuadere conatus Lubomirſcio, uti iterùm ad meditamenta ſuſcitandæ Electionis verſus, rebus ſuis ac collapſo ſtatui, ex quo per injuriam depreſſus, conciliatâ Reginâ conſuleret. Equidem emanante in publicum ſcripto, non levis dabatur mutuis exacerbationibus occaſio: Aula ad odium ſui Projectum, quaſi verò accipientes; rursùs Lubomirſcio, per ora hominum (uti ſolet) ſiniſtris ſermonibus tracto, tanquam brevi pro libertate zelo, jam in alium mutatus, de redintegrando ſtatu ac privatis commodis, cum Aula paciſceretur. Eoq; fine miſſum Scepuſienſem Præfectum (ajebant) per inſtantiſsimas preces deprecaturum Reginam; etiam nunc diverſos ultrò citròq; commeare, & ex fama publica palam eſſe, vel melioris fortunæ deſiderio, vel tædio exilij ad nova accinctum, & ubi opportunitas aperiendis conſilijs adeſt, ad priora relapſurum. Et fortè eo temporis Vratislaviam venerat, Radomienſis Præfectus Chryſtophorus Podlodowski; qui per exteras Gentes ſubacto ingenio, etiam dudum Aulica praxi imbutus, ſuaſor & autor, Electionis reſumendæ veniſſe ad Marſchallum credebatur. Valida certè ad expugnandum machina, dum pro veteri familiaritate magis condolet præſentibus, quàm diſuadet futura: oſtenditq; medellam ærumnis, quarum pro jure amicitiæ participium haud defugere profiteretur. Procertò conſtitit, tentationem prima fronte diſsimulanter à Lubomirſcio acceptam,

Eius ſcripti incerto Autor.

Quod Lubomirſcij reijcit.

1666. ptam, donec maturè diſpunctam, & aliquandiu morſicato labro (id enim ei moris) abſolutè negando reſolviſſet; confutatis abundè ſuadentis rationibus, & cathegoricè declarata ſua in tuendis Patriæ legibus firmitudine. Cæterùm ne præjudicioſæ negotiationis pararius in publico vapularet, nomini pepercit; contentis tantùm ſcripti, inter amicos anonymè communicatis, ut innocens folium pro homine pateretur.

Id enimverò Aulæ modeſtiſsimum accidit, ringentibus paſsim miniſtris, tam in campo armis, quàm ſub tecto ſuperari conſilijs; & qui jure victus, & privatus eſſet, per apertam renitentiam placitorum Principi, rursùs in Majeſtatem grandi contumelia pugnaret. Hinc ad commenta verſi, & novorum fœcundi, diſcutiebant ad pervertendum æmulum ſolertiæ modos, uti donec vi aperta oppugnarent, in anteceſſum extraordinaria machinamenta experirentur. Ex eo itaq; ſtamine telam contexere placuit. Attigi ſupra, Confœderatum militem, per Provincias Majoris Poloniæ, in hybernis conſtitiſſe, qui ne colonis gravis eſſet, dum à Præfectis militiæ ob rapinas, aliamq; gregariorum licentiam præſenti in exceſsivos pænâ continetur ſeveriùs, hinc muſſare per municipia deſidès occultè cæperant; incuſareq; Tribunos, quòd penſionibus & donativis ipſi referti, haud inopiam Turmalium reſpicerent, omiſſaq; debita ſtipendiorum requiſitione, pro porco aut mactata juvenca, famelicos milites ad reſtim & laqueum traherent. Talia ad Aulam delata, aliquos certa ſpe impleverant, facili negotio Cohortes, à Nexu avelli poſſe, ſi modò præmium tranſitionis in parato ære repræſentaretur. Ac quod mirum, ex incolis vicinioribus pleriq; negotium ſuſceperant: ſupponentes dum congreſſu & familiaritate Cohortibus permiſti agunt, facilè perficiendum: niſi Lubomirſcius re delata, apud Wronki limitaneum Sileſiæ oppidum ſubſiſtens ac præproperè Wſchovam. ubi complutes è Turmalibus, ſpe præmij, deſertionem Nexûs agitantes, comperit, ut exemplari pœnâ coërcerentur, Magiſtratum militarem induxiſſet. Cæperat contagium à Gaſparo Woyna excubijs Nexûs Præfecto; etiam Cohorte Caſtellani Cracovien: ſeſe illigante: ubi per abſentiam Zebrzuſcij Optionis, locum tenens Czerski, magis lubrico ætatis ac rerum inſcitiâ, quàm ut pari conſilio rem ſuſceptam perficeret, ſeſe factioni implicuerat: qui ambo accepiſſe pecuniam convicti, militari judicio, prævaricationis damnati ſunt. Czerſcius quidem globis fiſtularibus diſcerptus, pœnam luit; quæ in pari crimine & Woynam ſpectabat; niſi accurata interceſsione Lubomirſcij, jam propè in aream ductus ægrè evaſiſſet: cùm ipſi militiæ Præfecti arreptis ſclopis necem intentarent, ſi importunis

Altera ad expugnandum machina.

A Nexu Cohortes abſtrahendo.

Sed occurrit ſum turba aliquorum panâ.

1666. precibus debitæ pœnæ noxium caput eripitur. Nec extra terrorem militaris ferociæ fuit, cui imputata militaris seditionis occasio, qui ab Aula missus (verè ne an falso?) autor motûs insimulabatur; cumq; commissi indices convincerent, jam promissis, jam paratis nummis in desertionem, Nexum solicitâsse, antevertere discrimen abitu debuit, etsi aliquot curribus; imò & clitellis (fama erat) ære onustis, pro tentatione mulctatus. Hinc ejusmodi intervenientia exulcerabant magis, quàm componebant semel infensos, indignantibus æmulis consilia subigendi evanescere, & se non in Patria modò, verùm etiam apud exteros per opprobrium traduci, ob sterilitatem consiliorum, quibus tam in Duce, quàm milite parùm proficerent. Vnde dum velut effuso oleo, sævior indignationis flamma ebullit, Stabuli Præfectus Lubomirscius tantisper in Aula subsistens, diviso inter reverentiam Principis, & amorem Fratris studio, preces tantùm, quà poterat modestior ferebat: cæterùm iræ impar, aut vehementiæ cedens, satis habuit, reliqua tempori; imò fato Christianè sumpto, permisisse. Certè manifestum erat, Ludovicam Regi; æquè noctu ac die suscitandis consilijs quocunq; modo, nulla quietis necessariæ; imò ne salutis cura, solicitam continuò egisse, ut nimia intensione mentis, vires corporis labefactante, admoneri à Medicis debuerit, quo magis fractæ valetudini consuleret, & aliqua animi remissione, morbo, quo jam tentari cæpisset, occurreret. Sed illa ut vix sanitati, sic nec gazæ Regiæ, & levatis ex repignorata Opolia summis, haud quaquam perpecit; imò vitam impensura videbatur, modò antequam fatis cedit, procertò constaret, etiam posthumè in Successrice sanguinis regnaturam. Non absterruit impensarum moles, non factionis per Austriacam æmulationem difficultas, non Coronati Capitis discrimina, obdurati populi reclamatio, disuadentis Senatûs voces; deniq; nec latæ leges, quæ commentum illud & novitatem obliterandam volebant. Vnde omni officio doniſq; conciliabat eos, qui vel ingenio, vel dicendi vi, etiam popularitate ac factionibus per Provincias valerent; deliniebatq; ex commendatione demonstrantium, ambientes honoribus, pecuniâ indigos, elatos promissis, vanos laudum aucupio, nulli curæ parcens, nulli solicitudini, quominus sequaces causæ adjungeret. Eratq; tunc conclave Reginæ ad instar alicujus mensariorum officinæ, ubi pecuniæ permutantur: etiam hic notabilibus cambijs subjecta ad placitum & rem apta, ex dato acceptoq; adscisebantur. Cùm interim ab ea factionum intemperie, in reliquum Reipubl: corpus promanaret prava noxiaq; affectio: nempe notorium subditorum meliùs sentientûm scandalum & offensa, qualem Polytici odium publicum vocant.

Stabuli Præfectus Aulâ abscedit.

Ludovicæ Reg: animi intensio.

Unde ægritudo corporis.

Non Reg: tantùm, sed & Rep.

1666. vocant. Certè affectus acris, cui ex metu origo, ne aut inferantur injuriæ, aut si illatæ, ne invindicabiles existant. Hinc qui metuunt oderunt, qui prævalent contemnunt; noxio ex utroq; symptomate, cùm & odium minuat amorem Principi, & contemptus inducat vilipendium; præsertim supremæ potestatis in abjectam opinionem prolapsu, & autoritatis necessariæ, quæ Regnorum anima, destitutione.

Literarum cum armis affinitas.

In confesso est, literas & arma, Bellonam & Minervam, non solùm materiâ & formâ; verùm etiam fine & effectu contraria videri: cùm tamen disidentia elementa hæc, etsi in speciem è diametro pugnent; magnam nihilominus inter se habeant connexionem; cùm & literis arma procurent pacem, quâ istæ vigent: & armis semper præludant literæ, tam ex provocatione, quàm excusatione agendo, quæ eædem per scriptas conditiones finem bello imponunt. Quod utinam tunc præstitissent, ut non magis in stringendum ferrum, infensis partibus ansam darent. Quippe Lubomirscius, spe omni evanida, pristinæ apud Aulam gratiæ recuperandæ; saltem ut post ereptos honores, famæ & reputationi consuleret, *Manifestū Innocētiæ Lubmirſ.* APOLOGIAM INNOCENTIÆ SVÆ, SVB TITVLO MANIFESTI, typis impressam, eodem Anno in lucem emiserat: idq; tam Latino quàm Polonico idiomate, gravitatem casus sui æq; Patriotis, quàm Exteris expositurus, ac ad posteritatem oppressionis suæ gravamen, eo modo transmissurus. Ac ut ferè afflictis modum verborum tenere difficile est, pleraq; ei MANIFESTO ingesserat, quæ læsiva in Principem; imò contumeliam Majestatis prope essent. Ejus scripti Exemplaria, ersi ante sub pallio inter Amicos distributa, jam nunc in lucem emissa, ad injuriam Aula imputavit, præsertim transmissis ubiq; etiam in Galliam Exemplaribus, ut ubi comitialis Decreti copia, damnatum Marschalcum detulerat, ibidem male judicatum & per potentiam iniquè oppressum, justificatio emissa innotesceret. Et Manifestum quidem ipse pro se; cæterùm plures simul Anonymi autores, diversa scripta pro oppresso vulgabant. Sub titulo: *Tubus Innocentiæ, Literæ familiares, Responsio ad evidentia figmenta; Lapis Testimonij; &c.* aliaq; quæ diverso stylo & argumento scripta, in eo tántùm concordabant, ut parùm profuturis insonti vindicijs permolestis exagitarent Aulam scommatibus.

Tunc & diversa scripta variorum.

Datis idem ad Clementem IX. Pont: Max: literis, latum contra se Decretum, flagrantiùs tanquam minimè Christianum incusabat, quod repugnante justitia conditum; iniquum, quia contradicentibus Patrijs legibus; violentum deniq;, quia per falsa testimonia, manifestaq; perjuria illegitimè peractum esset. Superadditis

Literæ ad Pont. Max. Cl. IX.

1666. formalibus. *Et quod majus nefas cum ſtupore Orbis, & ſcandalo infidelium patratum, repertos magno in Eccleſia Dei nomine gaudentes, qui injuſtæ cauſæ promotores extiterint: Illi, quos antiquitus Reſp: Cuſtodes Legum fecit, facti ſunt illarum violatores; quorum novæ Theologiæ ſubtilitas fuit. Satiùs unum privatum opprimi, quàm autoritatem Regiam lædi aliquatenus &c.* Producebantur & aliæ literæ, ad Comitem del Iſola, miniſtrum Cæſareum, jam tunc ad Regem Chriſtianiſsimum, ab Imperatore Ablegatum, ex Gallijs tranſmiſſæ: quibus pro veteri confidentia præmonebat autor, iterata ſuſcitandæ Electionis molimina cudi, et niſi repagulum Domus Auſtriaca ponit, factionem Gallicam ineluctabili diluvio Poloniam inundaturam. Addens de condicta cum Moſchis tranſactione, qui aliquot millionum pretio avulſas à Regno Poloniæ ditiones licitati, eam pecuniam in parato, ad promovenda pro Gallo ſuffragia, propediem ſint repræſentaturi. Quæ ipſa literarum Exemplaria ad Aulam delata, ingens cordolium excitabant, arcana Statûs Exteris pandi, & Novellarum paradoxis exiſtimationem Principis indignè lacerari. Ita non omnibus lobi patientia in ærumnis conſtat, & naufragus ubi aliter emergere nequit; etiam oblatam novaculam cum periculo manus prehendet, ut conſulat vitæ.

Inſuper alia.

Unde offeſionum cumulus.

Sub hos motus, mortalitatem explevit Venceslaus de Leſzno Leſzczynski, Regni Primas, & Archiepiſcopus Gneznenſis: cùm in ea Primitiali dignitate ſeptennium exegiſſet. Certè tanti viri memoriæ debitum reor attingere, ut in eum apicem conſcenderit, æq; curſu vitæ peracto, Chriſtianè finierit. Natus Anno Chriſti 160⁵. die 15. Auguſti, Patre Andrea Leſzczynski Palatino Brzeſtenſi, Hæreticorum ſui temporis anteſignano; Matre de Bnin Opalinia, fœmina priſci moris & Religionis, quæ uno partu cùm gemellos ediderat, creditur voviſſe gratam Deo victimam, illud par fœtus ſui in avita Religione conſervandum: unum ex illis Præclaum, alterum Venceslaum nuncupando. Qui dum ſuccreſcunt, Raphaël Leſzczynius Palatinus Belzenſis frater natu major, etiam ipſe pervicax Calviniſtici dogmatis aſſertor, conabatur omninò naturalis Tutellæ prætextu, è gremio materno & ovili Eccleſiæ avulſos, ad Heterodoxam errorũ officinam traducere; miſſurus ad Gymnaſia Germanica, ubi literis & hæreſi ſimul, meliorum incurioſos imbueret. Sed obſtitit Amazonicum Matris Opaliniæ robur, & proviſus; ut apud Patres Societatis IESV ſtudijs operam dantes, cum lacte materno hauſtam avitæ fidei regulam, profiterentur. Mox Venceslaus exteris Regionibus peragratis in Patriam redux, cùm ſe ſacro Ordini addiceret, ad Aulam venit. Triumviris, in magnæ ſpei juvenem promovendum conſpi-

Mors Primaris Regni Leſzczynij.

Ad Aulam acceſſus.

conſpirantibus; Venceslao Leſzczynski, Supremo Regni Pol: Cancellario, Patruo; Andrea Opalinski Regni Mareſchalco, Avunculo; deniq; (etſi ſeriùs acceſſerit) Andrea Leſzczynski Epiſcopo Camenecen: Regni Procancellario, Fratre Patrueli: quibus ille amplitudinem ſuam poſthac debuit. Langueſcente ſemper virtute, ſi promotore caret, ut nec vite germinatura botros; niſi palmites columellis fulciantur. Trium itaq; Regum obſequijs impensâ ætate, poſt Trzebinſcium Secretariatum Majorem accepit; dehinc Carolo Konopacki in Cathedra Varmienſi deſignatus Succeſſor, jam ſe Spirituali otio, & Præſulem concernenti negotio planè addixerat; cum vocante Vladislao IV. Rege Poloniæ, in Gallias ex deſtinatò admittitur, pro Ludovica Regi jungenda Paranymphus. Quo ſucceſſu, & quàm cum gloria Gentis obita ea Legatio, pleniores renarrant Faſti, eo præſertim ſæculo, ubi beatum Poloniæ in pace otium, vocaliores Muſas Sarmaticas faciebat. Vbi verò Andreas Leſzczynski, ſub Annum 1658. fato conceſsiſſet, Venceslaus ad Primitialem Tyaram vocatus fuit, Patrueli Fratri Succeſſor: plurimùm ſatagente Regina Ludovica pro Candidato, ac impenſæ operæ non immemorem ſperante, ut nova parans intentis ſuis faventem experiretur. Siquidem ſub Archipræſulatu ejuſdem enata Electio caput extulit, quam ille ſenſu ambiguo cum improbantibus damnabat, cum promoventibus approbare viſus: neutris tamen ſatisfaciens, cùm & illi in Sacri Ordinis Principe, fortiorem pro Repub: ſententiam requirerent, & iſti fluctuantem animo, ac in conclavi tantùm Reg: Ludovicæ placitis adſtipulantem, ſæpiùs cavillarentur. Palàm tamen erat Aulico ambitui obſtetricari, ſi non aſſenſu, certè conniventiâ. A Suecis Cathedra Varmienſi extorris, in Boruſsia Ducali exulavit; unde traducendi addictiorem Heterodoxis occaſio, cùm tamen Regi omentum declinaret ille, uti Diœceſis ſuæ partem, ac tunc tutum ſibi receptum; paciſcente cum Suecis Electore Brandeburgico. Valetudine mediocri fuit, ac planè in devergio ætatis nimiſquàm morbo arthritidis afflictus, quæ affectio Domus Leſzczyniorum hæreditaria videtur. Moritur Łyſzkovicijs ſeptennio in Archiepiſcopatu completo, Anno præſenti 1666. die prima Aprilis Tumulum Łovicij ſortitus, ponè tumbam Andreæ Leſzczynski Anteceſſoris, & Patruelis Fratris, ut quos proximus ſanguis connectebat in vita; etiam in morte eoſdem non disjungeret, nec locus nec loculus.

1666.

Promotoribus felix.

In Gallias mittitur.

Varmiâ à Suecis exactus.

Łyßkovicijs moritur.

Vix animam egerat Leſzczynius, cùm feſtinato Aulæ ſuffragio, ad Sedem Metropolitanam deſignatur, Major Regni Cancellarius Prazmovius. Deliberare præſetulit Rex, velut in examine ſubjectorum aliquantiſper hærens; cùm Cujavienſis & Chelmenſis Præſulum

1666. sulum nomina inter Candidatos ponerentur, (etsi constaret de plano immunes ambitus, quia certos repulsæ) donec brevi expedita deliberatione, Nominatio Regia præverteret, & emeritum Thomæ Lezynski senium, & consuetum ad Tyaram Primitialem ex Cujaviensi Cathedra gradum, recensq; susceptos in pacando Nexu Czartoriscij labores: capiente gratioso in Aula ministro bravium, ex constantia adhæsionis & promptitudine obsequij.

Cui successor designatus.

Equidem ut ad præmissa ejus Anni, sic ad consequentia consideratione versâ, subit animum proverbium vetus, & molitorem quandoq; opportuna locutum. Quippe ex Astrographorum Schola aliquis, edita ephemerica prognosi, eum Annum 1666. his versibus signaverat non tam excellentiâ metri, quàm eventu veri commendatis:

De Anno 1666. Astrologi iudicium.

Dum Annus ter sex numerabit. Marcus Alleluia cantabit.
Ioannes in Corpore stabit. Polonia væ ingeminabit.

Haud sanè gryphus intellectu arduus, & planè trivialis; nisi rem ex vero describeret, si modò Astrorum coryphæus ille assertionis suæ causam expressisset, & unde consequentes ærumnas Polonis vaticinaretur, apertiùs recluſa conjecturæ causa pronuntiasset. Certè & Marci Feriæ intra solennitatem Paschatis, & Divi Ioannis Baptistæ Festum, intra Sacri Corporis Christi Octavas, quod rarum, coincidebant. Neq; ex præmissis præsagitio vana, si modò ut innui causa constaret & ratio rationis explicaretur, cùm & Ordines Regni per collisionem, & Exercitus per cladem, & Provinciæ per rapinas & vastitatem, dolendum væ ingeminarent.

Sanè verificatum.

Sic vergentibus susq; deq; rebus, haud tamen succumbere adversis ostendit Casimirus, etsi affligi insurgente motu constaret, adderetq; augmentum ærumnis, languescens in dies Ludovicæ Reg: valetudo, quæ ex sequiori intentorum successu animi ægra, attenuatum corporis vigorem, irrequietis curis fatigare haud desinebat. Subornati proximi lateri qui optatis aures imbuerant, insinuabat id ipsum Rex, ac quominus persuaderet fortiùs, haud celari volebat intenta cupientis, omninò de in effectum deducenda. Cæterùm in publico frequens ipse, & adeuntibus patente ostio facilis, etiam vocato Senatu de remedijs malorum, præcipuè securitate finium Regni, sæpiùs cum Primoribus deliberavit. Sed quæ illìc concluſa in abdito mansêre, obligatis in manu tenendum secretum præsentibus, & semotis arbitris. ut quemq; partibus illigatum suspicio faciebat.

Rex consilijs incumbit.

Apertiùs per Cõventus Particulares, Nobilitas Provincialia Lauda sancivit. Etenim dum invalescit fama, Regem cùm Civilibus medijs non posset, armis disidio occursurum; hinc vocari rursùs in sub-

in subsidium Lithuanos, acciri Cosacos, Scytharum auxilia operiri; etiam isti securitati suæ consulere haud omittebant. Et quamvis minæ ejusmodi in Lubomirscium, & adhærentem ei Confœderatum militem verti viderentur, non inanis tamen metus suberat, ne conversus obliquè ictus discrimini propiores feriret, ac vetus paræmia verificaretur: Agne ne turbes aquam. Recenti memoria hærebat exacti Anni transactio, quâ literis Vniversalibus cauta & promissa erat securitas penatium pignorumq;: cùm tamen Provinciales eam vexam, ac injurias, à suis Lithuanisq; pertulerint, ut mitiores hostium externorum direptiones, in Palatinatu Cracovienſi præcipuè videri possent, quàm unitæ Gentis quacunq; se verteret rapinæ, ac finium desolatio. Hinc ad prævisum casum, Publicam Expeditionem in Particularibus Conventibus Nobilitas sibi per Lauda indixerat; Ductores Cohortium elegerat; pænas in absentes, & nisi legitima ex causa se ab expeditione subducentes sanxerat; explicitè positis in contextu Laudorum rationibus, quibus ad ea consilia inducerenrur. Primò & maximè, uti Iuribus, Majestatis & dignitati Regiæ, ex debita Coronati Capitis veneratione, ac fidelium subditorum officio providerent; internis motibus quibus se jam nonnulli externi Principes immiscuissent, ex innato erga Patriam amore consulerent; insuper cum ordinata charitas coram sui non excludat, non alio modo rapinis militaribus, & pernicioſæ prædonum licentiæ, nisi armato brachio occursuri. Neq; tantùm Nuntijs Palatinatûum, ut ejus consilij rationes in publico Comitiorum Actu exponerent commissum fuerat: verùm & destinati per Provincias Ductores, qui armatæ Nobilitati præessent, haud dissimulatis Nominibus specificabantur. In Minori Polonia, uti ordine, sic zelo præibant Palatinatus Cracovienſis & Sandomirienſis, ambo conformi placito in unum consentientes, quominus inferiores ex ordine Provincias exemplo accenderent. In Cracovien:, Stanislaus Warszycki Castellanus ejus Provinciæ jam ætatis prærogativâ; jam diuturna muneris Senatorij functione conspicuus, postquam pro ratione loci quâ Senatus sæcularis Princeps esset, per literas cum Rege Casimiro pro reconciliandis partibus, suspendendisq; tantisper armis, donec civiliter offensæ diluuntur, postulatoriè ac reverenter egisset; acerbioribus ab Aula Relciptis pulsatus, & in augmentum contumeliæ, sat mordaci Epistola ab Prazmovio Cancellario lacessitus, haud distulit publicis in Palatinatu Crac: Consilijs (quantum ad tranquillandam Remp:, Legumq; Patriarum intra orbitam reductionem) præsens interesse, ac communem quæ cum æquitate congrueret causam Popularium approbare. Hinc Proszovicijs uti primario Senatori delatus

1666.

Palatinatus de reprimendis iniurijs agunt,

Publica expeditione indicta.

Cracov: & Sandomir. Pal: exemplo præeunt.

Castellan: Crac: Dux Palatinatûs.

1666. delatus ducendi Palatinatus honor, & consiliorum formandorum arbitrium, cum additis Collegis, præcipuè Cohortium Ductoribus, pluribusq; è Provinciali Magistratu suffectis, qui tam ægri vices sustinerent Ductoris, quàm & consiliorum molem prægravem uni, divisa inter se cura partirentur. Aderat Castellano Michaël Warszycki Ensifer Lancicienſis, ejusdem stirpis agnatus; sed quem ille præclaras viri qualitates introspiciens, elocata majore filia in Generum sibi adoptaverat; ut donec Successor è lumbis sustinendo nomini & honori avito per ætatem impar succresceit, in eum licet remotiorem, fortunam Domus Warszycianæ, reclinaret. Nec fefellit expectatio, Michaël namq; grandævum Castellanum (septuagesimum quippe ætatis annum ultra excedentem) non modò consilijs à promptitudine indolis, in utramq; Palladem valentibus dextrè fulciebat; verùm etiam improli Successore opulentam Hæreditatem Warszyciorum, per caput uxoris, in ex se natos, Deo volente transtulerat. Is itaq; Socero consilio & motivo ad fortiora autor, Senem extrema jam ætate impulisse creditus, uti juvandæ Patriæ causa, vel residuum vitæ impenderet. Eidem Palatinatus subsstituerat Achacium Pisarski velut Adstitem, seu Imperij militaris locum tenentem, qui circumspecto Ductori præstò esset indole fervidior, in necessarium temperamentum. Vladislaus Lubowiecki Iudex Terrestris Cracovienſis, primam ejusdem Palatinatus Cohortem deducebat, tam experientiâ, quàm juducij maturitate veteranus. Alteram à prima Proszovienſis Distrietus, Stanislaus Kalinowaki, nuper Castri Cracovienſis Præsidio Præfectus; Xiaznenſem Casimirus Pacoslaus Landzkoronski Subdapifer Crac:; Lelovienſem Ioannes Tomicki Subjudex Cracovienſis; cujus ego tunc Distrietuale vexillum deferebam. Sandecenſem Ioannes Lipski de Armis Druzyna, Præfectus Czhovenſis; Biecenſem Sigismundus Stronski, & si tunc bifariam ejus Districtus divisa Nobilitas, alium sibi Ductorem ob absentiam prioris delegerat. Similis & Sandomirienſium pro bono publico fervor & studium: delato Tribunatus militaris officio, Ioanni Olesnicki Succamerario Sandomirienſi. Vexilla Districtûum ducentibus, Sandomirienſe, Sigismundo Topor Hynek Venatore Podlachiæ; Radomienſe, Petro Kochanowski Tribuno Palatinatûs; Opocznenſe, Philippo Stremboſz Ensifero; Wislicenſe, Hieronymo Komornicki; Pilznenſe, Iacobo Roiowski Thesaurario Dobrinenſi; Stezycenſe, Franciſco Guyski Pocillatore Sandomirienſe. Sub his Ductoribus, confertim Nobilitas ad armorum paratus haud segniter se accingebat, zelo & exemplo alios Palatinatus incitans, cùm tamen à pleriſq; contemptim ejusmodi conatus acciperen-

Huic Ensifer Regni Gener assistit.

Ductores Nobilitatis in Palat: Cracovien.

In Sandomirienſi itidem.

1666. tiperentur: haud obscurè cavillante Aula, parturire montes, unde nascceretur ridiculus Mus, & si in prædijs Nobilitaribus gallinæ in tuto sunt, facilè eum motum desitutum.

Et desedisset fortè sua sponte motus, nisi dum prodeunt Vniversalium ex Cancellaria Majori Literæ, quibus tam Senatoribus partium favor, quàm abruptum Nobilitati obsequium objcitur; imò vehementiori energia maculosa exprobrabatur defectio; (per expressum addito) cum ea turbulentorum capitum intemperies ferum ignemq; poscere videatur, adfore mox in vindicias læsæ Majestatis coactum ad arma Principem, qui donec contumacia exuitur, hos motus compescat, & turbarum autores nisi resipiscunt, protinùs ex officio coërceat. Mavelit tamen optimus Princeps, invenisse bonos quàm fecisse; & ut seducti Cives satius obsequerentur territanti, quàm percutienti, id inter votorum præcipua esse. Nihil interea Aula omisit, quod ad Expeditionem bellicam faceret; Duces Exercitûum urgentibus literis ad contrahendam militiam stimulati; convocati ad latus Proceres; novi Delectus instituti; Res armamentaria notabili impendio restaurata: sed nihil magis ad movendum Varsaviâ Regem impulit, quàm maturatus Lithuanorum adventus, quorum tria millia, instructum sanè quâ armis, quâ equis agmen, tranato apud Pragam Vistulâ, in citeriorem ripam sub oculos Regis exscendebat. Etiam à Tribunali Regni Lublinenſi Ablegati venerant, ast ubi nullam posibilitatem placita disuadendi advertunt, silentio transmittebant, quæ suasu haud perficerent: in una quæstione resolvenda hallucinati? Vtrum tam Rege, quàm Palatinatibus ad arma versis? Iudicia Generalia Tribunalis Regni prosequi, an limitare expediret? quod dum resolvitur, variatum in Sen: Con: rationibus, donec plurium superaret sententia, omnino judicanda; eo quippe modo à commercio turbarum abstrahendam Nobilitatem, dum personali comparitione & legalitate Iudicij avocatur.

Vergente ad finem Aprili, Rex Varsaviâ movit, solito mæstior vel ob Reginæ ægrimoniam, fatentibus Medicis, nisi animum reficit vix planè juvabilem; vel infausto expeditionis præsagio, ad quam planè invito Deo, ipse volens traheretur. Nam proxima egressui nocte, bis flamma emicans, tecta urbica corripuerat, in vico Krzywe Koło nuncupato: sed nullo negotio restrincta, plus pavoris urbi quàm damni dedit, pro siniſtro tamen omine pleriſq; habebatur. Magis suspicaces advertit, ut ferè à religione argumenta animos percellunt intimiùs, dum Casimirus Regiâ viâ ponè Basilicam Bernardinorum equitans transmittit, Imago seu Figura Christi Cruci affixi, in Cœmeterio grandiori quercui imposita, obversa in viam facie exi-

Litera Universales Nobilitatē offendunt.

Lithuanorum Varsaviā adventus.

A Tribunali Regni Legatio.

Rex Varsaviā movet.

Omina circa abitum.

1666. ſtens, tunc occulta aliqua vi retrò vultum erga Eccleſiam obſervata convertiſſe; haud obſcurè dedignata profanæ pompæ aſpectum, & cujus minùs probaret belli cauſam, Principis expeditionem. Quæ tamen non ut articulum de fide inſero, niſi quatenus ex relatu fide dignorum accepi; etiam in commentarijs ejus temporis, Hieronymi Komornicki, (viri tam ſago quàm togâ egregiè meriti, dehinc abdicato ſæculo in vetuſtiſsimo Calvi Montis ad S. Crucem Cænobio, Abbatis meritiſsimi) conſignatum reperio. Tranſgreſsis viſtulam Lithuanis, mox Polonæ Cohortes adventum maturabant, nulla ora hoſpitibus vacua; ubiq; rapinis ac immiſericordi lixarum circuitu vexata plebe; qui præcipuus ſemper eſt bellorum Civiliũ fructus, agreſtiũ miſeria. Ravam iterùm Regij metatores contrahẽdis viribus locum deſtinabant, ſed ea tempeſtas occiduum Solem reſpexit. Vbi etenim Lubomirſcius ſub ipſum Regiarum copiarum procinctum à Lubownia veniens, Cracovienſem, ac Sandomirienſem Palatinatus propulſandæ injuriæ ſub Signis ſtare reperit, facilè apud devinctos ſuaſu perfecit, ut apertè in cauſam deſcenderent, ac dudum animis pro Rep: conſentientes, armis jungerentur. Poſt Pilcam Stanislai Warſzycki Caſtellani Cracovienſis hæredium, rarus hoſpes allapſus, Primicerium uti memoravi Senatûs Poloni, & magnæ apud quemq; probum autoritatis impulit, uti bono zelo incenſus, in participium vindicandarum Patriæ Legum, ſe addixerit. Paradoxum id multis, edecumatæ prudentiæ virum, & vergente ætate ad Martia opera accingi; convolavit tamen alacris in communem cauſam tuendam, & privato comitatu Equeſtris Cohortis ac CC. Peditum ſuccinctus, Palatinatûs ſui Nobilitatem Caſtellanus ſequebatur.

Regij ad Ravam iterùm Copias contrahũt.

Lubomirſcius ad ſe Nobilitatẽ pertrahit.

Quæ partibus Martios actus ſpirantibus conſilia? qui tractus? aut itinera, ſuperfluum referre arbitror; adjecto nonniſi, Regem uti anterioris Anni modum bellandi & conſilia ſecutum, ut conſequeretur Lubomirſciũ, & qua poſſet contumaciam frangeret inſurgentis factionis: ſic iſtis par tutellæ ratio, quominus receſſu tantiſper vi elusâ; inter poſtulata petentium pacem, & armata manu opponentium vires, tandem aliquando res commotas tranquillarent, Civilemq; colliſionem ex æquo & juſto dirimerent. Planè iterum ludus conſectatorius inſtituebatur, Bellona non rarò in Campo Martio choreas ducente, quæ dum pedibus plaudit, in triſti choragio capita hominum decutiuntur. Cæterùm obſervatum fuit, plus Lubomirſcio ex receſſu virium, quàm Regi ex inſecutione proveniſſe: cùm ſecedenti alteri augmenta Exercitus per viam accederent, jungentibus ſe cum tranſeunte Palatinatibus; contra Regiorum diminutione,

Modus bellandi utriusq; partis

1666. tione præter diverſim impoſita Præſidia, deſerente paſsim Signa milite, qui vel nullo ſtipendio ad obeunda munia autoratus, vel intergum aut latera ſtudio ſubductus, quominus liberiùs diſcurſibus & rapinis vacaret. Vbi ad Nowe Miaſto Pilcæ amni imminens Oppidum contractæ Legiones; videre erat florem Virorum, & veteranarum Cohortium nncleum adeſſe; etſi mens non læva fuiſſet, vel Moſcho proprietatis Polonæ uſurpatori, vel fædifragæ Vkraynæ, aut illis ipſis jam tunc amicitiam exuentibus Scythis ſatiùs obijciendum. Haud aberraverim viginti mill: tam Equitatus, quàm Peditatus ſelectiſsimi numerari potuiſſe. Præſtò erant Duces Regni ambo, etiam Michaël Pac Campeſtris Lithuaniæ Ductor, acceptam apud Czeſtochowa plagam emendaturus. Aliqui præterea tam Sacri, quàm Sæcularis Ordinis Senatores, ac potiſsimus quiſq; è Proceribus; nonnullis conductas Turmas in ſubſidium adducentibus; & quo fervor externus probaret animos, fortia omnes pro Rege loquebantur. Res armamentaria præter alia requiſita ultra xxx. grandioribus machinis conſtabat, in neceſſarios ſumptus converſis nummis, quos jam tunc tribuerent Moſchi (uti fama fuit) iniquam Finium Regni licitationem dato anticipativè pretio ſubarantes. Quintis Caſtris Regij ad Łęczycam accelerato greſſu penetraverant, quominus Signa Palatinatûs Sandomirienſis ſeriûs tendentia interciperent: aſt ubi elapſi iſti, ſaltem Łęncicienſis Nobilitas curâ penatium domi retenta abſtraheretur. Sed utrumq; irritum fuit: nam & Sandomirienſes commoniti diſcriminis prævenerant Regios; vadum ſeu trajectum vaſtiorem: Koſſowa Gac dictum, de nocte ſuperantes; & Łęcicienſis Nobilitas ſubductis ad tutiora pignoribus, ſeſe reliquis adjunxerat armata, ſub ductu Stephani Sarnowski ejus oræ Succamerarij.

Regiorum numerus.

Res armamentaria.

Sic potioribus Palatinatibus unâ junctis, nempe Cracoviẽſi, Sandomirienſi, Poznanienſi, Caliſiẽſi, Siradiẽſi, & Łęciciẽſi, increverant non minùs vires partis, quàm fama belli: ut remotiores Provinciæ idẽtidem miſsitarent approbantes pro Rep: cauſam, & conjunctionem ſpondentes. Ac ut omne principium fervet, convolabant ad Signa frequentiſsimi Nobiles, niſi haud in longum perdurante conſtantia, rurſùs domuitionem nonnulli reſpicerent: donec cautus Dux ut remeandi paſſus præcideret, frequentibus Valachorum excubijs tergum intercluſit, regreſſu difficili vel ſaltem ignominioſo. Cæterùm opinione omnium, ſupra ſex millia Nobilitatis numerus increverat: Confœderata militia cum privatis ipſiusmet Lubomirſcij delectibus, alterum tantum conficiente. Sed nihil magis angebat Regem, quàm promiſcuæ ſuorum voces, paſsim & palam nefas civilis belli,

Etiam Palatinatus iunguntur.

Lubomirſcio cum Confœderatis.

1666. & cognati ſanguinis jacturam deteſtantes: Vnde cùm ſuperficiales animorum alacritas, in experiendam belli aleam impelleret; rursùm anceps in popularibus fiducia, & inter ſe colluſio, haud injuſtæ ſuſpicioni anſam dabat, ne non magis vocibus pro Rege, pro populo autem animis & armis ſtarent accincti. Hinc facilè ad deteriora Regi prono & credulo, motiuum crediderim; ut non jam mitiora aſpernari oſtenderet, placandi ſui modos & media collaterali Senatu ſuggerente. Sed nec Lubomirſcius quidquam intermiſit, identidem pro pace ſupplicans, & in arbitrio Principis futurum ſe fore profeſſus, ſimodò honeſto aliquo titulo, Patriæ & priſtino honori redditus, gravem refractarij Subditi notam emacularet. Appellatis eo nomine hinc inde partibus, Vniejoviæ ad Wartham cæptum tractari Pacificationis opus, Delegatis à Rege huc allapſis, etiam Commiſſarijs à Nobilitate, nonullis ſerò noctis venientibus; poſtquam Lubomirſciani (id ante omnia requirente Rege) apud Brudzowo Oppidum ſubſiſterent. Sed nox ea per diverſa inquies fuit. Commiſſarijs Palatinatûum hoſpitio oppidi excluſis; qui dum intempeſtam noctem in vicinis pratis ſub dio tranſigunt, opportunè comperiunt Regem primo conticinio Caſtra versùs Brudzovum moviſſe, ibiq; in craſtino conficiendos Tractatus, quales capulus Enſis dictaverit. Eâ notitiâ etſi turbati, remanendum ſibi in loco cenſuêre, per ſuos tamen quam celerrimè periculi Ducem commonendo atq; denuntiando, puncta componendæ Pacis ſanguine non atramento deſcribenda fore, ubi Rex motis in noctem Caſtris, ac jam ſuperato Wartha conflictum non Tractatum oblaturus eſſet. Quæ ad Primores Nexûs delata, facilè fidem invenerant, cùm in ante dien ſimilia ex Caſtris Regijs perſcriberentur. *Serpentem niſi devorato ſerpente draconem fieri non poſſe.* Hinc in Caſtris Lubomirſcij metus, ſed qui vigilantium non paventium foret, ac diggreſſæ primo diluculo in campum Legiones, curâ Poznanienſis Caſtellani, tum Tribuni Polanovij accuratiſsimè ordinatæ ſunt; præcepto aciei non incõmodo loco, ſiniſtrâ fluminis ripâ: ac ne quid dato caſu abeũtes morarentur, expedita in viam impedimẽta currûum, Cruſuiciã versùs: addito armatorum præſidio præivêre. Proſperior ſors tulit, vel ut Chriſtianè loquar, benignitas Numinis, quæ tunc cruentum ab hoc populo avertit piaculum. Cùm enim binæ Deſultoriorum Legionës, prægredi rem armamentariam ſolitæ, ſub noctem ab indicibus itineris ductæ à via Brudzovum ducente deerrarent; factum enim verò ut machinis grandioribus per paluſtria ſilvarum impeditis, vix ſeſe Præfecti tormentorum, poſt alterius diei meridiem Regi ſiſtere poſſent. Hinc intententis mora, & quamvis Lithuani Kmicic Tribuno ducente, apud

Qui pácẽ à Rege poſtulant.

Rex de nocte Caſtra movet.

Confœdẽrati in caſum attẽti

Lithuani oſtẽtata acie, alterá ripâ decedunt.

apud ripas fluminis ſe oſtentarent inſtructa acie Confœderatis; nullo tamen experimento campo deceſſerant, vel conflictum dirimente flumine, vel animis ubi vident, in quos pugnandum ſtare paratos, ardorem confligendi mitigantibus. Hinc Commiſſarij Nobilitatis, Miniſtris Aulæ hand obſcurè dolum exprobrabant; cum iſti, vel quod infectum erat, pro non cogitato haberi vellent, vel feſtinatione per obſcurum noctis convicti, properantis ad ineundam concordiam Principis, facilitatem extollerent. 1666.

Dehinc Koninum Rex proceſsit, ſequi juſsis Commiſſarijs, tam audiendi quæ adferrent, quàm reſpondendi pro quibus veniſſent, brevem moram injungendo. Erant iſti (quanquam intervenientibus ex cauſis nonnulli mutarentur) ſelecta ex gremio Nobilitatis Capita, tam rerum uſu, quàm maturitate judicij præcipua: qui omnes de nominibus & cognominibꝰ circa ſubſcriptionem initæ concordiæ ſpecificabuntur. Iſti poſtquam in patenti camporum planicie, Regem ſub tentorio venerati, tranſmiſſo de more ad Cancellarium reſponſo ibant; is verò ad locos communes verſus, *Innatam Regiæ Majeſtati benignitatem extollebat, qui cùm indignari & punire ex demerito noxios poſſet, beneficijs tamen & clementia minus gratos obligare Cives, ſatius duceret.* Ediſsererent proin quorum cauſa veniſſent? cùm & momenta belli moram non patiantur, & ex ratione preſsi Incolatûs, diutiùs in loco hærere haud integrum foret. Ibi cùm Primitialem autoritatem, jam ex Nominatione Regia uſurpans Prazmovius, ſellâ nixus ipſe, ſtantibus alijs, deſideria Provinciarum exponi vellet, & illis defectu ſedilium ex compoſito accubitus negaretur; protinùs omnes divaricatis pedibus in terra conſedêre, pro more Caſtrenſi & uſu præſenti; ne defectum ſellarum exprobrare neceſſum haberent. Quod tamen colloquium ob alias controverſias ſolvi debuit, in prædio vicino poſtera die rursùs inſtitutum, & iterùm nullo effectu terminatum. Nam cùm intuliſſent primo loco Commiſſarij, nihil efficacius promovendæ Paci videri, quàm ut militares excurſus, etiam Pabulatorum agmina utrinq; revocarentur; quominus mutuis diſsidijs & armatis congreſsibus anſa tolleretur. Reſponderat Prazmovius, velut ignaros condocefacturus; *Ex continua bellorum praxi conſtare, vel tunc acerrimè collidi armis, dum verbis pro pace maximè diſceptatur.* Ad quæ Commiſſarij, Praxim eam belli reſpondent cum externis hoſtibus, non cum Concivibus obſervandam: ubi omninô amoliri expedit, cognati & innocui ſanguinis fundendi cauſas. Ad quæ ſubridens Prazmovius. *Cum bis (inquit) ſcrupulis, ad Cathedram, à confeſſionibus, non in aream Martis eundum.* Vnde inſolenti dicto offenſi, in abitum ſe recipiebant, breviter

Rex ad Koninum.

Commiſſarij pro pace diſceptant.

Sed irrito effectu.

Cancellarij dictũ.

1666. breviter reponentes: *Gratias pro data absolutione.* Sic triduò in Castris Regijs nulla conclusione detenti; Lubomirscius interim in omnem eventum adversæ sortis intentus & vigil, satiùs loci situ, quàm prolixis favorum pollicitis se tueri mallebat.

Lacus Goplo. Tractu Cujavienſi lacus Gopło, tam vetustatis præconio, quam sua amplitudine celebris habetur; ad sex milliaria in longum protendi Incolæ narrant, latitudo uno & semisse arctatur: & quo non alius totâ Poloniâ major, si modò Habum Prussiæ excipias. In hujus meditullio fabricante natura Insula exstat, ubi etiam nunc Oppidum Crusuicia visitur, Annalibus nostris per diversa memorabilis, dum sub prima Gentis cunabula, inibi Popielum illaudatum Principem mures devorant, & post eadem Regni tunc sedes Carpentarium Piastum, ex rotifice, frugi Poloniæ Monarcham produxerit. Cæterùm plaga Goplæo littori adsita, omnigenæ frugis, & pabuli ferax est. Solum armentis, lacus piscibus abundat, è quo Notes non ignobilis fluvius ortus, Pakoſciam, Labyszynum, Vśćie, Piłam, Drenumq;, Majoris Poloniæ oppida præterfluens, demùm turbidus & lacustris naturæ memor, postquam socias aquas Warthæ majori miscuisset, demùm amisso nomine sinui Venedico illabitur. Nec observatu indignum Notesium non tantùm quâ decurrit nimisquam limoso alveo ferri; verùm etiam diversas ex se producere scaturigines, ac emissaria undarum, profundissimo cæno ac lacunarum voraginibus impeditarum; quæ alicubi difficilimo transitu, ad quindecim milliaria oras illas interscindant, viatoribus molestæ, bellantibus incommodæ. Hic uti loco opportunitas suasit, refectisq; Gopłum propè equis, ad Pakoſciam oppidum Castris conscdare Lubomirsciani; situ planè arduo, & adversùs omnem casum invincibili. Etenim una parte Notes Fl:, uti memoravi lutulento nimisquam alveo effusus; altera excrescentis Lacus divortia, se extendunt, bifariam sinuatis brachijs, in quorum faucibus locata Pakość Oppidum naturæ ipsi situm debet, vix accessibilem. Vetus id domus Działyniæ hæredium, & quod pro signo faventis cæli est, etiam in hanc diem veteribus Dominis perdurat possessio. Certè aversa parte Oppidi, vidisse memini, loca Christi passi memoriæ sacrata, sub nomine Calvariæ: Christianæ pietatis opus, unde subit consideratio, Deum colentibus evenire prospera, & nunquam obliterari à Providentia eos, qui ritè Numinis meminissent.

Notes Fluvius.

Pakość Oppidum Działyniorum.

Ad quod Lubomirsciani consistunt ab Lith. impeti. Dum operimur ex Castris Regijs Pacis Nuntium, cùm ecce adfertur repentè, ingruere à tergo Lithuanos, per adsita Goplæo littori arva se ostendentes; qui postquam propolas Castrenses equis ac rebus promercalibus mulctâssent, sub ipsas Confœderatorum Excubias

1666. bias infestis Signis incurrebant. Et quamvis ultra octingentorum præsidium ea plaga inesset relictum, fauces trajectuû defendente Thoma Pniowski cum Desultoriorum manipulis, non injustus tamen advertit metus & consideratio, pacem ostendi & hostilia agitari; gratiam verbis promitti, & de facto arma intentari: præsertim cùm eo ipso temporis, Skoraszovius ac Pekosławius è Castris Regijs venientes, de infallibili Mediatione adferrent, exponentes subinde oretenus Concordiæ Puncta quibus nisi ex unanimi Palatinatûum consensu decisis & approbatis, Generalis Tractatus aliter concludi nequiret. Affirmabant isti in publico consilio, Regem nihil magis quàm pacem velle, aderantq; plures quos fidei faciles demulceret ea narratio; vel quod sublata inanium scrupulorum anxietate maturandum negotium censerent, vel tædio protractæ expeditionis in accelerandam domuitionem stimulante, sua credulitate alienum ingenium metiebantur. Non tamen in communi omnium pro pace sensu, falli Dux potuit, ad quævis momenta respiciens, & in speciem omnium consensui accedere ostendens; vocatis tamen ex intimiore admissione Amicis, apertè & ingenuè protulit. *Pacem ego & salutem Patriæ vitâ meâ fortunisq; potiorem duco, & quominùs concordia Statûum in integro maneat, victimam me publico bono addixi & devovi. Cæterum timeo Danáos & pacem ferentes. Concordiam urgent, & arma inferunt; verba lactis dant, & spicula felle illita intentant. Invitaverunt nos ad Tractatus Vniejovien; misimus: ubi nisi Deus consilia maligna dispersisset, ferro non scriptorio stylo pacis leges describere, quantum in illis, voluerunt. Etiam nunc ne fistula dulce canat subvereor, præsertim in ea Aulæ suspecta facilitate, & considerabili à tergo impetitione: nimirum ut consueto stratagemate elusos, dum retrò conversi tuitioni nostræ incumbimus, capitis incuriosi, alia via anguem in sinum admittamus. Vt ut est, communibus votis instaurandæ paci attendendum censeo, sed ita, ut salva Rep: & Legibus Patrijs, reliquum vitæ degere liceat.* Vnde convocatis rursùs turmarum Ductoribus decisum stetit. Quandoquidem nulla securitate Tractatûum, à tergo se armata agmina impeterent, imò & oppugnarent: ex jure talionis idem audendum; monstrandumq; non se pro forma accingi ferro, & qui saluti suæ discrimen intentarent, jam reciproco ictui propriam exponerent. Itaq; Castellanus Poznanienſis, Pisarski, ac Polanowski, superato apud Montwy trajectu, in adversam ripam cum bis mille armatis transeuntes, postquam dispecto loco, ac prope Regiorum Castrorum excubias suggressi, demùm inde nulla irritatione aut offendiculo Regiorum reversi sunt: sanè vel ipso Davide modestiores, qui in spelunca Hæthea nocere Sauli nefas

Sermo Lubomirscij in consilio militari.

Cossædevim repellatuunt.

1666. *Castra Regia suggressi.*

nefas ducens, fimbriam tantùm vestimenti rescíderat: etiam isti aliquot ex Castrensi famulitio secum abduxerint, ex quibus consilia indagari, & informatio haberi posset. Memini tunc præsens, Poznanienſem mordicus instituisse, quominùs excubias Regiorum invaderet; sed alios Pisarscium ac Polanovium reluctatos, qui non eas sibi vires, imò nec mandata habere dicebant, ut in Regem Poloniæ offensivè bellum moverent.

In ea partium de Pace deliberatione, cùm repentè intonat classicum, & qui modò per redintegrationem animorum dextras jungere parabant, jam nunc ferrum in se vertere, & hostiliter experiri aggrediuntur. Designabatur decima tertia Iulij, atro notandus lapillo dies, idemq; D. Margarethæ Virgini & Martyri Sacer, quo sub primum diluculum, ad vadum (alias Wielkie Brody) apud Montwy vicum, advoluta Regiorum phalanx; primò collem vado adsitum occupat, mox quia ob exhalantem ex palustribus nebulam, sat commodè locus dispici neqniret, perperam se in trajectum injiciebat miles, incustoditum ratus, & nullas ex adverso Excubias. Rex etenim seu pridiano eoq; audaciori subtus Castra Confœderatorum suggressu, ex merito offensus; seu consultorum huc tractus persuasione, opera clementiæ non aliter efficatiora videri, nisi extremè miseris exhibeantur; terrere armatus volebat pertinaces, quominus belli præludia fortiùs ad pacis coronidem operarentur. Vnde jussus turmatim ruebat in voragines miles, tam vadi ignarus quàm exitij incuriosus, jam opaco àére adimente visum, jam peritis viæ qui ducerent, fatali aliquo errore à strata aberrantibus. Hinc in primo aditu, uliginoso gurgite pleriq; absorpti sunt, nihilominus alijs haud deterritis, & monstrato sincerè vado in adversam ripam emergentibus. Cùm Stephanus Zarudny velitum Centurio, ad quem tunc Vigilias apud Confœderatos obeundi munus pertinuit, ingruentis suos commonet periculi; simul plaga illa dispersos per pascua equos, quantocyùs castrensi Famulitio subducere jubet. Et commodè binæ Siradienſis Nobilitatis Cohortes, ab hesterno diggressu seriùs de nocte redeuntes, hîc pernoctaverant; quæ mox Excubitoribus junctæ, donec major vis succurrit, ingruentibus Regijs se oppositæ. Trajectus, is apud Montwy, Długie Brody dicitur; quod hic restagnante Notesij Fluminis alveo, aquarum voragines diversa materia infartæ & oppletæ, ægrè locum transmeabilem reddant. Tredecim & ampliùs jugera intervallum comprehendit in longitudinem, cæterum tam angusto in latum commeantibus spacio, ut vix trinos simul milites, equitantes strata recipiat. Quod aquarum divortium, binis Satrapijs pro limite habetur; cùm quæ ad

Regij Trajectum occupant.

Quibus Excubitores se objicüt.

Trajectus descriptio.

1666.

quæ ad Septemtrionem vergit, sub nomine Cujavienſis: in meridiem respiciens Iuniuladislavienſis Palatinatus dicatur. Id paludum repagulum partes dirimebat, nisi in suam præceps ruinam temeritas, celeriorem cladi materiem transeundo feciſlet. Sæpiùs etenim perditionis nostræ ex nobis ipsis causa est: nos ipsi lethale ferrum, multiplex cædis mortalium instrumentum è terra eruimus; & malleis tundentes, in plágas & vulnera ipsi nostra erudijmus.

Adulta die cùm haud segnes in tutellam sui Confœderati, vehementiore motu in campum provolant, unde insurgens concitati pulveris caligo, accepta Regijs pro infallibili fugientium signo; non nemine ex trajectum prægressis, properè Regi nuntiante, eum in Castris Lubomirsc ij, vix expectato meridie non incommodè pransurum. Sed fefellit, ut sæpè solet, appetitum immatura victoriæ præceptio. Quippe Regijs cænosa pertinaciter superantibus, jamq; ultra quatuor millia qui pugnarent supergressis, cum Iosephus Borek Confœderatorum Substitutus, mox & Vexilla Palatinatûum, pari alacritate in arena comparent; & quidem eò ardore, ut de prima sortitione pugnæ planè contentio oriretur. Pisarski enim vice Tribunus Palatinatui Cracovien: eum honorem reposcebat; quod ex alterna vice, hæc primi conflictûs dignatio ei deberetur: excipiebat ex persona sua Poznanienſis, cui uti Senatori juremeritò ea prærogativa priori tribuenda foret; nisi Confœderati, vel ex eo quod stipendiarij Nobilitatis essent, vel quod magis & potiùs in procinctu prælij starent, impigrè prima pugnæ præludia capessebant. Nec mora; occupato adverso colle trajectum versùs, septemdecim Turmarum Equestris acies, in dimidiatæ Lunæ speciem ordinata ingruit in adversos; ab utroq; latere consequentibus Palatinatûum Signis; his rursùs subsidio venientibus, Polanovio Tribuno, ac Ostrzyccio Nexûs Mareschallo, cum omni adhærentis militiæ robore. Istos rursùs in tria grandiora agemata divisos, hinc inde Desultoriorum manipuli in casum aut subsidium locati, excipiebant. Prima in pugnam prosiluit Turma, Felicis (nec sine omine) Potocki Subdapiferi Regni, ducente Paprocio veterano militiæ Optione; ea cæteros ex ordine antegressa, planè se in densatos ex opposito Regiorum Ordines injecit, quorum jam supra vij. mill:, cum vij. campestribus machinis, vado superato radices collis occupaverant; ac quod non perfunctorij adventûs signum erat, bina mox in capite trajectûs egerebant è cespite propugnacula, (Reductus) unde illis machinarum commodior explosio, & retinendi loci regulata tuitio esset. Ex istis dum alij in pugnam intendunt, alij confertim per adsitam paludi planiciem Ordines explicant, cùm à Confœderatis vehementissimo ex declivi in-

Cõfœderat in Regios movent.

Ordo in prælium.

Pugnæ acerrimæ.

1666. clivi incursu impetuntur, & simul turbantur planè attoniti: quod priùs sentire cædem, quam videre hostem licuisset. Iam alter Nuntius non de fuga, sed accinctis in pugnam Confœderatis edocebat Regem, qui ad subita animo interritus, mox ne non plus aliorum relatis, quam propriis crederet oculis, propius adequitans; in ipsa crepidine Trajectus stetit dolendi Actus spectator; si quâ posset subsidijs laborantes suos, & præsentia Majestatis erecturus. Ac primo Lithuanos verbis in opus cohortatus, quantocyùs vadum superare jussit; quibus Legionem Equitum Germanicorum Martiani Chelmski, Subdapiferi Sandomirien: instituram; demum uti diversa agemmata mistim & turmæ Equestres (id tumultuariè magis quam debito ordine fiebat) in vastum gurgitem se inijcerent, injungens: dein machinas in promontorium ad ictus & tela commodius mittenda, conduci imperavit. Sed Lithuani excusabant conflictum, quod ab excursu exploratorio redeuntes, nec ipsi cibarijs, nec equi pabulo refecti, recenti pugnæ haud sufficerent. Ergo tertium agmen, horum vice substituit, cum interim Confœderati in subeuntes, quanta maxima vi poterant, à jugo illo prominentis collis, pugnarent acerrime; ac primos ordines ad secnndam lineam penetrando, validè conturbarent. Iuvabat locus impetum in declivia proniorem, erigebant pugnantes proxima subsidia, utroq; latere in participium pugnæ ruentia, inflammabat indigna contra omne fas impetitio; insuper nequaquam Christiano more negatæ veniæ dolor, nullaq; spe apud iratum victorem salutis conservatio, impellebant; uti fulminis instar in objectos devolarent. Nec diu fortuna prælij alteram bilancem depressit; postquam enim dextrum Regiorum cornu bis in prælium ductum, bis reductum, ab Ala Substituti repulsum fuit, mox plurium accursu, primos in fronte aciei ordines fervidè perrumpentium, Confœderati campo potiti sunt. Piget referre, sed tamen narrandum est, quam non Civilibus odijs infensæ partes, atrocissimè inter se concurrerent, vesana in necem rabie; & plusquam humana in infligendis plagis ferocia. Quippe non simplici vulnere aut plano ferri inflictæ plagæ; sed ultra barbarorum furorem decapitata corpora, ut dignosci cujus essent non possent; dissecta in succidiæ speciem fugientium terga; uno Pilo quandoq; gemini transversim acti, rara abducendi captivos cura, promiscuè grassata ferri licentia: ut non improvidè Lithuani excusantes prælium sibi consuluerint: cum constaret eum furorem in eos præcipuè verti, qui à conflictu Czestochovienſi libere dimissi, nimis insolenter Minoris Poloniæ oras, ad usq; Templorum violationes, diripuissent. Non ultra meridiem funesta pugna duravit, etsi Rex tertium jam agmen subsidio

Rex prælium ex colle prospectat.

Auxilia submittit.

Regiorum clades.

Confœderatorum fœtor.

subsidio mitteret, redintegrari assultum mandans; & an in capite trajectûs Propugnacula contra vim defensa essent? solicitè quærens? sed ubi rem perditam, deletas Legiones, adempta propugnacula, adversamq; penitùs aleam ex refugis cognoscit, haud obscurè dolorē præferens, hinc inde Signa obequitabat, ac identidem ex Proceribus instaurandi prælij modos, & fatalis trajectûs eluctandi possibilitatem perquirebat? etsi Tribuni, mæstiorem conspicati, vel vitarent aspectum, vel tristi silentio cædibus indolerent; multi Regem nec lachrymis temperâsse, ubi Bokuni ac Brionis sclopigerorum Turmas funditùs excisas accepit, retulêre. Etiam Czarneciana illa, tot bellis ac prælijs probatissima Desultoriorum Legio, penitùs concisa est: Ioanne Tetwin Succamerario Derpatense cui parebat, penes Regem retento, ac planè violentas manus sibi injecturo, nisi prohiberetur, ex dolore quòd non simul Ductori commori socijs licuisset. Ingens tum discrimen subijt Illustr: Campi Dux Regni: nam dum imperio & exemplo in ardua quæq; primus Regijs præit, ac contemptu periculi se in trajectum gregarijs immiscet; parùm abfuit quin refugorum tumultu in gurgites trusus, è tabulato decideret. Eo semper clarissimorum Imperatorum tyrocinio, ut inter cladium rudimenta, deponant ab adversis metum, à secundis fiduciam, crescantq; altiùs humanorum casuum dociles, per infortunia. Ex Confœderato Exercitu vix dimidium Copiarum ad conserendam manum venit, vel quod ex pugnæ præludio uniuersos in discrimen mittere haud expediret, vel quod Nobilitas tardiùs equos nacta, præcipuè Minoris Poloniæ Signa dum à dextris paluſtria superant, profundis aggeribus prata præscindentibus, impedirentur. Memorabile est per eos dies, ut ferè ad ortum Procyonis fervida æstate solet, nullas semestri intervallo decidisse pluvias, unde ardentissimi solis caloribus perusta tellus, non impeditis modò ex semente frugibus ob humorum defectum injuria esset, sed & hominibus immodico cæli æstu affectis molestissima. Cùm ecce dum reconditur vaginâ ferrum, & tristi spectaculo cæsorum cadavera inspiciuntur, sereno admodùm Sole, proximus Horizon subito nubium velo inhorruit, absconditaq; clarissimi sideris luce, primò tonitruis immugire cælum, dein vehementior imber effundi cæpit; tantâ copiâ & impetu, ut bihorio defluens equos viroſq; ad interulam usq; mirè afflixerit. Multi ad prodigium retulêre, pro indicio irati cæli accipientes; quod dum cruor proximi ab immiti manu funditur, nec homines humanorum casûum miseret, vel nubes ipsæ in commiserationem solverentur. Id tamen casualis nimbi accidens, haud accesserim inter mira, si non miracula ponentibus; cùm ab aliqua naturali cau-

1666.

Regis ex accepta clade dolor.

Discrimen Illust: Cāpiducis Regni.

Peracta pugna pluit.

1666. rali causa provenire certum sit; ut ad profusum in terram sanguiné humanum pluat. quod periti rationibus ostendunt, & ego ab experientia didici, etiam in superiorbus bellis non pro paradoxo posui. Sanè ut ex ordine narrationis funestam, ad Montwy cladem visam mihi, & præsenti conspectam retuli; quia tamen in partibus existens, vel me ipsum suspectum habeo ne affectui obnoxius quicquam veritati derogem; proinde in supplementum adjunxi, ejus prælij Commentarium: ab anonymo aliquo conscriptum, qui tamen cognomen suum reticens, Castrorum Regiorum Iudicem pro tempore existentem se indigitet. Sed nihil implicat de nomine controversia, si in rei veritate ambo consentimus

De eadem ad Montwy pugna altera relatio

Quæ de verbo ad verbum ponitur.

Relatio de conflictu ad Montwy propè Iuni vladislaviam, ad paludes Fluvij Noteś. Anno 1666. die decima tertia Iulij. Movit Exercitus Regius à Wilczyn loco sic nuncupato, versus Iuniuladislaviam, cum tribus Legionibus Equitatus Polonici; Regia nempè, Potocij Notarij Campestris, ac Sieniavij Excubiarum Præfecti; additis septem Regiminibus Dragonerorum; Regio videlicet; Potocij Palatini Cracovienſis; Iablonovij Palatini Russiæ; Notarij Campestris; Czarniecij Capitanei Kanioviensis, Colonelli Bokum & Brion: progressusq; est ad quatuor milliaria. Lithuanicus præibat Exercitus usq; ad locum nominatum Wielkiebrody; ibiq; per paludes Montwy ex fluvio Noteś emergentes, partim vado partim per pontes in adversam Fluvij ripam, aliquot millia nostrorum trajecerunt. Hi confestim armis excepti sunt, à Zarudny qui inibi vigilias agebat, ex parte Palatinatúum & Fœderatæ militiæ; velitatione mutua ab utrinq; tempus trahendo, donec supervenirent Regij à tergo consequentes. potissimè verò tormenta septem, cum uno Peditatús & altero Equitatús Germanici Regimine. His trajicientibus turmatim se Regibus ad ripam applicabat Exercitus. Cui se junxit etiam sua Majestas cum altera Exercitús parte, sed ultra paludes non processit. Nobilitas Palatinatúum ut patuit posthac, nihil minus quàm conflictum cogitabat; in consilio suo seu Rota Equestri rationes discutiens, super declarandis punctis, quæ ipsis erant proposita à Sacra Regia Majestate, per Signiferum Poznanienſem & Pakoslavium. cùm planè circa finem consilij significatum est, partem Exercitús Regij ab Iuniuladislavia superare trajectum, alteram Pakosciam versus tendere, ubi Nobilitas cum Confœderato milite Castra posuerat. Conturbati repentino nuntio omnes equos appellabant, qui ad unum & medium milliare à Castris pabulabantur. Sed Zarudny solertia equorum adventum acceleravit, qui ad primum Regiorum conspectum, custodes jumentorum commonuit, uti confestim equos ad Castra depellerent. Vix tamen post unam & mediam horam Exercitus ille equos conscendere poterat. Cùm transme-

1666.

transmeássent Montwy Prærursores Regij, Sac: Reg: Maj: demandavit, ut Subdapifer Sandomirienſis cum sua Equitum Germanicorum Legione prægressos sequeretur, & quod belli est ad mandatum Ducis perageret. Reliquæ Legiones Equestres & Pedestres, resq; armamentaria ex hac paludum parte penes Regem manserat. Quæ inter expediti fuerant à Ministris Regijs, Petrikowski ac Wasowicz Nobiles, qui in illo Palatinatúum quod peragebatur consilio, Regis nomine quàm celerrimam Commissariorum ad tractatus pacis expeditionem urgerent. Isti ad Consilium introducti, dum velut mandata Regia exponunt, parùm abfuit quin ob detectum dolum male mulctarentur, nisi Senatorum hìc præsentium enixa protectione subducti forent. Incipiebant sub hæc in campo ab utrinq; velitationes, Nobilitate sine ordine excurrente, prout quisq; equum adeptus fuerat, ac dum properanter convolant, ex concitato pulvere grandis consurgebat in aëre caligo; unde apud Regios vel suspicio vel incerta relatio oriebatur, Lubomirscianos fugere; Confederatos verò dedecus fugæ aversatos, retrò Pakosciam intra paludosa subduci, ac militari recessu abire. Hinc Regijs spatium temporis ad ordinandam aciem supererat, qui ijdem mox adversos crebrioribus tormentorum ictibus salutabant. Interea cõspectæ sunt tres Equitum Confœderatorum Legiones, quæ pugnam adornantibus Regijs magna velocitate supervenientes, in speciem mediæ Lunæ sex Ordinibus uno post alium, dextram Regiorum Alam incurrebant. Constabat agmen octo Vexillis Legionis Borek Substituti, & tribus Nobilium Signis, quæ in prima statione ad distinendum hostem procedenti se junxerant. Iam nil remittens pulveris nebula, indicabat totum Fœderatorum robur in certamen descendere, inter quos aliqua fuerat contentio, quis in primum aleæ experimentum prætiret? Castellano Poznanienſi seriò id cum suis Palatinatibus deposcente; opponente in contrarium Pisarscio, sibi cum Palatinatu Cracovienſi vigore alternatæ illius diei, deberi. Fœderatis minimè utrumq; permittentibus, ut qui Patres & Domini essent, hinc pugnæ præludium spectare ad stipendiarios, prima periculà capessituros. Verùm Substitutus, eam de primatu ineundi prælij controversiam nihil moratus, præmissum Paprocium Cohortis Potocij Dapiferi Regni Subcenturionem, è vestigio consecutus, magna resolutione & celeritate inchoavit prælium; irruitq; in dextrum Regiorum latus, quod primo statim impetu in maximam confusionem misit. Secuta mox subsidiaria agmina, ac omnes quo ordine in acie steterant, eodem se ad conflictum expedière. Virobiq; certatum acerrimè, ac fortissimè, Vir Viro, Signa Signis opposita, igni ferroq; pertinaciter sævientè: donec ultra sesqui horam Equitatus Regius in recessum Ordines solveret, & Dragoneros confertis manipulis ad ripam paludum resistentes deserens, in uligines protrudẽdos permitteret, cùm jam eos Zalescius, unius

1666. vexilli Nobilium Siradiensium Ductor superveniens, violenter à jugo collis depulisset. Sic post brevem sed fortissimam pugnam, campum obtinuêre Confœderati, pertinaciter Regios ad medium vadum insequentes. Multi hic Officiales & Nobiles Commilitones ex Regia Equestri militia cæsi; duo Regimina Equitum Germanorum & septem Dragonerorum deleta: vix centum gregarij, per uliginosa loca, quæ fluvius Noteć ad plura milliaria porrigit, incolumes evaserunt. Septem tormenta bellica capta, & Peditatus Trajectum eluctatus, omnis occubit Nemini donabatur vita, etiam per sacra deprecanti; Comes quidam Gallus offerebat militi, ut illum captivum ad Lubomirsciũ deduceret, mille aureos, & sex equos cum carpento, nec tanto lytro miser deprecari vitam potuit, lanceâ Turcicâ transfixus; ejus immitis truculentiæ, Częstochovienſem anno præterito Lithuanis præstitam clementiam causam dixêre; cùm enim illuc plurimos Captivorum liberè dimisissent, omnes illi ad Lubomirscij desolanda bona convolantes, Ecclesijs etiam quo se præda reficerent, non pepercerunt. Procerum aliquis Magni Nominis, amisso equo luto hæsit, ac illinc magna sua fortuna incolumis vix evasit. Capitaneus Parcovienſis, Colonellus Brion, & Linkhaus, fuga salvati; Chelmscius cum multis alijs à Confœderatis capti sunt. Vix ex omnibus illis Regiminibus decem Ordinum Præfecti evasére; centum octuaginta septem majorum Ordinum Officialibus desideratis: septuaginta tria vexilla adempta. Mandaverat sua Majestas, ab altera paludum ripa tormenta majora contra Nobilium aciem explodere, aliter enim succurrere nullatenus potuit, & explosa sunt numero 83. vicibus, quæ in unicum saltem ephebum, qui signum Castellani Poznanienſis portabat, collum ĉirunt. Maximo dolore spectantium jacebant innumera juxta paludes cæsorum cadavera; videre erat semineces confodi & necari, aquis mergi, voluntari in cæno morientes, ac extractos lacunis spoliari. Majorem cladem causavit nimia victoriæ spes, quam ita certam sibi nostri pollicebantur, ut etiam sitæ Majestati suaserint, ne prandium sumeret, brevi in Nobilium Castris cibum sumpturus. Una & media hora vix duravit conflictus, à nona usq; ad mediam undecimam, finis prælio fuit. Et sic Exercitus ille, ac si uno vulnere concidit, vix non anniversaria clade, quâ anno præterito ad Częstochoviam victi Lithuani fuerant; superstitione aliquorum hùc inclinante, ut ad pietatem conflictus utroq; traherent: illic enim ad celebres Virg: Deiparæ Ædes, hic prope Sacrum Passionis Christi locum, in memoriam Hierosolimitanæ Calvariæ erectum, certatum est. Usq; ad vesperam stabat Palatinatûum ordinata acies. Regius Exercitus de nocte recesserat in Stationes, tormentaq; bellica in Castra deducta sunt. Sub occasum solis Subjudex Cracovienſis cum additis sibi à Palatinatibus Collegis, ad Regem venit condolendo cladi, & excusando

1666. sando factum, extra voluntatem imò destinationem evenisse ingenuè questus & exprobrans, contra datam fidem tractanti pacem Nobilitati illata arma; hinc modo inculpatæ tutellæ ad repressalia descensum; & postquam aliter violenta impetitio arceri non posset, evenit, ut qui vim inferebant eandem ipsi paterentur; rogabat insuper, ut Sac: Reg: Maj: Tractatum pacis non abrumperet, sed eum finiri Commissarijs suis mandet. Pupugit Regem eiusmodi condolentia, quidquid tamen transactum fuerat paratum se obtulit in gratiam Patriæ condonare, Tractatus reassumendo, si modò Palatinatus in eodem ubi sunt loco manent, ac se illinc ne latum unguem moveant; secùs nullos amplius de pace sermones admissurum. Respondit Tomiccius. Castra jam ante ipsum prælij punctum loco mota perrexisse, & hucusq; aliquot confeciſſe milliaria, cui iterato & seriò injunctum est, ut ocyùs jubeat Confœderatos redire & suo loco consistere; Sacram quoq; Regiam Majestatem die sequenti redituram, unde venisset. Consequens dies cæsorum sepulturæ dicata fuit. Novem publicorum vectorum curribus convehentibus cadavera, quod à Palatinatibus haud præpeditum, licet majores ex illa parte Excubias egerint, & tres militares Reductus in capite Trajectûs tormentis in conflictu acquisitis, ac Desultorio milite probè muniverint. Cæsorum 3873. mil: numerati, ac convecti in effossis scrobibus tumulabantur; quorum nullus uno vulnere perijt, sed pluribus plagis multi bifariam scissi, aut vi framearum ab jugulò per medium dissecti, cernebantur. In paludibus submersorum numerus iniri nequijt.

Hactenus anonymi relatio.

Aderant in id belli à Rege vocata duo millia Cosacorum, Ductore Czopo seu Ducillo, quem Rebellionis Vkraynensis Choragum supra retuli. Is transacto jam prælio, dum in crepidine vadi prospectans subsistit, nescitur à quo impacto in aurem fistulari globo mactatur, litatq; Nemesi feræ magis quàm immeritæ. Ex Palatinatibus (ut illi asserebant) unicus nobilis & unus famulus perijt; ex fœderatis duo commilitones, quatuor gregarij cæsi, saucij aliquot reperti sunt. Lubomirscius de nocte cum Palatinatibus Breſtiam Cujaviæ versùs movit. Rex manserat in loco, ibiq; Lubowiecium Iudicem Cracovienſem & Pakoslavium ad Tractatus amandatos excepit: quibus Commissarios suos adjunxit, uti in Regis Tentorio per noctem de concordia ineunda disceptarent. Promittebat sua Majestas Comitia in Seprembre; Electionis abolitionem; evacuationem præsidiorum ex Civitatibus; indictionem Conventûum per Provincias, in quibus per Lauda particularia, summa aliqua pecuniæ tolerabilis ante Comitia contribui posset, uti soluto stipendio miles in Vkraynam expediretur. Adpromissum Diploma Confirmationis Libertatum; in futuris Comitijs Confœderatæ militiæ amne-

Cædes Cosacorũ Ductoris.

Tractatus resumptus.

1666. amneſtia; Nobilitati ſecuritas &c. Tria ſolummodo reſtabant, in quibus ſiſtebatur cardo negotij. Primò Lubomirſcij exilium, quod omninò urgebat Rex. Eidem reſtitutio Baculi Marſchalcalis; ſimul & Præfecturæ Cracovien:; inſuper diſſolutio Nexûs militiæ Fœderatæ ante Comitia. Redire itaq; debuerunt Pakoſlavius ac Bieykovius ad Caſtra Fœderatorum, definitivam hac in parte exploraturi voluntatem. Interim Regia Caſtra decima ſexta Iulij, promota Kłodavam versùs, inde Sleſzynum lentis ſat itineribus, ubi Pakoſlavius à prima Propoſitione Provinciales haud receſſuros adferens venit, niſi reſtitutio Lubomirſcij in integrum conſequeretur. Fœderati quoq: ſolvere Nexum ante Comitia ac militare tantiſper, niſi ſub regimine Lubomirſcij recuſabant, cum aliter ipſis ſua conſtare nullo modo poſſet ſecuritas. Hinc cùm indignatione Palatinatûum Ablegati, & ingratè accepti ſunt. Nec ampliùs reſumpturus Rex Pacis mentionem, in viam ſe dedit, abeuntium inſiſtens veſtigio, donec jam pluries hac interni belli procella, afflatum Ravenſem Palatinatum retroacto agmine ingrederetur. Iſta ex Anonymo fuſiùs retuli, non tam vulneri exaſperando, quàm firmandæ ad poſteros veritati.

Caſimirus retrò movet Caſtra.

Iterùm mediatio reſumitur

Hic rurſus aliquo meliori Genio afflante, conſilia pacis reſumpta ſunt, aut quod jactura tranſactæ cladis permoveret, aut violentorum conſiliorum autoribus pudefactis, velut per ipſos ſtaret, quod aliter inter Cives Leges concordiæ ſcribi non poſſent niſi ſanguine. Exinde jam ab occiduo ſole, illa Civilis belli tempeſtas ſubitò ſe ad ortum convertebat. Siquidem Confœderati (quo nomine intelligi velim tam Nobilitatem, quàm militiam Lubomirſcio adhærentem) haud expectato Subjudice Cracovienſe Tomiccio, quem è gremio ſui ipſo conflictûs die ad Regem ablegaverant, præmiſsis in ante impedimētis, ipſi mox versùs Brześćie Kujaviæ tetendère. Deproperati abitus cauſis præ alijs verioribus, vel ut certior per receſſum conſtaret ſecuritas, vel commodior victus acquiſitio eſſet; ſi loco commeatu exhauſto quantocyus moviſſent. Etiam miſſo Provocatori Regio, uti ſe aperto Campo & Marte in decretorium certamen ſiſterent Perduelles, reſponderat Lubomirſcius. Neq; virium ſibi tantùm neq; animi eſſe, ut cum Rege ſuo aleam belli experiri præſumat. Subditum ſe recognoſcere cum omnibus qui ſecum unâ ſtarent, & humile pedum Principis ſui ſcabellum. Satiùs reverenter poſtulare, ut Sac: Reg: Maj: benignitatis innatæ memor ignoſceret ſupplicibus, & nihil demeritis; vel ſi ſtipula ſicca tanti non eſſet, ut ejus miſereretur, ſaltem Patriæ quæ omnium charitates complexa, etiam Regem Ser: ſinu fovit, & Diademate ornavit ſat

Fœderati apud Brześćie Cuiaviæ.

vit, ſat attritæ & deſolatæ, parceret. Itaq; Caſimirus haud obſcurè dolorem & anxietatem præterens, ſed vindictam prudentiâ aut impoſsibilitate temperans, motis loco ferali Signis, contra naturam belli, ſucceſſu prævalentem Lubomirſcium, infeſtis armis ſequebatur. Cæterùm Tomicius, quem ad Regem miſſum ſupra innui, primò gravi ſupercilio à Caſimiro acceptus, mox ſequi juſſus, donec apud Sleſzynum in Caſtris, ubi ira & primi motus deferbuiſſent, placatiorem Majeſtatem, & cui liberiùs loqui poſſet cernens, ingenuè cauſas expoſuit, quibus inducta Nobilitas in repellendam vim adigeretur. Ac ut erat tam forma virili, quàm animo egregius, ſequioribus Aulæ conſilijs cladem imputavit, imò dictum illud Prazmovij, quod vanitate raptus ſub Tractatum Pacis apud Koninum protulerat, uti arma inhiberentur, donec Pax conſtat poſtulantibus Commiſſarijs. *Cum his* (*inquit*) *ſcrupulis ad Confeſſarium ſatius pergere* cenſens, quàm in arenam Martis; quod tunc ſcandaloſum parergon liberè præſentis exprobravit. De numero cæſorum ex parte Lubomirſciana quæſitus? occubuiſſe plures narrabat, vel ſortem Civilis belli accuſando ut permoveret, vel ſaltem reciproca jactura dolentem ex cæde ſuorum Principem aliquomodo ſolaturus. Huic valedicenti injunctum Regis nomine, quatenus Fœderati intra Cujavienſis Provinciæ terminos ſubſiſtentes cæptæ Pacis concluſionem expectarent, aliter cum vagis & diſcurrentibus Tractatus abrumpendos fore. Aſt rurſùs qui ſtimulus ad bellum, idem ad ineundam pacem animitùs incitabat. Scilicet Ludovica Regina, jam nuntio cladis, jam Mariti Regis diſcrimine exterrita, etiam pro muliebri ingenio, majora verò pericula imaginando, præter ſecretiores literas, miſerat Ioannem Zelecki Bydgoſtienſem Præfectum, cujuſvis inter Ordines concordiæ Regi ſuaſorem: & ſuæ ipſius ægritudinis nuntium, cui nequaquam bene eſſe poſſet, niſi his Civilibus turbis finem pacificando impoſitum viderit. Qui idem Zelęccius Proceres mittentis Nomine hortabatur, uti ſe glorioſi operis pararios monſtrarent, funeſtum inter partes diſsidium ſopiendo. Hinc in pacem impulſus & motivum; niſi aliqua in Trzebicio Epiſcopo Cracov: intercederet mora, qui àRege vocatus, dum vel iteratis vicibus rogari expectat, vel ob anteriores in Comitijs ſimultates cum Nuntijs Terreſtribus, negotium protelat, tandem urgentibus literis compellatus adfui; ſanè veritus ne iterùm recidivo caſu colliſis partibus, præpoſtera cunctatione inſanabilem plagam aſperaret. Cùm & Lubomirſcius pœnitudinem ex facto oſtendens, adventum ejuſdem ardentiùs depoſceret; & Caſtellanus Cracovienſis Stanislaus

1666.

Tomicij Subiudicis Crac: expeditio.

Reg: Lud: ad Pacem impellit.

Per Bydgoſtien: Præfectum.

1666. slaus Warszycki idem requirens, desolationi Provinciarum non aliter consultum iri censeret, nisi placato quantocyus Principe, Patriæ tranquillitas, cum plenimoda injuriati Civis restitutione procuraretur. Et Castellanum quidem Cracovienſem, vel per ætatem inclinata valetudo, vel per injurias Cæli ac in commoda Castrensia secus affecta, in morbum profligaverat, quem dum Radomiam cura instaurandæ abstrahit, non tamen omittebat compellare Trzebicium, se vel ægrum deportari promittens, si modò ille, Collega sibi & pacis coòperator, ad restinguendum Civile incendium protinùs convolaret. Iam quippe Nobilitas molestæ expeditionis pertæsa, haud obscurè desiderium pacis præferebat, aliquibus ægrè ferentibus diuturnam à Domo absentiam, nonnullis metu, ne conversa iterùm in Orientem tempestas, etiam Roxolaniæ Provincias, uti Majorem Poloniam simili turbidine involveret. Vnde tædium belli in longinqua abstrahi; etiam plerisq; Procerum privato respectu hùc actis, ne scilicet revoluto in Russiam Lubomirscio, ubi illi ampliſsimæ ditiones ac clientelæ forent, etiam oræ illæ adhucdum militaris nexûs pressuram haud oblitæ, tam rebellionis contagio, quàm direptione militari permiscerentur. Adeo rarò cura publici, sine mistura privati commodi agit, & vix quemquam ex Optimatibus sic in Patriam animatum reperias, qui sub prætenso Patriæ nomine, non intendat rebus proprijs consuluisse.

Castellani Cracovien: morbus.

Diversi diversorum respectus.

Pilca Fluvius.

Fluvius Pilca, ad ejusdem cognominis Oppidum, ex modico fonte in Palatinatu Cracovienſi ortus, ubi diversorum torrentium incursu augetur, in Ortum æstivum flectens, Ravensem Satrapiam à Sandomirienſi Palatinatu dirimit; ubiq; placidus, & utrâq; ripâ in pascua armentis herbidissima. Łegonice pagus ad Aquilonem objacet, cui plures alij connectuntur; Metropolitanæ Sedis Gneznensis Feudum; opportunus Tractatibus, & qui ipse ad rem invitaret locus: quod sine Agricolarum injuria pabulo sufficeret, nec adsita ora indiga alimenti esset. Hic cæptam Tractatûum telam retexere placuit, inclinatis jam ad mitiora partibus & omnibus sub conditione justa & æquabili, Civile dissidium sopire intendentibus. Adibant quippe Regem ultrò citròq; Commissarij, per quos Nobilitas postulata sua ferebat, admittente promiscuè Rege; imò commonente, ut in proposito paciscendi consentientes, etiam in Pactorum describendis conditionibus convenirent. In principio ut fit discrepatum sententijs, cùm Aula ex beneplacito paucorum, velut victis leges imponere vellet: futurum fore prævidens, ut delinita celeriori domuitione Nobilitas, & nihil minus quàm constantiam in bello retinens, à partibus Lubomirscianis abstraheretur; tum demùm

Ad Łegonice Tractatus incipiunt.

mùm diminutis viribus æmulum, ac cum eo Confœderatam militiam, ad vindictam fore faciliorem. Sed defuit proposito successus. Quippe Nobilitas, ut unanimi submisione Regem pro pace deprecabatur, Leges concordiæ quales æquitas & clementia dixerit admissura; sic junctim omnes & sine exceptione, postulare veniam; vel si ita cælo destinatum inseparabiles invicem animis, & corporibus, mortem oppetituri videbantur. Permovit ea in præliminaribus constantia, ut nocte interveniente miserit Rex, quatenùs omnes moras & scrupulos sui abrumperent, apertè professus; Vniversis & Singulis nemine excepto, erratorum gratiam facturum, eoq; nomine conficere tabulas Publicas mandavit, quominùs descriptis in instrumento conditionibus, quisq; securitatis propriæ, haud dubiam spem & normam perciperet. Sed erant qui nodum in scirpo quærerent, & contracto dudùm per assiduas contẽtiones habitu, quassatam Reip: carinam, ne tunc quidam in portum tranquillitatis deductam vellent. Confœderata etiam militia, ut donec amnestia seu oblivio præteritorum per Legem publicam sancitur, sub Magistratus sibi impositi, vel Lubomirscij imperio tantisper militaret; etiam Duci suo in Regno manendi aut extra, ex beneplacito aut commodo facultas esset; eidemq; Baculus Mareschalci, cum Præfectura Cracovienſi protinùs restituerentur, enixè poscebat. Vnde verborum querimoniæ, & in Ministros recidebant odiorum stimuli; velut ambiguarum formularum perplexitate irretire partes intenderent, & bonum pacis jam in aristam efflorescens, ambitu suo, & falso aliter volentis Majestatis prætextu, morarentur. Hinc consurgentes aliquoties Commissarij, turmatim ad Regem iturire ostendebant, incusaturi quòd Custodes Legum, & Iurati Statûs Ministri, prægrandibus externorum pensionibus in servilem operam autorati, & ideo haud integra fide: quominùs optata tranquillitas Patriæ redeat, desiderium concordiæ Vniversalis, suetis ambagibus eluderent. Reponebant isti paria: donec tandem misertum Sarmatiæ Numen, ad pacatiora discordes traxisset; imò Numen à quo sunt omnium nostrûm potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates. Ille qui supra nos est, ubi voluit, potuit; potuit deniq; & fecit: ut Mucro Domini ingrederetur in vaginam suam, refrigeraretur & sileat: cogitando super nos cogitationes pacis, & non afflictionis; hinc eum invocabimus & vivemus.

1666.

Rex sedulò pacem urget.

Refraganti bus plerisq;.

Mitigatis utcunq; animis, tandem in pacem conventum est; quæ ad instar alicujus Compromissi officiosi coaluit, Senatorio ac Equesti Ordine partes suscipientibus, Superarbitrum negotij peragente Rege: ut symptoma illud lethale, quod Vniversam Remp:

Quæ demũ per Dei gratiam coalescit.

1666. perniciosè vexaverat, quot Ordines Regni essent, tot manus medellam ferentes experiretur. Quibus verò Legibus ea concordia stetit succinctè memorabo: etsi eam in volumine Legum explicitè & Patrio idiomate positam reperire facilè fuerit. In primis titulus majori inscribebatur. DECLARATIO GRATIÆ SAC: REG: MAIESTATIS, Incolis Cracovienſis, Poznanienſis, Sandomirienſis, Caliſienſis Siradienſis Łencicienſis &c. Palatinatûum in unum congregatis; tum Georgio Lubomirski in Wisnicz & Iarosław Comiti, cum adhærentibus; etiam militiæ Confœderatæ in Nexu existenti; gratiosè concessæ. Et hic longè Ordine Senatorum nomina, quæ ego inferiùs sub finem Instrumenti pacis attexam, conscribebantur: cum Sac: Reg: Mai: nomine & explicito assensu.

Titulus seu inscripto Capitulatûm.

Sac: Reg: Mai: Dom: Nr: Clem: Nihil potiùs in votis & desiderijs habens, nisi ut vetus ille tam Principis erga fideles Subditos, quàm reciprocus Subditorum erga suam Majestatem Amor & confidentia, reducci; ac firmiter in utrorumq; pectoribus radicari possit: statuit ex innata erga Populos sibi subjectos benevolentia, omnes quascunq; in Majestatem suam offensas, pro clementia innata & more Christiano dimittere: sicut in præsens dimittit, & gratiosè indulget, ac bono publico condonat, perpetua patratorum oblivione transacta involvendo. Quem paternum affectum contestari paratus est, in proximis Deo dante Comitijs, per officiosam & Lege publica firmatam Amnestiam. Quæ eadem illa, cunctas tam in genere quàm specie partium prætensiones comprehendens, & omnem securitatem personarum hoc fatali motu expediens, quibus verbis hic & nunc à Delegatis partium, in publicas tabulas inscriberetur; ijsdem ante omnia in Comitijs volumini Legum inserenda adpromittitur. Eidem testandæ erga fideles Subditos clementiæ, desideria eorum pro æquo & grato suspiciens, in effectum deducenda eo modo declarat.

Ac primò, post solutum modo quo inferiùs Nexum, ac post impletas præsenti declaratione descriptas conditiones; Exercitus tam Regni quàm Mag: Duc: Lithuaniæ, ad limites Vkraynæ contra Hostes Reip: quantocyus expedietur.

Præsidia urgente præsenti necessitate locis diversis imposita, hic & nunc S. M. amovebit, exceptis Castris quæ in præsens nudari præsidijs non expedit: nihilominus Præfectis è Nobilitate possessionatis tradenda fore promittit; & pro injurijs à Præsidio illatis, instantanea præstanda satisfactione.

Officinæ Nummulariæ tam Tymfi, quàm Boratinij; severè inhibita ulteriore Monetæ cusione, confestim occludentur, tam per Regnum quàm Mag: Duc: Lithuaniæ.

Repar-

1666.

Repartitionem Exercitûs futuris in Comitijs condicendam fore declarat; quominùs divisis ex æquo inter Palatinatus Legionibus, certior & efficatior solvendorum Stipendiorum ratio constet. Idem modus in distribuendis Hybernis observabitur. Nullos interea delectus militares, Duces Exercitûum instituent; donec de quantitate minuendæ, vel augendæ Militiæ, plenius ex informatione Comitiorum liqueat; quæ ultimis diebus Octobris Sac: Reg: Mai: (excepto legali impedimento) indicenda spondet.

Legem de crimine Læsæ Majestatis & Perduellionis, ex arbitrio & consensu Ordinum corrigendam sua Mai: permittit.

Condemnationes Iuridicæ, sub his motibus in diversis Iudiciorum subselijs obtentæ, Lege publica abrogabuntur, causis principalibus in integrum restitutis.

Quibus in gratiam Pacis offensionibus expunctis, & condonatis; ad mutuum Subditorum amorem & confidentiam restabiliendam, quâ semper Poloni erga Reges suos inclyti ab ævo floruerunt: omnes quotquot adsunt Palatinatûum Incolas, certos veniæ S. R. M. deprecatum admittit; deprecatione ejusmodi per Senatores præsentes, Officiales Terrestres, aut per Deputatos ex gremio Nobilium expedienda.

Ad eandem deprecationem gratiosè recipit, & Georgium Lubomirski, prætensionibus suis prioribus abscedentem, uti qui de toto & in solidum arbitrio & clementiæ Ser: Regis penitùs se committat. Quam deprecationem personaliter cum Filijs exequetur, loco & tempore à Sac: Reg: Mai: designandis; ubi simul & cum collateralibus Principis se reconciliabit. Idem Officij Sac: Reginal: Majestati, quando & ubi commodiùs videbitur, præstiturus. A Nexu militari recedet; Factiones cum externis Regno noxias abdicabit; delectus militares penes se existentium solvet, & exautorabit; Iuramento fidelitatis, & ex asse hujus tractatus implendi, se se obstringet; ac interea donec de plano motus tractatus implendi, se se obstringet; ac interea donec de plano motus præsentes consopiuntur, pacificè commorabitur, loco intra vel extra Regnum, ad beneplacitum Principis designando.

Similis gratia adpromittitur Exercitui in Nexu existenti, qui ejus rata in antecessum Cõfœderatione, omnibusq; ejus pernicioſi Actûs scriptis, contentus, ligaminibus in universum renuntiando: seq; ad obedientiam Reip: ac legitimorum Ducum Imperium, plenariè restituendo, ad implenda infrascripta, novo Iuramento obligatur: tum demum per Præfectos Militiæ deprecatus Majestatem, ad osculum manus Regiæ admittetur. Cujus omnimodæ securitati nunc & in posterum consulendo, Amnestiã Generalem Sac: Reg: Mai: tam Vniversis quàm Singulis gratiosè concedit, adjecta insuper trimestris Stipendij, ubi Palatinatus Contributiones extradent solutione. Non tamen ad opera belli in antecessum movendum de-

1666. *dum declarat, donec pro die xv. Septembris convectis in Castra pecunijs stipendium promissum repræsentabitur. Hæc condicta & concluſa, cum assensu & explicita voluntate Sac: Reg: Mai:, conscriptaq; in Cancellaria Majori, die* 31. *Iulij stylo Novo Anno Dñi* 1666.

Sed non in hoc justificati sumus, altiùs causa mali vestiganda erat, qua nisi sublata morbus tolli nequibat. ELECTIO origo & artificium miseriæ nostræ; cui velut anthicathegoria opposita Popularis motus, & in Principem factio: inventis domi partibus, quæ utraq; propugnarent, sub boni publici prætextu, aut Legum violatarum nomine. Hinc quo sinceriùs inter Starus reinduceretur confidentia ac unanimitas, expediebat eos amoliri obices, & velut publicæ tranquilliatis obstacula. Etenim licet Lex publica Anni 1661. radicitùs Electionem extirpasse præseferret, non tamen penitùs multiceps Hydra conciderat, ac serpentis more quem gelu astringit, non extinguit, pluries latentem sub cineribus ignem ostendebat. Æquanimitatis Regiæ fuit, rem illegalem iterato abolere Rescripto, quod fuit per modum diplomatis ejusmodi.

Ioannes Casimirus Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, &c. &c.

UNiversis & singulis ad perpetuam rei memoriam &c. Vt nihil in votis optabilius, sic in opere factisq; præstantius, à Sac: Reg: Mai: haberi par est, Iurium & immunitatum à D. D. Antecessoribus Regibus Poloniæ, etiam à seipso confirmatarum, huic inclytæ Reip: conservatione. Vnde tametsi libera Regnantis Electio, istis Populis pro Cardinali Lege extra omne dubium habeatur, & per nos inviolabiliter semper conservata fuerit; quominùs tamen singulare studium Majestatis nostræ ad firmandam & roborandam ejusdem Electionis libertatem eluceſcat; omnes scriptas Leges, & à D. D Prædecessores nostris, potissimè verò Atavis Iagellonibus approbatas, S R. M. tanquam novissimus eorundem Successor, præsenti scripto confirmat, & inviolatas velle promittit: insuper stante vita & regimine suo, neminem ad Regnum Poloniæ quoquo modo promovendum spondet; nisi qui liberis Suffragijs Gentis, legitimè Electus fuerit: imò contra tales Intrusores, veluti Patriæ hostes insurgere, & tam antiquissimas Regni Leges, quàm & novellas de eadem Electione latas, pro virili tueri adpromitit &c. In quorum fidem præsens Diploma Sigillo Regni majori munitum, manu sua Regia subscribit. Datum in Castris nostris ad Pilcam Anno & die ut supra.

Consecuta mox ad præmissa antistrophe, & digniſsima posteritatis

1666. ritatis scitu, flagrantis pro Libertate populi consideratio. Vbi Nobilitas non pollicitis, non minis, non armorum ostentatione; imò nec injurijs belli absterrita, se pro Patria & immunitate avita devovens, perstitit firmissimè. Perfunctorium agmen, & magis arvis in sulcos redigendis, quàm armis exercendis suetum, excutit veternum, deserit penates ac pignora, & contra armatas acies, terribile illud regulatæ militiæ robur, planè exermis pugnat, ac se victimam pro Patria immolat. Sed mox qui potentiâ vinci non poterant. expugnantur clementiâ; convulsis Legibus intractabiles, jam admota benignitatis Regiæ machina cicurantur. Fidelitatem & obsequium professi, ubi immunitas sua sibi constat, & Patriæ Leges in tuto sunt.

Zelus Nobilitatis pro Libertate.

Instrumentum confectæ Pacis, tam Delegati Regij, quàm Confœderatorum Commissarij, ad majus transactorum robur, corporali Iuramento firmaverant: quorum nomina ut folio inserta sunt, memoriæ causa ad posteritatem transmitto. Primo loco subscripsit, Andreas Trzebicki Episcopus Cracovienſis, indefessus eo Civili motu publicæ tranquillitatis coöperator; Nicolaus Prazmowski Luceorienſis Episcopus, Major Regni Cancellarius, Nominatus Archiepiscopus Gneznēſis; Thomas à Lezenice Lezynski, Chelmēſis Episcopus; hi ex sacro Ordine. Stanislaus Potocki Palatinus Cravienſis, Supremus per Regnum armorum Præfectus; Andreas Carolus Grudzinski Poznaniēſis; Ioannes Opalinski Caliſsienſis; Michaël Staniſławski Kijoviēſis, Stanislaus Iabłonowski Ruſsiæ; Michaël Pac Smolēſcenſis, Campestris Lithuaniæ Dux; Palatini. Damianus Kretkowski Chelminēſis; Ludovicus Niezabytowski Sandecenſis; Marius Iaskolski Santocenſis; Petrus Przyiemski Sremenſis; Martinus Iarzyna Sochaczovienſis, Castellani. Ill: Reg: Ioannes Sobieski Supremus Marschalcus, idemq; Exercituum Regni Campestris Dux; Christophorus Pac M. D. Lithuaniæ Cancellarius: Ioannes Clemens Braphorus Pac M. D. Lithuaniæ Cancellarius: Ioannes Clemens Branicki, Mareschallus Curiæ; Venceslaus Leszczynski Incisor; Ioannes Zelecki Venator, Regni; Ioannes Gninski Succamerarius Pomeraniæ, Ioannes Szomowski Opocznenſis Præfectus; à parte Regia ad Tractatum Pacis Commissarij ex sæcularibus. A parte Confœderatorum subscripsêre. Vladislaus Lubowiecki Iudex Generalis Crac:, ac Georgius Potocki Pocillator Chelmenſis, ex Palatinatu Cracovienſi. Vladislaus Skoraszowski Vexillifer, & Gaspar Modlibowski Dapifer, ex Poznanienſi. Stanislaus Zaręba Iudex Sandomirienſis, ac Hieronymus Komornicki ex Sandomirienſi. Christophorus Mycielski Iudex & Capitaneus Colenſis, ac Valerianus Podleski, ex Siradienſi. Franciſcus Grabski ac Nicolaus Stokowski ex Len-

Proceres Instrumentum Pacis subscribunt.

Itidem Palatinatûum.

1666. ex Lencicienſi. Abrahamus Iarzyna Tribunus, ex Ravenſi. His accedebant nomine Lubomirſcij Nicolaus Pakoſławski, ac Ianuſius Bieykowski, ſufficientibus à Principali ſuo inſtructi mandatis; etiam ab Exercitu Confœderato, Caſimirus Minor Iudex Caſtrorum, Andreas Kaski, ac Nicolaus Sieſtrzewitowski: quibus in ſimul coóperantibus Deo inprimis juvante, Pax illa & tranquillitas Regni demùm coaluit. Et ſi Deputati militares, ni niſquam apud ſuos vapularent, quod in eas Leges conſenſiſſent, Nexui ut rebantur perniciolas, & non infœcundam iterandorum motuû n materiam Quippe à Nobilitate & Ductore ſuo ſegregatis, dum pro imperio & ordine veteri, ſeſe Legionibus miſcent, quid aliud futurum, aut ſperandum? (ajebant) niſi paratam hoſtiam victimario tradi, imò intrudi in macellum: ubi Commilitio ob ſciſſuram contempti, Ducibus ob illatam cladem odioſi, Regi ob exutum obſequium intolerandi, velut aves viſco hærentes, facili captura opprimentur? quid ſi evaneſcente Comitiorum indictione, aut ſubſecuta ruptura, & perconſequens nulla patratis Amneſtia, quâ demum cautellâ, quo præſidio imminentes jugulis enſes amovebimus? extenderetur Iuris ſpecie in nocentes rigor pœnarum, dum improvido rebus noſtris conſilio pro damnatis cenſebimur? aſpiciemuſq; è Contubernijs ſevera illa Ducum ſupercilia, qui ſe more recepto vitæ neciſq; noſtræ, abſolutos Dominos ferunt? Inde circa regreſſum in Deputatos militares fremitus & indignatio inſurgebat: velut ij incolumitatem Commilitij fraude, vel negligentia prodidiſſent. Nec multum affectus ab effectu aberat, niſi reverentia vix dum conciliatæ concordiæ, & inconſulta paucorum cum pluribus contentio, deniq; inter tranſacta reſpuentes Lubomirſcius ſe ingerens, aliter fieri non poſſe oſtēderet; vel in propria cauſa ſimile præjudicatum allegans, cui ex ijſdem rationibus nulla ſecuritatis, exitij ratio conſtaret. Malle tamen in ſpem indubitatā erigi, quam diffidentia peccare: etiam ijs ſuaſor & autor exiſtens, uti præpoſterā tranſactorum deliberationem reijcerent, fiderentq; verbo Principis, Iuramētis Procerum, Equeſtriū deniq; generoſitati, quibus non ſtare verbo ſi contingat, & Deus perjurij ultor, & accinctis ferro promptus ad vindicias recurſus fuerit. Ægrè talibus acquievêre, poſtquam finito jam & in publicas tabulas redacto Tractatu, rei tranſactæ notitia, per celeres Nuncios ad Caſtra devenerat. Iuvitq; ad pacatiora diſponi turbulentos, ubi indictum Legionibus iter, ac præmiſſi Tractu Radomienſi præcurſores, conquirere annonam militarem jubebantur. Simul miſſo Metatore, qui ad Viſtulæ ripam opportunè locum Caſtris antecaperet.

Etiam à Nexu Commiſſarij.

In quos militia Cō fœdi fremit.

Demùm motus componitur.

Etiam Caſimirus Rex feſtinatò antegreſſos conſequebatur, ſubinde

inde lætus armatam controverſiam pacifica definitione diremptam, ac laceratæ Reip: vel ſaltem internis motibus ſopitis, aliquod reſpirium dari. Augebant ſiquidem deſiderium pacis, moleſtiſsima ex Vkrayna nuntia, quam novus turbo ac tempeſtas perflaret, iterū abdicato Regis obſequio, & Rebellibus in ſervitutem ſe Turcis addicentibus. Protunc apud Iaroſzynum, Viſtulam propè Rex conſiſtens, ac condictas ex ſtipulatu Leges in effectum deducturus, injungebat partibus, uti tam ſibi regreſſum deſtinanti, ſed magis Incolis gravamen prætendentibus, celeriori expeditione tranſactorum conſuleretur. Ergò ſe utriq; ad Actum futurum expediunt, Confœderati reſumendi obſequij debitum præſtituri; Rex aperto clementiæ ſinu ſupplices excepturus. Caſtellanum Cracovienſem Warſzycium, invaleſcens ægritudo lecto affixerat (uti memoravi) Radomiæ, qui annis gravior, nullo inclinatæ valetudinis reſpectu, ſola cura publici hùc ſe dederat, uti Provincialibus adeſſet: morbo interim ut perduraret vetante. Poznanienſis Caſtellanus Grzymułtovius, ingenij acer, & popularitate in ſpeciem privata ſtudia obtegere ſuetus, aderat: ſed nec in iſto ampliùs diuturnioris renitentiæ locus, rarefracta admodùm Majoris Poloniæ Nobilitate, ac reliquis niſi protinùs Expeditio Pacto terminatur, dilapſuris. Itaq; Lubomirſcius deprecando Regi cum trecentorum ferè Commilitonum globo, in Caſtra Regia, inter Iaroſzynum & Broniowice pagum conſiſtentia pergit; quem mox Oratores Palatinatûum ſeu Commiſſarij ſequebantur. Sub tentorio Rex agebat, quod jam ſtipatorum phalanx, etiam denſa peditum ſigna circumſteterant, ſpectatores arcendo; haud vano metu ne nimia aſpicere volentium curioſitas, vel everſo Conopæo involveret cum deprecantibus Regem. Quippe bina Caſtra in ſpectaculum ſe effuderant, adeo condenſata ac ſeſe premente turba, ut aliquot ephebos ea preſſura abſtulerit. Vnde & Lubomirſcius vix cum xx. collateralibus Regem adijt, reliquo Comitatu in meditulio Caſtrorum equis inſidente. Introgreſſus Prætorium vultu quidem mæſtior, ſed haud animo demiſſus reverenter Majeſtatem ſalutavit; dumq; Rex ad ſupplicem extendit manum. Tum ille. *Dum (inquit) humano deſtituor patrocinio, imparq; invidiæ ſuccumbo, quæ ultima naufrago ſupereſt tabula, Deum teſtem apello, vixiſſe me cum fide erga te Ser: Rex Domine clementiſſime, cum debito in Patriam reſpectu, etiam erga Leges & inſtituta majorum jurata obſervantia: his omnibus quantum potui ſatisfeci, quantum valui & debui, præſtiti. Nec ampliùs de quoquam queror, malignitati ſortis caſum imputans; quæ ſolita rerum ſublunarium viciſſitudine, vas honoris in contumeliam transformáſſet. Quod ſi non con-*

1666.

Rex Caſimirus ex inita concordia lætor.

Ad Iaroſzynum conſiſtit.

Quem Lubomi: cum Commiſſarijs deprecatur.

1666. *venit placitis cæli adversari, saltem liceat palam profiteri, ut pro fideli Subdito erga Sac: Reg: Majestatem Dominum Clem: semper me gesserim; ita nunc opus & facturam manuum ejus recognoscere, eoq; nomine Majestatem suam, humiliter plantis advolutus, venerari.* Hic iterùm genibus Regis advolutus, brevi pròémio lachrymis (ut ferè illæ ærumnosis facilè excidunt) finem impònebat; quas neque Regem tenuisse fama fuit, vel quòd pænitudo eliceret immeritum pati, vel quòd personam odiens, dotes viri æstimaret.

Deprecatio Regi Casim. molesta. Dumque ex ordine alij deprecatum se ingerunt penitùs arceri debuêre; eâ jam Regis molestiâ & fastidio, ut ob nimiam urgentis turbæ pressuram, cui & circumstans Miles impar esset, ægrè se ex Conopæo in propatulum expediret. Verùm nec sub dio locus expediendis sat commodus, ventosiore aurâ voces accedentium, simul respondentium intercipiente, turba in pressuram pertinaciore, quo robustiùs arcetur. Sic finijt acerrimum illud Civilis motûs disidium, magis in syncretismum aliquem quàm in sinceram exulceratorum animorum pacem desinens; nisi Deus cui in Regna arbitrium, amoliendo incendio, turbarum faces extinxisset. Lubomirscius à Generali Potocio ad mensam invitatus, excusavit convictum, ob necessariam rerum suarum dispositionem, & provisum. Quippe Scepusiensem Præfectum cum Rege amandabat Varsaviam; bifariam iter interpretantibus coryphæis, alijs ut obsidem fidei, alijs erga Reginalem Majestatem submissionis interpretem, mitti judicantes. Cæterùm à Rege quæsitus Mareschallus, ubi nam locorum subsistere vellet? qui, Dambrova funditùs à Lithuanis desolata, & commeatu vacua Łancutum se iturum respondit. Rege locum silentio approbante, cùm interim ille, in Karczmiska Casimirienses Præfecturæ pago nocte transacta, ne adito quidem Ianowiecio, hæreditaria Conjugis ditione, Dambrovam versùs contendit; deproperatum abitum multis, vel inconsulto metui, vel improvidæ festinationi adscribentibus. Neq, Rex diu in loco moratus, quò molestam requisitionem militarium, operæ pretium (Donativum vocare mos) ab Rege pro fuso sanguine reposcentium evitaret; in viam se protinùs accinxit.

Lubomir: regressus Dambrovam.

Etiam Regis Varsaviam. Apud Gołab ad confluentem Vistulæ & Wiepry, Castra Regia ingredi jussi Confœderati, excusso jam Nexu Regijs jungendi, utriq; sub pristinum Ducum Imperium traducebantur; etsi non sine aliqua renitentia tergiversantes, & delusos se tractatu pacis, velut pueros crepundijs, apertè frementes. Etiam Lubomirscius ex fidis indicibus, quid consilij Aula adversùm se moliretur comperiens; discriminosam sibi in Regno moram judicans, biduò tantùm Dabrovæ hospitatus, citatis itineribus in Silesiam ijt. De nocte abeunti, duo Filij carpento vecti præibant, ipse paucis conscijs habitum Germanicum induens, ac asciticio pilo caput involutus, humiliore caballo sequebatur, sparsim comitante Aulica juventute, ac quadringentis ferè Desultorijs. Eaq; festinatio abeuntis erat, ut continuato itinere, postquam apud Opatovecium Vistulam superâsset, binoctio nullibi subsistens, donec intra limitem Silesiæ, apud Czeladź oppidum respiraret. Quippe in explorandis consilijs sagax, ubi comperit extra Patriam exilium, in domesticam detentionem mutandum destinari; & in arcano Aulæ consilio prolatam Conclusionem. *Haud prudentis venatoris esse, implicitam retibus feram emittere, ut iterùm capiatur quærendam:* Parabolarum Aulæ intelligens, ancipiti discretioni se subducere maluit, tam novis quæstibus statum ægrè pacatæ Patriæ commovere, quàm & prævalentium æmulorum iterùm vires experiri nollens.

1666.

Lubomirscius in Silesiâ pergit.

Ita demùm ex Castris ad Iaroszynum, in viam quisq; suam abiêre: Varsaviam enixè vocante Proceres Casimiro, Togatos & militares; cum quibus de indicendis Comitijs, etiam expediendo in Vkraynam Exercitu (quam rursùs in rebellionem recidivus turbo iuvasit) deliberationem institueret: expeditisq; domesticis difficultatibus, tum demùm vires in hostes Regni versurus. Sed plura obstacula erant; cum Łęgonicensem Tractatum Nobilitas de toto adimpleri postularet. Aula secessum extra Regnum Lubomirscij ægrè ferret, spe concludendorum Comitiorum exigua, educendi in hosticum militis negotium pro impossibili acciperetur, nisi priùs promissa Amnestia, & retentum exsolvitur stipendium. Proceribus militiæ alijs, vix bello interfuturis, quominùs in Comitijs comparerent: unde Rex instituto consilio bellico, cuinam Vicarium in militem imperium tradendum foret, anxius deliberavit. Hactenùs quidem Ducum vicem obibat, Ludovicus Niezabytowski Sandecensis Castellanus, sub Regimentarij nomine, apud Krupia Castris consistens, ibidemq; rarefactas admodùm Cohortes recolligens: sed qui mox renuntiaret muneri, indisciplinatum militem questus, cui non solveretur; & suam ipsius ut in officio contineret, insufficientiam prætendens. Exagerabat anxietatis cumulum, infaustæ expeditionis memoria, quominùs tamen Rex oblivione probrum involveret, stare Pactis voluit, unica solummodò in id versa cura, quomodò promissam Lubomirscij restitutionem pernegaret. Nam id unum ex verbali promisso perficere, non arduum modò, sed impossibile erat. Dignitates diversis cesserant, quæ jam collatæ sine injuria eripi possessoribus nequibant, alia retribuendi deerat materia;

Intervenientes post pacē difficultates.

Niezabytovius regimen Exer: excusat.

Variæ difficultates interveniunt.

1666. & exinde irritato Equeſtri Ordine, velut Tractatus Pacis convellerentur, diſcrimen rumpendorum Comitiorum imminebat. Quo caſu nec tributa fciſci, nec Amneſtia promiſſa concedi, nec in hoſticum educi Exercitus poterant; recepto jam Populi more, ſua errata Aulæ imputantis. Conſiderâti talia excutiebant ſcrupulum æmuli, per Lubomirſcium ſtetiſſe, quominùs in ſtipulatum deducti Tractatus, jam ab eo violarentur; qui contra fidem datam manſurum ſe in loco, ex arbitrio Majeſtatis deſignando ſpondens, vix ſalutato Rege ab latere ſe proripuerit, in Sileſiam ſecedens: unde rursùs perniciosis conſilijs ac externis practicis Patriam perturbaret. Hinc apertè conſtare quid moliatur, & quàm in iterandas factiones proclivis ſit, ubi nequaquam verbo Regio, ac potioris Senatûs partis ſtipulatui fidens, ſancitam & juratam pacem penitùs infringeret.

Quarũ in Lubomirſcij retorſio.

Quas inter diſcurſuum aut ſcriptorum diſceptationes, demùm ad Comitia ventum. Incidebant illa juxta Tractatûs, Łęgonicenſis indictionem, ad diem jx. Novembris maxima omnium expectatione & voto, quibus demùm medijs, deſcriptis conditionibus ſatisfieret, quæ niſi adimpletæ manent, nequaquam ab intra Regni tranquillitatem reſtabiliri poſſe certiſsimum erat. Cùm vix dum cæpta, mox ſpiritus vertiginis exagitavit. Etenim viſceribus inhærente malo, cui ſuperficialia remedia haud adæquata extirpando eſſent, exaſperabant magis vulnus, quàm obducebant. Electio nimirùm, quæ ad inſtar ſacri ignis per artus ſerpens, univerſum Reip: corpus depaſcere videbatur, nullis legum latarum aut Diplomatum remedijs, morbus ſanabilis. Itaq; illatione facta ab Andrea Kałowski Iudice Caſtrenſi, & Nuntio Palatinatûs Łancicien:, urgentiſsimè Nuntij Terreſtres depoſcebant, quominùs ſcripta autographa, externis in eadem materia tradita, cum ſubſcriptionibus aliquorum comportarentur; non aliter quàm Iudicio Reip: damnanda & annihilanda: verùm conſcij, tanquam aquæ exundantes aheno inſurgebant contra, ubi propoſitio ea flagrantiùs à Nuntijs promota eſſet, Statûs maximè Miniſtri, & qui ex intima Reginæ admiſsione repugnabant, vel nupero Diplomate ſe tuebantur acerrimè, abolitam ſemel materiam, niſi in uſum contendendi, ſuſcitari dicentes. Cùm Hieronymus Komornicki ex vi Inſtructionis ſuæ, incenſo & ad Tronum verſo ſermone: *Nihil jam integri & priſci moris in Patria reliquum fore (dixit,) ſi toties exterminata Electio, iterùm attollit caput, & privati Cives, obligatorijs ſcriptis, avitam Patriæ Libertatem, cum externis Principibus licitantur.* Ad hæc Rex è ſedili conſurgens, unde hæc Komornicius comperiſſet ſuboffenſus quærit? modeſtè reſpondet ille, ex famâ publicâ ſpargi; dumq; rursùs per Mareſchallum Cu-

Comitia inciptunt.

Exurgit rursùs Electio.

Illatio Komornicij Nūtij Sandomirien.

1666. lum Curiæ iterata à Trono requiſitione pulſatur, conticentibus omnibus profert folium, conditiones oblatas Regnaturo continens, etiam nomina ſubſcribentium. Hic enimverò ingens in conſeſſu Ordinũ motus, inclamantibus pleriſq; eos publicæ Libertatis caupones, Glinianenſis Rokoſsij exemplo tractandos. Cumq; tertio unde ſibi ſcheda ea in manus delata quæreretur? nec ampliùs reticendi autoris ſubterfugium placeret, ab Ioanne Leſzczynio Regni Procancellario rem ſibi delatam aſſerit. Nec Leſzczynius quidquam hallucinatus, imò in aſſertis conſtans protulit, autographum illud ſcripti poſt demortuum Venceslaum Fratrem Primatem Regni in manus ſuas veniſſe, neq; ſe ex vi juramenti Senatorij occulendum cenſuiſſe. Commotio animi patuit in Rege ex Trono abeunte, quem mox ſecutus in Conclave Leſzczynius, quanquam primò ingratè acceptus, mox cum viro inſigni mitiùs actum, infallibili Syngrapha veritatem comprobante. Vbi verò reſtitutio Lubomirſcij tam diu intermiſſa prodire cæpit, mox velut decuſſo malo, navis Conſiliorũ fluctuabat, imò ad ſcopulum alliſa eſt, ruptis contradictoria voce Gaſpari Miaskowski Comitijs unde in confuſo tunc omnia, & miſeranda omni ope deſtitutæ Reip: facies; ad palpabilia præ oculis tam ab extra quàm intra diſcrimina, & alterutris diſſoluti actus cauſam, mutuò ſibi imputantibus.

Producitur ſcriptum a Leſzczynio Procancell.

Diſſoluta Comitia.

Nec facilè occurrebant media, quibus eo rerum ſtatu res afflictiſsimæ juvarentur; cum Moſcho bellum, breves induciæ ad pacem tractandam tanùtm conceſſæ dirimebant, intra alterius anni decurſum expiraturæ. Scythæ in ſe verſis Poloniæ armis, faſtidiebant ſocietatem, ſibi prorsùs, quos bellum ſaginaret, inutilem. Vkrayna perpetuus Rebellionis nidus, tam nuper ſuſceptam Moſchorum protectionem aſpernata, quàm legitimum Poloni Regis imperium executiens, ductu Petri Doroſz Tribuni, vertigineſi & projecta audacia hominis, ſeſe in patrocinium Portæ Ottomanicæ addixerat; Conſtantinopoli venientibus Czauzis, qui nomine Cæſaris Mechmeti IV. intromiſsionem in univerſam Ruſsiam præcaperent, ac in Gieſconem illum cucullatum, ejus Ducatûs inveſtituram traditis inſignibus conferrentes. Et liquidò conſtitit, magnos tunc apud Turcas armorum paratus, ac militiæ delectus habitos, ubi nos internis motibus affligimur: cùm ſolenne ab ævo, & velut ex inſtituto Ottomanico fuerit, Genti Orbis prædatrici, diſsidijs Chriſtianitatis ſaginari. Recrudeſcebant ſub hæc apud nos ruptis Comitijs majora odia & ſimultates. Male contenta ex Tractatu Łęgonicenſi Nobilitas; Miles ob non ſancitas Contributiones, unde ſtipendium ſibi, haud ſat obſequens; etiam meliorum partium Senatum, præjudicioſæ

Vndiq; pericula recenſentur.

1666. de Libertate cum exteris ſtipulationes aſperabant; ut prudentior quiſq; & Statûs intelligens, de remedio, (niſi Deus ipſe extraordinaria ope ſuccurreret) planè deſperaret. Iam quarta vice Comitia nullo effectu difluebant, Tractatus planè evanuerant, hoſtes malis noſtris erecti, Socij armorum alienati, inter Ordines diffidentia, inter Populum egeſtas: nec Majeſtati parcebat livor, quàm offenſæ tenaciorem, & verbi Regij, quod pro ſuſcipiendo in gratiam Exule Ordinibus Regni dediſſet oblivioſum, ubiq; differebant.

Quæ mordaces ærumnæ, dum ſub cortina animi latent, Caſimirus tamen dilapſis Nuntijs, cum pleriſq; è Senatu deliberabat, conquirens juvandæ Patriæ modos, quibus ſaltem ab extra hoſtium inſultus utcunq; reprimerentur. Etenim præter Vkraynam, jam ad nova accinctam, etiam in Taurica mutatio rerum ex Hani degradatione acceſsit. Mechmet Gierey Hano Crimenſe, per Turcam Dominio apud Scythas privato, remotiſque proximioribus agnatis, Ciuban Soltan dato ſucceſſore. Vnde tam exploratores noſtri, quàm utriuſq; Daciæ Reguli, Scythas adornare in Podoliam excurſionem ex comperto adferebant. Languebat ætatis decurſu magis, quàm morbo fractus Potocius Generalis, eum tamen, quem difficilimis Reip: temporibus, animi vigorem monſtando, ſi modò deficientes corporis vires, facultate pari ſuſtentare potuiſſet. Sed meritiſsimo Heroi tranſacta in extremum ſenium ætas, jam aliam indicebat expeditionem. Vbi verò ſubductis ad noviſsimum quadrantem ærarij rationibus, in Sen: Conſilio patuit, tam ex remanentibus penes fiſcum ſummis, quàm extraordinarijs vectigalibus non nihil pecuniæ corrogari poſſe, id totum in ſolutionem bini Quartualis tranſmiſſum in Caſtra, etiam Hybernis ex bonis Regalibus ac ſpiritualibus affatim ſuppeditatis: quominùs eo ſupplemento erectus Miles, alacrior in Vkraynam tenderet. Quis ſub nomine Regimentarij Exercitui præeſſet, deliberatum aliquantisper; Sandecenſi Caſtellano Niezabytovio eam Spartham recuſante, & quanquam ante hàc famæ, quam arma faciunt ſtudioſior eſſet, jam nunc remiſſũ ſe in parandis Laureis oſtendit, vel quod maturior ævi, labores militiæ ſubterfugeret, vel aucta re familiari opulentior frui partis mallet, togatis intentus honoribus: ſpongiæ in modum quæ ſicca levis, ubi humore impleta graveſcit; ſic viri militares, donec opum vacui in ardua quæq; feruntur, poſtquam opibus increvêre, famæ deſiderium hebeſcit. Lectus itaq; Sebaſtianus Machowski, qui Cohortes apud Krupia Caſtris conſiſtentes in Vkraynam duceret, enitente præcipuè, ut id honoris tribueretur, Cracovienſe Præſule Trzebicio, apud quem ille Haſtatæ Cohortis Præfectum egerat. Vetus is militandi, ſed rara

Mechmetis Hani degradatio.

Regimen Exercitûs fluctuat.

Sebaſtianus Machowſki delatum.

rara ex felici ſucceſſu commendatione; imò aliquot per clades notior, etiam nunc feſtinantiùs ad regimen Exercitûs ivit, cum quo mox incunctanter ab Scythis deleretur. Cæterùm tota Vkrayna expunxerat jam, non obſequium tantùm, ſed & memoriam Polonorũ: uni Białocerkwæ ſeu Albo Fano Regio præſidio immiſſo, quem locum in meditullio Citerioris Vkraynæ opportunum, Stachurſcius Legionis Colonellus conſtantiſsimè tuebatur, per multiplices inſultus à Rebellibus impetitus, locum tamen conſervabat, Polonæ poſſeſsionis in Vkrayna ſat exile veſtigium. Quinetiam Hanenko, Hulanicki, & Ohul Coſacorum Tribuni, nihil de fide remittentes perſeverabant; niſi ut tritones ædium facilè vento hac illac impelluntur; ſic illi abſtractis Polonis, & nullo præſenti auxilio, favorem partium ſepoſuerant magis in tempus, quàm abdicaverant. Prima ingreſsi Vkraynam Machovij cura fuit, Stawiſzcza oppidum in reclinatorium Exercitûs occupare; verùm id, etſi potiore parte exuſtum, multum de priſtina amplitudine remiſiſſet, de pervicacia tamen remittebat nihil; reſpondentibus per contemptum Oppidanis. *Satis ſibi miſeriæ eſſe, quam Poloni intuliſſent, quam ſi plus ultra prorogant, defenſione inſtituta ſatius morituros, vel quod priore ab incendio remanſit Oppidi, id omne ſubjectâ flammâ à poſſeſſoribus incendendum, tum demùm ſe velut in præparatum rogum cum pignoribus injecturos.* Hinc pertinaces ſubigere, cùm non perfunctorium opus appareret, & cõmonerent exploratorum relationes, numeroſa Scytharum agmina, propediem in Vkraynam hoſtili animo venire, omitti Stawiſzcza debuêre: Caſtris ad Brahiſoviam tractu Bracławienſi metatis. Nam licet cæli injuriæ, vergentiſq; in hyemem Autumni intemperies, feſſum longinquis itineribus Exercitum, quiete & reſpirio ſuaderent refovendum, clauſis tamen ubiq; municipijs, & proximo jam hoſte ſub dio venientes expectare, tutiùs ex neceſsitate videbatur. Nec cunctanter Noradinus Minor Tauricanus Ductor, xxxx. millia ſuorum trahebat; haud dubiè inſtinctu Portæ Ottomanicæ immiſſus; ne tamen rumpendæ armorum ſocietati prætextus deeſſet, deſertos à Polonis Scythas, ubi provocâſſent bello Moſchum, & ab annis aliquot negata donaria querebatur. Accedebant Scythis cum Petro Doroſz Coſaci, juratiſsimi in perniciem Polonorum hoſtes, & præter inveteratum in Gentem noſtram odium, etiam privata in Machovium indignatione, quem autorem cædis Wyhovij nuper patratæ meminerant; quorum xx. millia ſubito delectu ſub Signa conveniſſe palam eſſet. Mox ubi ab excurſoribus pugnæ præludium cæpit, nihil moratus Scytha circum emiſsis agminibus, noſtros undiq; indagine claudit, pabulatores intercipiens, & viam quam maximè

1666.

Białocerkiew præſidio noſtro obtinetur.

Machovij Stawiſzcza aggrediuntur.

Quæ ſuperveniẽtibus Scythis deſeruit.

1666. xime obſtruens, ne facilis ſine munimentis Caſtrorum præda (quomodo autem ea eggererentur rigente gelu humo) armata manu ſe ad proxima Fortalitia evolveret. Vix vj. mill: Polonorum computari ad pugnam poterant, rarefactis admodùm Cohortibus, cùm Cõmilitonum alij, vel ad Comitia quæ indicta erant, vel pro promiſſa ſtipendiorum ſolutione in Regnum dilaberentur. *Dolus Cosacorum.* Antequam verò, Noradino ſe junxiſſet Doroſz cum Coſacis, verſipellis ille à tergo ſubſecutus, aliquoties ad Machovium miſsitabat, non ſe Barbaris amicum innuens, etſi Poloni armis prævalent, haud dubiè partibus acceſſurum. Adornante pugnam Scytha, nec Machovius certamen detrectavit, in campum acie inſtructâ prodiens, poſtquam in omnem caſum currus & impedimenta Caſtrenſia, in Carraginem compoſuiſſet. Adjunxerant ſe Exercitui, quatuor Chłopicio Ductore velitum turmæ, quas exploratum dimiſſas occurrentes Scythæ, ſub ipſos aciei Ordines inſiſtendo refugientibus, depulerant; ac uno impetu in levum noſtrorum cornu, ubi Enſiferi Bracławienſis Legio ſtabat, ſimul invehuntur. *Pugna cum Scythis.* Opponunt ſe noſtri, ac collatis ſignis diſtinent pugnantes, in ſuggreſſos pugnando non inſtrenuè; donec ex capto Scytha, de numero hoſtium ubi conſtitit, animis repente concíderent: quippe nec tantùm Ductori induſtriæ & ſagacitatis, ut ſcienda in anteceſſum exploraret; nec tantum autoritatis inerat, ut mandata, quibus omne imperium præſertim militare conſtat, ad amuſsim obſervarentur. Vnde ab agminibus Scytharum in ſemilunæ ſpeciem paucitate noſtrorum circumfuſa, non improvidè Machovius ſub tegumento Carraginis reduci Exercitum voluit. Ładyzynum; ubi nuper aliquot machinis cum Retormentaria dimiſsis, in omnem caſum Arcem præſidio munierat. Sed dum quiſq; imperare, nemo obſequi præſumit, in promptius exitium omnes deſuetudine parendi ruebant. *Defuit Ductori autoritas.* Quippe exprobrato Ductori, à Borucho vio Optione pernicioſo apud Corſunium receſſu, pluribuſq; clamore levipenſum inceſſentibus, huc adegerant, ut implicito Capiti pileo, non tam iteratum, conflictum jubere, quàm permittere receſſum videretur. Interim cum Doroſzenko Coſaci, dum Polonos ad geminam horam conflictus diſtinet, periti viarum, regreſſum abitu is interceperant: quâ infeſsis trajectus anguſtijs, quâ dejectis per torrentes ac paludes pontibus. Sic à tergo & fronte impetiti, cum nihil aliud perculſis reſtaret, ad Caraginem, quæ haud procul aberat, recedere ſtatuunt. Vti eo curruli munimento protecti, Ładyzynum eluctarentur, cùm jam ſeptemdecim fermè Cohortes, plano Campo circumfuſus hoſtis concidiſſet. Inſtabat reliquis ferox Noradynus ac conſummandi operis cupidus, ante alios ipſe equo illatus, extremos

extremos Ordines carpebat, affulgente tamen aliqua ſpe militari, re- 1666.
ceſſu noſtros in tutum regredi poſſe, donec ad ferales illos Batohi campos (ubi ſexdecim ante annos, ab ijſdem hoſtibus Exercitus Regni florentiſsimus, cum Palatino Czerniechovienſi Kalinovio occuburat) perventum; & hic conſectarij Ludi clauſula fuit. *Cladis noſtrorũ ad Batohum.* Quantum à tergo Scytha imminebat, tantum frontem involabant Coſaci, eò acriùs oppugnantes, ubi impedito trajectu, jumenta curulia, fiſtularum globis, perimunt & turbant: donec in loco ſtita Carrago diſrumperet. Nec ampliùs ſuperfuit noſtris, vel conſilium ad ſalutem, vel animus ad reſiſtendum, omnes penitùs in fugam converſi, vitam pedibus credunt, cui nequaquam manuûm adminiculo conſuluiſſent. Carraginem Coſaci invadunt, diſperſos Polonos Scythæ inſequuntur, *Sanè miſeranda.* etiam Lixæ animadverſo diſcrimine, poſtquam ſarcinas heriles diripuiſſent, inſcenſis equis, quò quiſq; potuit, ſe fugæ dabant, pauci tamen ſuam incolumitatem pedibus debuêre, circumfuſo ubiq; hoſte, & occupatis in antè viarum anguſtijs. Ductor Machovius, ut ex primo congreſſu cum Scythis, non infra laudem fuit, ſic non extra cauſam perditi Exercitûs, ob neglectas providendorum ſubſidiorum rationes. *Errata Ductoris Machovij.* Sierko etenim Tribunus, cum bis mille Coſacis, juratus ſemper Barbarorum hoſtis, haud opem ferre recuſabat, ſi acciretur. Serdoniatorum complures Regiæ gratiæ pollicitis facilè allici poterant. Czechryniæ aliquot Cohortes Tetera reliquerat, etiam Albi Fani præſidium in opitulum accurriſſet. Verùm is effetus per ætatem conſilij, quanquam continuus militandi, & varijs bellis exercitatus, duxit ſatiùs catulis ſuis immorari ac colludere, quàm providi & vigilantis Ducis incumbere officio; & niſi defectu autoritatis, dum imperium militare, plures uſurpant, quod unius eſſet, ad poſteritatem excuſabilis. *Qui & ipſe captus cum pluribus.* Abductus ipſe à Scythis, cum alijs Præfectis Cohortium, multi ſimul Commilitonum in Tauricam ducti, Barbaris mancupi venêre: inter alios Kozminski Koniecpolſcianæ Cohortis Vicepræfectus, Sokołovius Signifer, ex qua etiam Cohorte, Alexander Kochowski Patruelis meus, captivitatem ſubijt, ad gratias & Martem adoleſcens factus, primis militiæ rudimentis, ſub Koniecpolſciana Cohorte imbuebatur, cùm fugiens, uno ex inſequentibus Scythis, glande manualis fiſtulæ proſtrato, jam caſu equi in terram provolutus, ab altero capitur, in Tauricam ductus: unde poſtea fato ſuo in Turcicas triremes venundatus, ac diutiùs ibidem detentus, quadriennio in duriſsima ſervitute tranſacto vitam finijt. Magna Turcarum ad Machometiſmum traducendi ſolicitatione, nec minore meâ in eliberando curâ & ſumptibus, donec rediens ex captivitate Sokołovius, cum quo in tranſtris unâ tenebatur, com-

1666. tur, compedibus astrictus, raptum morbo, & Catholica morte duræ servitutis molestias eluctatum, oculatus testis, & fidus in extrema Commilito, attulisset. Quæ dum scribo, cùm ecce alter è stirpè nostra, Patruelis Iacobus Kochowski, vix cognitus mihi ex promissa barba, fraternum salve dicit. Noveram juvenem, nec improbabam stipendia, in Exercitu Regni merentem, cùm apud Botuszany in Valachia, à Scythis in Tauricam raptus, ibidem tribus lustris & ampliùs, servitutem xvj. annis perpessus, demùm in libertatem & Patriam se fugâ asserit. I i nunc jactabunde Traso, & quid pro Repub: præstiteris exaggera? quas pro bono communi impensas subieris recense? ac pane benemeritorum ad nauseam saginatus, numera quomodò luculentis opibus publico litaveris? Attende sodes, arctior fortuna privati Civis, dum similia præstandi facultatem subtrahit, voluntatem benemerendi de publico non adimit: nec est unde potior habearis plura expendendo, quàm iste, qui quidquid carissimum natura voluit, Patriæ usui, se vitamq; dicavit.

Patruelium suorum Captivitas.

Dum Machometus jv. Orientis Imperator, sueta Turcis ingluvie, Russiam armis Imperio Ottomannico adjciendam destinat; etsi præmonitiones, de grandi illo armorum apparatu, concordes afferent; Rex tamen Casimirus penitùs rebus introspiciendis, Constantinopolim alio prætextu amandaverat, Petrovicium Armenum, Interprerem fidum comprimis, & explorandis arcanis pro Græca indole sagacem. Is Bizantio redux, & decretum jam in Polonos bellū, ex Casnadar Bassa (cum quo sub prætextu mercaturæ familiaritatem contraxerat) intelligens, visa & probè comperta, Casimiro adferebat; qui seriò rem & exinde periculi impendentis magnitudinem expendens, iteratam accito Senatu, quid facto opus, instituit deliberationem, in qua conclusum unanimiter, præveniendum honorifica Legatione Tyrannum, ac impendentis belli molem, revocatis in memoriam Poloniæ, cum Domo Ottomanica, Pactis veteribus novellisque, avertendam. De subjecto legati qui mitteretur major solicitudo, multis discriminosum munus, & itineris longinquitatem recusantibus; alijs majores sumptus, quàm exhausto ærario suppeditari possent, requirentibus: donec Hieronymus Radziejowski suffragio Aulæ destinaretur, in illa Orientis Regia, operam Reip: probaturus, ac recenti in Patriam merito, præteritorum memoriam penitùs aboliturus.

Legatio ad Portā Ottomannicam destinatur.

A. M. D. G.

ANNA-

ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTERIS TERTII, REGNANTE JOANNE CASIMIRO, LIBER VI.

Elenchus Contentorum.

A. CH. 1667.

Discriminibus Poloniæ accessit, denuntiatum à Turca bellum: etiam anno isto ob multas potiorum capitum mortalitates, Regno huic perquam funesto. Primus in viam universæ carnis præivit, Georgius Lubomirski, Supremus olim Regni Mareschallus. Ejus stirps veterrima, & qualitates: tumulatur Wiśnicij. In brevi consequitur, Stanislaus Potocki Palatinus Cracovienſis, mundo valedicens. Comitia Gen: Varsaviæ, in quibus vacantia (ut vocant) distribuuntur. Tra- Elatus Legonicen: per Legem approbatur. Neq; tunc suscitandæ Ele-

1667. *Ctionis molimina omissa. Succamerarij Leopolienſis illaudata cum Rege contentio. Sandomirienſis Palatinatûs modeſtia. De bello Turcico Ordines deliberant. Iterùm ambitus Privatorum Comitia turbat. Ordo Equeſtris Colloquium cum Senatu poſtulat. Pericula imminentia exaggerantur. Comitia finita. Ordinatio Zamoſciana negotium faceſſit. Caſtellanus Cracovienſis Varſaviam venit. Ludovicæ Reginæ lethalis morbus, & mox deceſſus; de ſtirpe Gonzagorum mentio. Ejuſdem animi dotes, cauſa mortis, & extremorum circumſtantiæ. Itidem Zebrzydovius Palatinus Cracovienſis humanis eximitur. Merita, Domus, & indoles Palatini; tumulum ſortitus Calvariæ. Rex Caſimirus ex morte Ludovicæ Reginæ mæret. Ejus pro bono publico ſtudia & labores. Ad ſolvendum Exercitui, Repartitio inſtituta. Diſcrimina Regno imminent. Conſideratio virium in præſens, Turcis obijciendarum. Illuſtr: Mareſchallus Regni Sobieſcius, Dux Generalis Exercituúm, ſpartam defendendæ Patriæ animosè ſuſcipit, & ſtrenuè ſuſtinet. Imaginis Studzianenſis publica expoſitio, ubi miracula per Inquiſitores expenduntur. Decretum Primatis de cultu Imaginis. Funus Reginæ Ludovicæ Cracoviam ducitur. Diverſæ ibi circa pompam funebrem de loco procedendi controverſiæ. Caſimirus frequentiam populi ſpectat: etiam Alumnos Vniverſitatis Cracovienſis cum ſuis Claſſibus. Radziejovius ad Turcam Legatus deſtinatur. Alter in Aula enatus conſiliorum ſcopulus. Doroßenko in Vkraynâ tumultuatur; Scythæ irruptionem in Poloniam adornant. Quibus Mareſchallus Sobieſcius cum Exercitu occurrit. Camenecum præſidio firmatur. Ad Podhayce Caſtra Polona. Nova belli gerendi praxis; Scytharum numerus: itidem Coſacorum auxiliarium; primum ad Podhayce armorum experimentum. Pugna notabilis, quâ ſuperiores depulſo hoſte Poloni. Sierko ex Vkrayna Tauricam ſeu Crimæam invadit. Quo ægro Iwaßko in expeditionem ſubſtitutus, Perecopum intercipit; Crimum populatur; mox in Vkraynam reverſus. Vnde Scythæ ex ardore belli remittunt, Galgá ad pacem inclinante. Tractatus pacis ad Podhayce brevi abſolvitur. Ejus conditiones ab utrinq; conditæ & ſuſceptæ. Coſaci ſe à Tractatu ſubtrahunt; etiam pro his mediante Galgá, pax componitur. Qui obſides requirit, ac receptis in abitum hoſtes ſolvuntur. Tarnopolium ab ijſdem tentatum; Præfectus Dolinenſis tractat epulo Sultanum, qui mox cum Scythis in Tauricam regreſſus. Etiam Legiones Polonæ campo decedunt, nimiùm quam attritæ. Caſimirus Rex Varſaviam venit; Comitia Generalia celebranda indicens; mox varij rumores de Abdicatione Regia diſſeminantur. Tragicus caſus cæſi à conjuge Mariti; Comicus alter mentientis ſexum, ſub virili habitu puellæ.*

Deletis

1667.

Scythæ Braiłovienſi clade inescati.

DEletis in Vkraynâ ad Braiłoviam Legionibus, nimiùm funeſtum ſocietatis barbarorum fructũ percepimus, repleta mancipijs Chriſtianis Tauricâ, & Scythis non ſolùm ea offa in nocendum ineſcatis; verùm etiam ubi majori conſtare hoſtilitatem noſtram, quàm amicitiam advertunt, plus ultra ſpes, & audaciam vertentibus. Porta ſiquidem Ottomannica, uti ſupra innui, diſſidijs noſtris ac internis motibus ſuum in commodum uſura, dejecto Machomete Hano Crimenſi, alium ſubſtituerat: irata priori vel ob levidenſem operam bello Hungarico præſtitam, vel quod addictiorem Polonis exhiberet, quàm ſibi in eoſdem bellum paranti expedire Turca arbitraretur. Iam ille duos Czauzios, Conſtantinopoli ablegaverat: unum quidem more & ritu Fœcialis ad denuntiandum Regi Poloniæ bellum; altero dudum ante in Vkraynâ exiſtente, tam alliciendis in ſpontaneam ſubjectionem Turcarum Imperatori Coſacis; quàm & introſpiciendis Moſchorum animis, quo iſti guſtu novum hoſpitem exciperent? & an vulpecula (quod in Fabulis eſt) ex cavea illa, armato moleſtis ſetis erinaceo, ultrò ceſſura eſſet? expectarentq; vim majorem Turcæ, rapientis Moſchi? & ipſi malæ fidei per Vkraynam poſſeſſores. Sic horrendum detonante Orientis Hemiſpherio, nec anterioribus plagis ſat obducta cicatrice; rursùs alijs ſuper alia emergentibus malis, undiq; lacerata Polonia, in noviſsimum agonem impelli credebatur. Quippe poſt exhauſtam continuis cladibus gentem, ac hebetato diverſis bellis ferro, ſupererat adhuc irato cælo, caſtigandi noſtri modus, frequentatis per clariſsimorum Civium mortes funeribus: ut ſic eminentibus capitibus exdecimatam Remp:, velut aream decuſsis grandine frugibus, vaſtam fatorum violentiâ redderet. Conſimili ut in Iudæa olim temporum revolutione; ubi vates Iſaias cum trulla cæmentarij, Deum lapides ex muro Iſraël ejicientem viderat. Quippe Regnorum mœnia Proceres ſunt: hi angulares Monarchiarum lapides, ac rerum publicarum baſes & ſubſtructiones firmiſsimæ: quæ ſi laboraveris: unde feralem eum annum aliqui Regno Poloniæ dixêre, ego Libitinarium jure merito vocaverim; non facilè alium ab diuturno ævo reperturus, qui adeò mortalitatis ferax, continenti Procerum excidio graſſaretur.

Turca Polonis bellũ denuntiat.

Crebra per Poloniam funera.

Extulerat recenter Polonia Archipræſulem Regni Leſzczynium, à Sacro Ordine proſcenium ordiente fato, ut alijs haud moleſtum ad tumulum iter eſſet, quo jam Primas Regni, Primuſq; Princeps

1667. ceps, præcesisset. Consequebatur mox Georgius Comes in Wi-
śnicz & Iarosław Lubomirski, nuper Supremus Reg: Mareschallus
Lubomirscij Mareschal: Reg: obitus. æq; præclarè factis, quàm viriliter toleratis adversis, utraq; pagina historiæ nostræ memorabilis: dum exilij tædia spe meliorum sustentat, & nimisquam pigra oppressi Civis restitutio cunctanter procedit, ad meliorem emigravit Patriam. Velut vadimonio post se relicto, ut quæ lis ab judice mortali dirimi nequiret, jam tum apud supremum ultimæ instantiæ Tribunal disceptata, ad perpendiculum incorruptæ æquitatis decideretur. Ille sub anni initium, ab Aug: Rom: Imperatore gratiosè Vratislaviæ acceptus; ab varijs Rom: Imp: Principibus, per diversa humanitatis officia cultus; etiam à Germano suo Comestabili Regni, tum alijs Regni Proceribus visitatus; erga omnes comis, imò obtegendo mærori, familiaribus congressibus hilarior se more suo impendens; demùm ineunte anno post breve alicujus personæ colloquium, subita paralisis sideratione, tactus, brevi supervivens succubuit. Vocati medici, dum de morbo, etiam efficacia succurrendi differunt, (alijs apoplexiam, alijs hemicraniam, plerisq; paralisim censentibus) cùm ille vi morbi superante naturam, ingenti astantium mærore humanis valedixit. Na-
Eius stirps veterrima tus erat Patre Stanislao Lubomirski, Cracoviensi Palatino; Chocimensibus palmis inclyto Heròé; Matre Ducissa ab Ostrog. Vladislai jv. temporibus se ad Remp: admoverat, mox turbine Rebellionis Cosacorum cuncta involvente, sub regimine Casimiri ad bellica animum applicuit; non ideo tamen, quia prima non provenissent, palestram armorum deserens; sed æquè Sago quàm Togâ eximijs in Patriam facinoribus insignis clarescebat; ea meritorum citra invidiam nota, ut expulsum turbine Suetico ex Polonia Regem Casimirum, planè solertia sua & infracta fide in Solium restituerit: fidus dum conservat diadema, odiosus dum tuetur Libertates. Sed fidentior animi, & quid præstiterit sibi conscius, mox ad scopulum disgratiæ Aulicæ offendit: vel quòd Reges in Regnis suis, se minores stellas, ita lucere velint, ut sciant cui lumen, quod à sole (qui Rex est) communicativum, debeant; vel solita Aularum vertigine, in quibus ubi merita præmium antevenêre, odium pro gratia redditur. Cæterùm Georgius tam fortunarum amplitudine, quàm consiliorum soliditate in paucis insignis, difficillimis Reip: temporibus Patriæ non defuit, nisi fatalis illa antipathia, & gravius cum Aula, quàm ut dirimi posset odium, ac simultates, statum eminentissimi
Paterani, mi. Civis depressissent. Aderat autoritas, & popularitas, infallibiles concipiendi livoris causæ, velut adversùs Tronum pararet præsidia: oderantq; eas artes æmuli & metuebāt; Subjecta, Patrocinio, cliētelis, largitionibus, per Palatinatus solerter sibi adjungentem; & qui hamus popularium est, passim lauta ac munifica Concivium tractatione, amicitias parante. Idem semper in dictis constans, ac semel prolatæ sententiæ tenacior fuit: unde facilis animorum lucta, arcana quadam vi, semper in oppositum agente. A plerisq; pro primo motore, suscitatæ Electionis habitus, mox pertinaciùs impediendæ obex: excusabat ab Actu licito, & illæsa libertate Reip: profuturo haud se abhorruisse: ast ubi non eligendum, sed intrudendum Successorem videt, plus legibus Patrijs, quàm præjudicioso ambitui debuisse. Dicitur extrema propè, acceptis à Filio Pereaslavienſi Præfecto literis, quibus perscribebat de deleto in Vkrayna Exercitu cum Machovio; adeo repentino stupore mentis consternatum, ut altum suspirans, ac identidem an vera essent ab astantibus requirens; prope deliquium animi, tristi novellâ percelleretur. Quinos ex duplici conjugio reliquit Filios; plerosq; Paternis honoribus perfunctos; imò quòd Filialis pietatis argumentum exhibet, Decreto illo Comitiorum Anni 1664. quo gravaminosè succubuerat, ab ijs penitùs retractato, datis postliminio Paterno honori & intaminatæ famæ sufficientibus vindicijs. Exangue corpus *Tumulatur Wiśnicij.* in Patriam delatum, tumulatur Wiśnicij apud Carmelitas, in sepulchro Lubomirsciano, seu subterranea crypta porticu illa, quam Pater Palatinus cum templo excellenti, sibi posteriſq; Mausolæum struxerat. Ei funus magno Procerum ac Nobilitatis accursu ductum, etiam ea Cleri undiq; confluentis frequentia, ut non diversoria modo publica Wiśnicij, sed etiam privatæ totius Oppidi ædes, haud capaces essent recipiendæ numerosæ hospitum turbæ. Laudavêre pro Rostris funebribus mortuûm, Kocielkovius Ordinis Prædicatorum in Arce; Kochanovius Carmelita Discalceatus in Templo; ambo Ecclesiastæ suo tempore eximij, & consensu omnium in Polonia sacri eloquij Principes. Vnicum Colophonis loco addere placet. *Notabile.* Memorant ex intima Domûs admissione, Palatinum Cracovienſem flexu in devergium ætatis, constituisse inter Filios, eosq; jam Matrimonijs stabilitos, amplissimi Patrimonij congeriem, omnem se vivo exdividere; reservato solummodò pro sustentatione sui sumptu congruo, quominùs terrestribus curis de plano solutus, securiùs quæ imminerent æterna senex contemplaretur. Sanè præstitit, exuque se facultatibus inter Filios ex æquo divisis, dimissisq; Ex illo tamen regali propè Apennagio, tria extra sortem divisionis existere voluit: Conopeum nempè, quod olim ad Chocimum ex Turcis raptum, à Cosacis còémerat; Scipionem seu baculum, à Nicolao Wolski Regni Mareschallo sibi donatum; & lapideam in foro Cracovienſi

1667.

1667. enſi eminentem; ei demùm ex Filijs hæc cellura deſtinans, cui ex munere ac officio in Rep: geſto competerent. Favit fortuna Georgio, ut Generalis Minoris Poloniæ creatus, Ædes illas ad excipiendos tractandoſq; hoſpites acciperet; mox Marſchalcus Regni Scipionem lucratus; deniq; Campeſtris Exercituum Dux, tentorio illo ſanè grandi & pretioſo, præ Fratribus potiretur.

Rumor mortis ante mortem ſparſus.

Fortè Caſimirus Rex, pro ſopitis Civilibus turbis votum exolvens; ſeu invaletudinem uxoris ſoſpitatrici Deiparæ commendaturus in Clarum Montem Czeſtochovienſem diverterat; cùm devotioni intento affertur, Lubomirſcium Vratislaviæ diem ſuum obijſſe. At in levi habita narratio diſparente circumforaneo relatore, & cunctis incertam famam rumoris arguentibus. Vbi voto ſatisfactum, Rex celerimè traharum vectabulo pergens, Cracoviam venit, inſpecturus Fabricam Mauſolæi ſibi in Baſilica Arcis Cracovienſis exædificati; ubi à Magiſtratu Vrbis alacriter acceptus, etiam magnificè ab Wielopolſcio Præfecto Arcis ſalutatus tractatuſq; fuit; quanquam moleſta Podagræ affectione tentaretur. Aſt mox aliquantùm remittente morbo, in viam ſe accingens, uti tepidiore aurâ hybernam glaciem difflante, prono Viſtulâ defluer et, terreſtris itineris moleſtiam prorsùs defugiendo. Cùm Scarbimiriæ prandentem, infallibilis convenit Nuntius, Lubomirſcium revera fato functum. Aliquantùm defixis in referentem oculis, dicitur immotus Rex & ſilens obhæſiſſe; mox velut emerſo ab admiratione animo prolocutus. *Omnes quidem eum finem manere, cordolium tamen non leve de tanti viri jactura.* Vbi verò exuta glacie amnis navigij patiens eſſet, quanquam graveſcente ſymptomate celocem inſcendens, proſperè Varſaviam appulerat.

Caſimirus Rex fato indolet.

Hunc conſequitur Generalis Potocius.

Nec diu Collegam moratus, velut ex condicto Legem fati implevit, Stanislaus in Podhayce Potocki, Palatinus Cracovienſis, Generalis Exercituûm Regni Dux: cui ex uſurpato proverbio, militaris garrulitas cognomen Reveræ indiderat. Ætas illi ad extremum ſenium in armis, & Caſtris exacta; & qui in Exercitu Polono diuturnitate militandi Synchronum haberet neminem. Ingenuus planè, & militariter apertus, indole proba, experte doli animo, comis idem & humanus, (quantum neceſſaria autoritas permiſit) præcipuè in familiari convictu hilarior. Ac cùm, ut ſacra pagina infit, *Spiritus triſtis exſiccet oſſa*, eo fortè morum temperamento, annos vitæ in longævitatem diſpoſuit. Etiam ex leni imperio Legionibus acceptior, quod bonitate naturæ pænas temperaret; & ſi indulgentiâ imperium minuens; nam qui miles Ducem metuit, neq; is hoſtem formidabit. Annum vitæ ultra octogeſimum attigit, viridi ſenecta

ſenecta vegetus, & vel ipſa laborum aſuetudine, ad diuturnam vitam induratus. Hinc in cauſam mortis ſuffecit, humidi radicalis defectio, cùm ubi alendo igni materia ſubtracta manet, lumen extinguatur. Nuper ille ſupremis funeris extulerat, Annam Mohilanka, è veteri Mohilorum Moldaviæ Ducum ſtirpe Conjugem, quæ quarto voto Potocio nubens, & annoſa ætate viro ſuppar, dum prior è ſæculo migrat, longævioris vitæ palmam ſuperviventi Marito concedere videbatur. Laudi fuit indefeſſo ſtudio armis incubuiſſe, connatâ eâ Potociorum ſtirpi virtute, fortia agere & pati: cùmq; in alijs Familijs, ad Mavortia opera Heròém naſci, ut Phænicem, vix ſæcula ferant, apud iſtos peculiari naturæ dono, omne cunctis in armis ſtudium eſt, & velut de manu in manum traditi, regundorum Exercituûm faſces, & Imperia manent. 1667. *Eius vitæ Anni.*

Comitia Generalia Varſaviæ.

Appetebat ſub hæc iterandis Comitijs Generalibus tempus, cunctoſq; non injuſta ſolicitudo advertebat, vel perſanandi plagas, quæ jam inflictæ, vel repellendi ictus, quales externi hoſtes minarentur. Eo nomine programmata (Inſtructiones vocant) ab Aula in Provincias dimittebantur, Turcici belli minis paſsim infarta: quæ pleriq; inanes arbitrati, ſupponebant Ottomannum Veneto bello diſtentum, haud quaquam contra vetus Gentis inſtitutum, geminos populos quâ terra quâ mari armis laceſſiturum; ac vanum terrorem belli in eum uſum tantùm ſpargi, quominùs Contributiones à Provincialibus terrefactis, faciliùs ſanciri exigiq; poſſent. Vbi præſtituta dies xxjv. Ianuarij adeſt, Comitia Generalia de more aperiuntur, Rege cum Senatu conſueto in Triclinio, Nuncijs in Stuba Equeſtri conſidentibus. Boni ominis fuit, per concordia ſuffragia, Directorem cætûs unanimiter elegiſſe, alterna vice ad Lithuanicos recidente: ex quibus Andreas Kotowicz, Campeſtris Mag: Duc: Notarius, ad moderanda ejus Ordinis conſilia, conſenſu monſtratus, nec improbante Aula admotus eſt. Hic poſt Propoſitionem à Trono factam, expeditaq; Senatûs vota, urſêre, non ſine zelo Nuntij, uti vacantia (ut vocant) morte poſſeſſorum beneficia Reip:, ad diſpoſitionem Regiam devoluta, diſtribuerentur. Non iniquo poſtulato, quod præſcriptum, ſic diſponentis Legis fulciret; annuere Rex oſtendit; ſpecificando à Trono de cognomine, cui quæq; dignitas collata eſſet. Ac primo Archiepiſcopatus Gneznenſis, Nicolao Prazmowski, Majoris Sigilli Præſidi: poſt hunc Luceorienſis Epiſcopatus, Thomæ Lezynski; Chelmenſis, Stanislao Swięćicki; Palatinatus Cracovienſis, Enſifero Regni Zebrzydovio; Suprema regundi Exercitûs clava, Illſtr: Regni Mareſchallo Sobieſcio; Campeſtris, Demetrio Wiśniowiecki, Palatino tunc Belzenſi; clava Li-

Vacātium Diſtributio.

1667. thuanica Major cum Palatinatu Wilnenſi, poſt Sapieham, Pacio; Sigillum Reg: majus ex gradu procedendi ad Ioannem Leſzczynski, devolutum ſpectabat; minori commiſſo Andreæ Olſzowski epiſcopo tunc Culmenſi, idq; magis ex perſpectata indolis probitate, & idoneis ei muneri qualitatibus, quàm ut nimium ambire oſtenderet. Alijs alia, collata ſunt. Prazmovij tamen ad Primitialem Tyaram evectio ſiniſtro rumore fuit, ex antecedenti invidis inferentibus. Etenim ſi Miniſter ac Cuſtos Legum, tantùm ſibi licere arbitratus eſt, ut per externas factiones, imò & pernicioſa ab intra conſilia, tranquillitatem Regni convulſerit? quid demùm ubi Princeps Senatûs factus, etiam dato caſu ſub Interregno Prorex, promptam in ancipitia indolem laxaverit? illo ſuaſore toties ſepulta Electio revixit? illo conſultore ad abominabilem Civilis ſanguinis profuſionem deſcenſum? qui etiam nunc intenti ſui pervicax, eundem lapidem turbulentus movere haud deſiſtat. Talia paſsim quâ ſcriptis, quâ ſermonibus jactata, nullo prætextu, ſumma invidia; pleniſsimo arbitrio penes Regem manente, conferre cui vellet, & beneplacito Supremæ poteſtatis irretractabili. Ne tamen ſine vexa abiret, per indirectum Nuntij petiêre, quatenus S. Michaëlis in Arce Cracov: Præpoſitura, quam cum Archiepiſcopatu, uti incompatibilem tenere non poſſet, pro vacanti declararetur. Diu ſe in adverſos tuebatur ille, allegans exempla, non tantùm beneficia minora, ſed etiam Præſulatum Cracovienſem Petro Gamrato Archiepiſcatui adjectum: quominùs Sacri Ordinis autoritatem Primicerius Regni ex condigno tractaret. Nunc ſibi qui privatas opes, imò fractam valetudinem bono publico impendiſſet, exiles unius Præſtimonij reditus negari. Quæ aliquantùm diſceptatio tenuit, demùm per receſſum à prætenſione ſopita eſt, nunquam modeſtiore prætendente, quàm cum pro commodis ſuis loqueretur.

In Prazmovium publica invidia.

Et fremitq; pro pluralitate beneficiorum.

His Conſiliorum amotis offendiculis, ad majora verſæ curæ. Tractatûs præcipuè Łęgonicenſis ratificationem, quam & Ordines concorditer, ſed vel maximè Nuntij ab Exercitu unicè poſtularent. Neq; Diploma Regium Electionem in ſolidum expunxerat, eò malo rursùs pullulante; velut de ebulo agricolæ narrant, qui nequaquam ſtirpitùs evelli, vel in totum eradicari poſſet. Iam Reginam Ludovicam vigor animi, jam graveſcens in dies valetudo corporis deſerebat, non tamen propoſiti tenax priores conatus abdicare valuit, Neptis ſcilicet ad Tronum promovendæ conſilia agitando; & velut palma ſub pondere, ad coortas undiq; difficultates viriliter aſſurgendo. Patebant intima penetralia, licet ægræ adeuntibus, miſcebantur ad lectum diſcurſus, formabantur rationes, imo diſsimulata

Tractatus Łęgonicēſis approbatur.

Lud: Reg: pro Electione conatus.

1667. mulata vi morbi, ſe ad feneſtram Periſtylij quandoq; deferri jubebat, per ſe demùm inſpectura, quid pro cauſa, quid contra ageretur. Hinc & Ordinibus grave, tam pertinaci ſtudio legibus adverſari, & Regi permoleſtum, ne pernegatis, quæ illa valdè vellet, nova animi diſtractione imbecilla valetudo ægræ, turbaretur. Pro comperto fuit, ubi in exequendis intentis non operam modò, ſed & ſpem conſumpſiſſet, hùc vertiſſe curas, ut ſaltem conſcios moliminis ab impetitione popularium protegeret, & ſuam ipſius famam maculoſa Syngrapharum requiſitione, apud Exteros tueretur. Vnde congreſſus illi & arcana conſilia, nullo ſanitatis reſpectu jugiter agitata ideo; ut videns & aſpecta Majeſtas, flagrantiora Nuntiorum pro libertate ſtudia mitigaret. Verùm his profecit parùm, ut non magis affudiſſe oleum igni videretur. Quippe iſti liberas pro Rep: voces, in trutinam vocari ægrè ferentes, iterùm in ſcripta illa externis Principibus data acerrimè invehebantur, hic & nunc judicandos qui ſubſcripſiſſent, imò pro hoſtibus Patriæ declarandos cenſentes. Repugnabant ſententijs alij; ſupprimendum non excitandum ignem clamitantes, & ubi nocere Crabrones nequeunt, non irritandos. Vnde inter controverſos, ad eam verborum licentiam deventum erat, ut jurgari non ſecum tantùm, ſed etiam cum Principe haud erubeſcerent. Siquidem Petrus Ozga Succamerarius Leopolienſis, columbina vir facie, & planè decrepitus; ſed lingua aculeata, accepta dicendi venia protulerat. *Se quidem penitùs ignorare, in quem uſum prolixis circumlocutionibus in materia Statûs occupemur? Si problematicè tantùm diſputare de rebus liceat? & definitas in conclavi Sac Reginalis Mai: ſanctiones, pro certiſſima ac fundamentali Lege accipere neceſſum ſit?* Ad quæ Rex vultu commotior, ex ſedili conſurgens. *(Mentiris inquit)* cui ex abrupto Ozga. *Etiam Kazimirſcio, Stephanus Rex ſimili ſcommate, mentiris improperavit, ſed reſponſum tulit. Non ſum nebulo, ſed Electorr Regum & detruſor Tyrannorum.* Facili apodoſi, quid eô allegatô vellet garullus ſenex, & eo tantùm excuſabilis, quòd pro vocis libertate ſervili probo laceſsitus, in ſimili caſu, alieno dicterio reſpondiſſet. Cùm tamen aliquis gruibus lemma ex vero apponeret. *Tuta contra potentes ſilentia.* Certè Rex haud celata offenſa, conclavi Senatorio abierat, in ſequentem diem rejecta ſeſsione.

Hinc motus conſurgit.

Ozga Aulæ perſtringit.

Nec moderatiùs alia conſilia procedebant, ſuccenſente Rege ob verborum licentiam; & Nuntijs Ordinis ſui levipendium ægrè ferentibus: præſertim cùm Aulicorum non nemo, ſtramineas illas Inſtructiones Provinciarum, vocare auſus eſſet. Pungebat præterea irritatos vehementer, quòd in Vniverſalibus Regijs ad Provin-

Graves inter Status diſſidētia.

1667. cias datis, mordaci ſtylo Nuntiorum Terreſtrium poteſtas perſtringeretur. Imputabantur iſtis motuûm internorum cauſæ; diffidentiarum inter Status occaſio; bellorum cum Externis impeditio; deſolatio Patriæ; quaterna Comitiorum ruptura; ubi poteſtate Tribunitia abuſi, vel ob turpem quæſtum alieno ambitui famulantur, vel ſua ipſorum commoda promoventes, ope & conſilio deſtitutam Rempublicam periculis proderent indefenſam. Talia ægerrimè ferentes (ut ferè difficile eſt ſilere, cùm doleas) de Equeſtris Ordinis Libertatum reſtrictione, quod novitatem aliquam non obſcurè ſaperet, querebantur: etſi non deforent, qui ſilentio tranſmittendos cenſerent ſtyli Aulici aculeos, quorum acrimonia ab imaginantibus ſentiretur tantùm, exoleſcat ubi contemnitur. Certè præ alijs, Palatinatus Sandomirienſis palmam tulit prudentiæ & æquanimitatis. is ſiquidem in Inſtructione Nuntijs ſuis data, ad invectivam illam Cancellariæ, his formalibus modeſtè reſpondebat. *Vetandine Iura? an licentia in vetita nitendi, horum quibus premimur malorum cauſa ſit? potentiſſimus ille rerum Arbiter, qui propter miſeriam inopum & gemitum pauperum exſurrecturus eſt, lepram à lepra diſcernet, & unicam noſtram, non tantùm de laqueo venantium eripere potis, ſed inſuper Vicariam ſui in Terris poteſtatem, id eſt Sacram Regiam Majeſtatem, Furiarum faucibus in nomen Polonum, & avitos mores hiantibus ad petram alliſis, Herculeis lacertis ſublevabit, & bifrontis Iani circumſpectione, in avito Solio confirmare dignabitur.* Ea folio Inſtructionis inſcripta, coram Majeſtate in facie totius Reipub: legi voluerunt. Nec diſsimilis alijs Palatinatibus ſenſus, ſi modò par pro libertate zelus, cum debitâ Majeſtatis reverentiâ conjunctus fuiſſet.

Sandomirienſis Palatinatûs æquanimitas.

Sic Conſilia publica, velut impacta in ſcopulos navis, ægrè le expediebant. Præcipuâ temporis jacturâ, dum diverſa proponuntur, & impertinentium materiarum intruſione, multa diſſertando, nihil definitivè concluditur. Quia tamen nuperæ offenſæ Princeps, velut immemorem ſe oſtendit; etiam Nuntij benignitatis Regiæ reſpectu, ſenſim ad diſceptandas materias inclinabant. Sancita fuit repartitio Exercitûs, inter Palatinatus recipiendi; quominùs ex æquo & juſto diſpertitæ Legiones, quæq; apud aſsignatam Provinciam debita ſtipendia repeterent. Fiſcus ratiocinia & aſsignationes debitorum expediret, pecuniæ militi per Provincias ſolverentur. Eadem ratio diſtribuendorum Hybernorum eſſet. Mox & Tractatus Łęgonicenſis, per Legem approbatur: facili in præmiſsis concordia, ubi jam obicem illum Reſtitutionis Exulis, miſertum diſsidij inextricabilis Numen, amoviſſet. Materia dehinc ſopiendorum ab hoſtibus

Leges ſancita.

1667. ſtibus externis periculorum, reſumpta occurrebat; potiſsima de bello Turcico deliberatione, cujus in Poloniam movendi, ante ipſum diſcrimen terror, alijs perculſis, alijs incredulis, obijciebatur. Tempeſtatem avertere, vel ſaltem remorari, miſſa protinùs Legatione viſum: veterum ac recentium Pactorum commonito Ottomanno, ac prolixiùs oſtenſuro Legato, nequaquam per Poloniam ſtare, inſolentiam Roxolanæ plebis, in pontum Euxinum incurrentis: unde Turcici Imperij confinia læderentur. Iam in proclivi erat, ut adæquatæ pro nervo belli indicerentur Contributiones; cùm promiſſum Ioanni Leſzczynio Sigillum Majus, imò ex gradu procedendi debitum, denuò Comitia diſtinuit, fatali aliqua rerum inclinatione, ut ipſi ſublata una, alteram diſcordiæ cauſam quæreremus; ac velut vento impulſi fluctus, unus alterum trudit, ſic nos vix ſepultos cineribus diffidentiarum ignes, in iteratam inquietudinis flammam, rursùs ſuſcitaremus. Mox quippe extulêre animos plerique; Nuntiorum, qui eas propoſitiones in effectum & legem deduci poſtularent. Primò ad tollendam inter Status diffidentiam, ſeu animorum ſciſsionem, quam aliqui perniciosè inter Concives alerent; uti Ordo Equeſtris, Colloquium peculiare, ſemotâ Majeſtate, cum Senatu haberet, ibiq; perquiſitâ causâ efficiente, de remedijs provideretur. Secundò, haberetur quæſtio, ac inveſtigarentur Complices, qui ab Monarchis Extraneis Titulorum crepundia, vel in parato penſiones acciperent; & obligatam Patriæ fidem, auro nundinarentur. Inſuper diſquireretur ſolicitè, quibus autoribus coaluit, cùm Regno Galliæ arcanus aliquis Contractus, pro ſubmittendis Poloniæ auxilijs: quem jam poſt Łęgonicenſem concordiam initum aſſerebant: utq; ablegati externorum, factionibus & turbis, in Republ: inſtinctu ſuo fomitem ſubdentes, ac pernicioſis novitatibus Statum Regni perturbantes, protinùs ab Aula faceſſerent. Idq; abſolutè ex vi Inſtructionum urgebant; omnes Reſidentes protinùs ab Aula relegãdos. Quod ſi incoceſsibile foret, uti facta in continenti Manifeſtatione, à quibuſvis Reip: conſilijs Nuntij recederent, ulteriorem tractãdi materias activitatem, abrũpentes. Quæ verò ea (quærere liceat?) Nuntiorum culpa, ſi audaciùs nomine eorum, à quibus miſsi mãdata exponunt? ſi ex præſcripto datæ Inſtructionis, pro jure vetandi, aut libertate vocis intercedunt? iſti ex commiſſo agentes, peracribus ſcriptis percellendi? & in odium ac indignationem Majeſtatis trudendi? donec placita Aulæ ſilentio approbent, ac velut muti canes, ad objectam offam fidei datæ obliti, aut Circes poculo in alios transformati, Patriæ & ſui obliviſcerentur? Adversùm talia, quo objectâ machinâ retuſâ impetitio foret; exaggerabantur belli Turcici

Ordines de bello Turcico deliberãt.

Iterùm ambitus turbat.

Nuntij colloquium cum Senatu expetunt.

Diggreſſio pro Nũtijs Terreſt.

Exaggeratio periculorum.

1667. Turcici præ foribus minæ, vulgato Czauzij Ottomanici cum denuntiatione hoſtilitatis Leopolim adventu; à Moſchis repudiata pace limiti Lithuanico bellum inferri; Scythas in Budziacenſibus Campis in procinctu ſtare; ditiones Regni invaſuros; Vkraynam ejurato obſequio in Clientelam Turcæ addici. Ergò ſatiùs paranda deſperatis rebus præſidia; militares delectus inſtituendos; de nervo belli & armorum progreſſum animante pecunia, ſtatuendum; externorum Principum ad imminentia prenſandum opitulum, & auxilia; non provocandam indignationem eſſe. Quorum Legatis ab Aula Polona contumeliosè dejectis, præter Iura Gentium & Polyticæ ſocietatis commercia violata, indignum fuerit, pro benevolentia injuriam, ac pro officio maleficium rependere: augendo eo tempore hoſtium Poloniæ numerum, quando vel maximè Amicitias, & neceſſarium ob tot impendentia diſcrimina ſuccurſum, conquiri oporteret. Sed nihil efficaciùs æſtum animorum in malaciam componebat, quàm Sigilli Majoris tantiſper in ſuſpenſo habiti declaratio; cùm tam Leſzczynius ſolito procedendi gradu dimoveri, quàm & Olſzovius tantiſper promiſsi muneris dubius diſtineri, propè injuriam ambo reputarent. Sed eæ tunc artes, & recepta in Aula tractandorum negotiorum praxis invaluerat, ut duo contortæ in adverſos machinæ parùm proficiunt, mox mutata velificatione, ubi ventis nequirent, ſaltem remis curſum proſequerentur. Tranſmitto reliqua, ſatiùs temporum iniquitati, quàm errato humano imputanda: ne cum nequam Filio nuditatem Patriæ revelare videar. Cùm tamen nunquam ſinceriùs, quàm in ſpeculo, devenuſtantes faciem nævos deprehendas: & hiſtoria ſimile diaphanum eſſe debeat, præteriti temporis exhibens teſtimonium, & præſentis cenſuram. Plura quid ijs Comitijs actum tranſactumvè fuerit, enarrare ſupervacuûm duco, abundè cunctis Legum volumine monſtraturo. Tum adulto Aprili finiêre Comitia, deſperato diu ſucceſſu agitata, demùm & concluſa ſunt. Adeo ſæpè cum injuria Superûm fata incuſamus, ob ſupervenientia queruli, cùm tamen ſi propiùs rem inſpicimus, malorum noſtrorum ex nobis cauſa ſit.

Quibus auxilia conquirenda eſſent.

Finitur Comitia.

Nec omiſerim, haud leve Comitijs acceſsiſſe turbamentum, exortâ lite poſt fata Ioannis Zamoyski Palatini Sandomirienſis, in negotio Ordinationis Zamoſcianæ; ubi extincta linea maſcula primi Ordinantis, Succeſſores ex lumbis, Michaël Dux Wiśniovecius, ac Stanislaus Koniecpolski Dolinenſis Præfectus, uterq; Zamoſciâ Palatini Germanâ ſorore genitus, ampliſsimam devolutionem ad ſe Iure Hæreditatis ſpectare prætenderent. Contra Martinus Zamoyski Caſtellanus Leopolienſis, cum collateralibus Zamoſcijs, Iuris ordinati

Ordinatio Zamoſciana.

dinati indemnitatem, ſibi ex ſtirpe procedendi debitam, acerrimè tueretur. Multa hic pro, & contra obtentui. Et quamvis ſecuros præſtaret Ordinatos, ſancitum Lege publica Ordinationis robur; non ideo tamen pars altera æquitatis prætextu caruit; jam bonorum poſt conditam ordinationem acquiſitorum ſeparatione, quæ Succeſſoribus merè competerent: jam ſubſequente primi ordinantis extrema voluntate, ſeu Codicillis, quibus teſtator ſequiori ſexui ex lumbis, meliùs proviſum volebat. Sed maximè in Wiśniovecium Ducem cunctos flectebat, vel paternorum meritorum memoria, vel præſens commiſeratio; uti qui ampliſsimarum ditionum in Vkrayna Dominus, unde vel juſtos Exercitus Parens ſuus pro Patria armabat, jam nunc exutus per bellum facultatibus, magni nominis, & exiguæ fortunæ hæres, haberetur. Aliquot Comitia, ea lis diſtracta tenuit, donec tandem ad amuſsim Legis dijudicata, Zamoſcius victor, Iudicio Reip: evaderet. Adeo ejuſmodi externorum appendices, ſimilem pomorum Gomorrhæorum naturam habent; quæ in ſpeciem oculos delectant, ſed guſtui nequaquam ſatisfaciunt. Sic exoticarum inventionum commenta, magis privatis ſerviunt, quàm publico,

1667.

Tandem terminatæ

Sub finem Comitiorum Varſaviam venit, Stanislaus Warſzycki Caſtellanus Cracovienſis; Senator tam ætate, quàm meritis in Patria edecumatus. Adjunxerat ſe is requiſitus, Nobilitati Cracovienſi, ſub anteactos motus; ubi qui Palatinatûs primarius Senator; idemq; avitarum libertatum cum popularibus inſimul aſſertor eſſet. Adhuc ſub Sigiſmundo III. in Senatum còóptatus, ejus Ordinis priorem ſe habebat neminem: nulla Regum munificentia, aut diſtributivæ juſtitiæ adminiculis, ſed partis innocenter opibus, & privatæ fortunæ peculio, dignitatem ampliſsimi Ordinis ſuſtinens. Non ille Lubomirſcio, vel privatis reſpectibus, vel neceſsitudinis obſtrictus, Comitem ſe, aut partis fautorem dederat, ſed melioris cauſæ ſtudio, & quominùs in promptu tranquillandi diſsidij mediator eſſet. Et jam planè effectum voti ſui nactus, ad mitiora Confœderatis ſuaſor erat, cum gravi ægritudine ex incommodis laboribuſq; Caſtrenſibus tentatus, refocillandæ valetudini Radomiam ſeceſsit: unde demùm Pilcam Hæredium ſuum deportatus, trimeſtri morbo, eoq; graviſsimo conflictabatur. Iam nunc inſtauratis aliquantum viribus, dum ſtatuminandæ apud Iaroſzynum concordiæ adeſſe nequit, ſaltem ut publicâ Lege firmandæ aſsiſteret, Varſaviam venit. Salutatum is in conclavi Regem facunda oratione allocutus, ab interveniente morbo ſe excuſavit; quòd poſteriùs alijs ſuam Majeſtatem deprecaretur, innuens; non ideo præcoces fructus majori æſtimandos,

Warßyccius Caſtellanus Cracovienſis Varſaviam venit.

Regem & Reginam ſalutat.

1667. mandos, quòd priùs germinarent: neq; ideo ſerotina poma damnanda, quòd durabiliora in hyemem provenirent. Certè Rex ſerena fronte ſuſcepit, ipſeq; ad conclavè Reginam viſitaturum duxit; incertum an mærorem ſuum, an finem malorum Poloniæ monſtraturus.

Reginæ Ludovicæ extrema.

Quippe brevi poſt Comitia, fati legem implevit, LVDOVICA MARIA POLONIÆ REGINA, nominatiſsima toto Europæo Orbe, ob inſignes animi dotes, ac ſoliditatem conſiliorum Hërois. Nata erat Carolo Gonzagâ, ac Catharinâ Lotaringâ Ducibus Niverniæ ac Retelliorum; Statu in Galliâ ſub Chriſtianiſsimi Regis auſpicijs conſtabilito; donec Vincentio Gonzaga, Mantuæ ac Montisferati Duce ſine liberis exiſtente, florentiſsimi per Italiam Dominatus Patruelis Carolus, à ſuperſtite Patruo hæres, & ſucceſſor diceretur. Et vetuſtatem Gonzagarum ſtirpis hiſtoriarum monumenta, ab Regibus Longobardorum deductam arceſſunt, quorum Regno in Italia per Carolum Magnum penitùs extincto, manſêre Regij ſanguinis reliquiæ, ac velut Fluviorum nonnulli ſubterraneo meatu aliquantùm prolapſi, ſupra humum torrentes effundunt; elementari via in mare decurſuri; ſic inclytarum ſtirpium propagines, viciſſitudine rerum in tempus oppreſſæ, iterùm emergi & ſoboleſcere palam eſt, ac poſtliminio priſtinam recipere claritudinem. Grandis quidem Carolo Nivernenſi pro Dominatu Mantuæ obtinendo controverſia; Ferdinando III. quatenùs Feudum Imperij Rom: Mantua eſſet, Ius inveſtituræ negante: contra Gonzagarum Stirpe, ex vi ſucceſsionis naturalis debitam ſibi devolutionem pervincente; donec (ut fermè Regum jus omne, in armis eſt) Imperator cauſam cum toto effectu ad ſe evocaret; & niſi prætendens ſupremæ autoritati paret, vim renuntiaret: hic rursùs oppoſito Ludovici XIII. Galliarum Regis patrocinio, pro Vaſallo & Fiduciario Principe fretus, haud remiſſas manus vindicandæ Succeſsioni oſtentaret. Attamen in Ducatu illo confirmatus Carolus exſtitit; valido fultus ſuffragio, per Eleonoram, ex eadem Gonzagarum Domo, Imp: Ferdinando in Conjugem deſponſatam. Palæologorum quin etiam Stemma, Gonzagæ inter Inſignia præferunt, penes quos exactis ſæculis, ſub nomine Græcanici Imperij, Orientis Dominium fuit: quibus poſthac & Monferratenſis Ducatûs, Mantuano amplitudine ſuppar, per devolutionem acceſsit. Cæterùm congenita Stirpi Gonzagarum armorum gloria eſt, & per varias gentes bellaque, Imperatoriarum artium commendata dexteritas. Quos tamen virorum laudes æquavit, ſi non anteivit Ludovica; quæ Imperio Orbis nata, præclariſsimas animi dotes in Poloniam intulit. ſi modum & affectum, in illa capaciſsimi ingenij vaſtitate, tenere ſciviſſet.

Ex Gonzagarũ ſtirpe ea.

Quibo pro Mantua controverſia eſt.

Ludovicæ Reg: animi dotes.

Brevi

Brevi conſortio, & nullis ex Vladisladio IV. Liberis, Vidua, iterùm Succeſſori Troni Caſimiro in manum convenit, Sede Apoſtolicâ boni publici causâ, cum Fratria Nuptias diſpenſante: nec Polonis bello Scythico, Coſaco occupatis, abnuentibus, ac Reginam habere, quàm quæſiſſe mallentibus. Inerat Majeſtas oris, & eximia formæ junioribus annis venuſtas; ingenium acre, conſilium ſolidum, tamq; penetrativæ intellectûs facultates, ut ex prmo accedentium ſermone, & aſpectu, non ſolùm quid petiturus aliquis eſſet? ſed & internas animi qualitates conjecturaliter denuntiaret. Hinc habita pro magni conſilij Angelo, & quæ virilibus curis accincta ſemper, ſed præcipuè bello Suetico manum ad fortia miſit, ſingularis militarium virorum fautrix, ut planè Parens Legionum appellaretur. Magnanima ubiq;, & ſublimi indole, vel ſexu naturam fallente, vel natura mentita ſexum, ut niſi puerperia oſtendiſſent Matrem, Achillem ſub flammeo pleriq; crederent. Famæ integritas præſtò fuit, & cui non facilè alium nævum objeceris, præter irrequietos excelſi animi motus, & novorum appetitum. Ea tamen tolerabilia, vel ſaltem excuſanda, amore in Neptem, & Contribules Gallos inclinatione; ob natalis ſoli reſpectum: denique in Polònos haud iniqua cenſeri potuit, perſtante opinione, beneficium in procurata Electione dari; quòd illi contra ſuaſi pro gravamine acciperent. In eo demùm conatu ad extrema vitæ perſtitiſſe immotam certum eſt. vel quod fæmina quidquid vult valdè vult; vel diſpendium exiſtimationis & famæ verita, ne vanitatis, & nullo ſucceſſu promotorum conſiliorum fabricatrix argueretur. Vnde ex punctis per Comitia, quibuſvis in materia Electionis ſcriptis, dicitur tantum dolorem animi concepiſſe, ut ex ardore æſtuantis bilis, per nares profluente ſanguine debilitata, gravi ſymptomate affligeretur; quo demùm extincta eſt. Et admoti valetudini Archiatri, ſpem vitæ diuturnioris faciebant, deſperantes ipſi; donec Adrianus Pikarski, è Societate IESV, Regius Eccleſiaſtes, ægram fidentiùs accedens, neceſsitatem diſponendæ ad extrema conſcientiæ, de imminente Fato obnuntiaret. Nec in eo termino defuit ſueta Ludovicæ animi firmitudo, dum quærit ex aſtantibus, ecquid ad vitam maneret ſpei reliquum? verùm blandientibus iſtis, ſibi ipſa memoriam mortis inculcat, tranſitoriam mundi vanitatem aſſerit, deniq; fidelem in extrenis Amicum (Confeſſarium) qui ad meliorem Patriam ituram diſponeret, accerſi mandat. Hic jam ſibi reddita, & omnes animæ rationalis facultates in deliberationem vocans, ſublatis manibus, commonenti voluntatis Divinæ Sacerdoti, parendum eſſe reſpondet. ERGO MORIENDVM. Hæc ultima morituræ verba fuêre ad aſtan-

1667.

Etiam nævi ex novarum appetitu.

Electione vel maximè.

Admonetur extrema adeſſe.

Ultima morituræ verba.

1667. tes prolata, donec Christiano ritu expiata Sacramentis, in prima principia resolveretur. Vltimæ voluntatis Codicillos in ante confecerat, curâ in effectum deducendorum in Maritum Regem transcriptâ. Peramplas eleëmosynas in pauperes erogare solita: Bizantij ac in Perside, Soc: IESV suis sumptibus aluisse scribitur; quod magis compertum in orphanas fæmellas, quæ lanæ faciendæ artificio imbuerentur, conditis ephebijs larga. Pestilentia quinetiam affectis succurrebat, erigendo in locis affectis Lazareta, seu reclinatoria; ac eo malo afflatos ne contagione nocerent stipe & commeatu providendo. Pluribus illa (potissimè in Aula desiderium sui reliquit) haud pari faventis populi affectu obiens, solita popularis auræ inconstantia. Moniales Gallas ab Annuntiatione dictas; etiam Præsbyteros Missionis, Varsaviæ fundavit. Vtroq; instituto à Gallijs traducto, etiam totum Regnum in Coloniam Gallis oblatura, si potuisset. Decurrebat annum quintum supra quinquagesimum; Toro & Trono Regio admota; decessit è vivis, quarto Calendas Maij; ut qui hilaritatis mensis, idemq; reparandæ valetudini conducibilis, jam Poloniarum Reginæ fatalis, & sepulchri apertilis fieret.

Bona opera.

Obitus in Maio.

Ludovicam Reginam, ut pleriq; è Senatu in viam universæ carnis, tanquam anteambulones præivêre, etiam reperti qui prægressam Majestatem, honoris causâ comitarentur. Inter alios Michaël Zebrzydowski, nuper Minoris Poloniæ Generalis, & Præfectus Cracovienſis; recens Palatinatu ejusdem Provinciæ, post Potocium Ducem insignitus. Quâ tamen curuli unâ ex potioribus Regni, tantisper donec finiuntur Comitia gavisus est. Avum habuit Nicolaum Zebrzydowski, itidem Palatinum & Præfectum Cracovienſem; qui initio currentis seculi sub prætextu Legum, Rokoszyani motûs in Sigismundum III. autor extitit. Eximiarum qualitatum Senator, nisi improvida cum Majestate contentione, magnas virtutes nimio libertatis zelo deleviset. Nec Michaël Nepos indole degeneravit, animo ad omnia promptus, corpore ob invaletudinem infirmiore. Quod mirum, xvj. liberorum ex Stadnicia Conjuge parens, Hæræde ac Successore masculo caruit, in eâ fœcunditate raptis præmaturo fato prolibus, & in geminas tantùm Filias devoluta Domûs Zebrzydovianæ hæreditate: quarum natu Majorem, Carolo Duci in Klewan Czartoryski Parens nuptui dedit; minor altera casuali ictu bombardæ, per fenestram ad lumen ejaculatæ enormiter læsa, post modum Ioanni Opalinski Regni Dapifero locata, improlis decessit. Domo Zebrzydoviorum de Regno hoc perbenè merita, in Michaële ecclipsim Familiæ passa. Etsi à collaterali

Mors Zebrzydovij Pal. Cruc.

1667. laterali ramo procedant alij superstites, cùm tamen priores à Zebrzydovice, isti à Wiecborg lineam Domûs denotarent. Moderno producta in senium vita, perpetuum martyrium, & lectus carcer fuit. Decumbenti tamen præstò aderant amici, quos ille prudentissimum quemq; pignorando, singulari cultu & liberalitate devinciebat. Præcipua amicitia in Stanislaum Sczucki, Iudicem Terrestrem Sandomirienſem, præclarâ indole viri, & obitis integerrimè pro Rep: functionibus, commendatum. Plures quinetiam ad se vocabat, ut quemq; egregijs artibus præcellere inaudisset. Demùm crurifragæ podagræ succumbens, in Arce sua Pieskowa Skała, quam sumptu non exiguo in regulatum munimentum erexerat, diem clausit extremum. Illi cum Mareschallo Lubomirscio, amitino Fratre licet, perpetuæ intercedebant simultates; ac cùm proximus sanguis connecteret, antipathiâ aliquâ animos disjungente. Tumulum sortitus Calvariæ, loco ob memoriam Passionis Dominicæ celebri; cujus Fundator Nicolaus Avus moderni, ibidem quoq; pro stirpe sua sepulchrum designaverat Successoribus.

Simultates inter Consobrinos.

Morte Reginæ, quanquam plurium ærumnarum sensu, perculsus Rex Casimirus, quæ velut uno alveo undiq; influerent, peracerbum dolorem ex Conjugis carissimæ obitu monstravit: cum quâ ille concorditer vivens, utramq; fortunam tenerrimo animi sensu partiebatur. Vnde haud obscurè colligi poterant, ex vultu mæroris indicia; dum teneriùs dilectam luctu prosequitur. etsi enim & vir & Rex esset, non ideò tamen exuebat hominem, vel mutui affectûs ratione, qui semel impressus, tardè inter Conjuges deponitur: vel virtutum memoriâ, quarum adminiculo suffultum se in tot periculis probè meminerat. Nunc alterâ manu orbum, ac velut Palladium eremptum sibi, unde salubrium consiliorum oracula, tanquam è Tripode provenirent. Neq; minùs exulcerabat mærentem, posthumam Reginæ famam, etiam post fata scriptis dictisq; malevolorum traduci, & migrationem ex seculo sequioribus rumoribus lacerari. Evenerat quippe, ut Palatinatus Sandomirienſis, habito tunc Conventu Opatoviæ, è gremio sui ad Regem Nuntios mitteret, qui ut ferè dulce dolenti populus mærentium, de amissæ Conjugis orbitate per Officium solarentur: simul pleraq; in adjuncto ferentes, super quibus donec responsum datur, dum nocte concubia vico Senatorio ad hospitium remeant, & prælucentibus funalibus, junctim bini longo ordine tendunt, (uno intermedio albicantem penulam induto) cum ex Arce, etiam contiguis Ædibus prospicientes, ad insuetum sub intempestam noctem spectaculum, malè dispecta scæna, aut delusis insomnio oculis, Apocalypsim aliquam

Casimiri mæror ex morte Ludovicæ.

Causa mæroris ex accidenti.

1667. quam aut revelationem arbitrati, rumori occaſionem præbuêre; ut poſtera luce, agmen illud pullatum, pro infernalium ſpirituûm caterva, animam defunctæ pœnis æternis torquendam deducente, importuniſsima vanitate vulgarent. Adeoq; is rumor, quò magis vetitus, increbreſcebat, ut vel è ſacris Pulpitis falſa relatio, coargui debuerit. Inſuper ægritudo corporis ſub hæc augebatur Regi, cùm in pede enatus eryſipelas eum corripuerit: cùmq; Medici ex liquidis fomenta adhibuiſſent; dolor aſperatus eſt: ac eo rursùs ſedato recrudeſcebant iterùm articularis morbi ſymptomata; ijs compedibus vel ipſo cælo moram pedibus inijciente, ut Rex longinqui itineris meditamenta, jam tum ad animum admiſſa, prorsùs ſeponeret. Quidquid tamen ſupererat temporis, vel poſtpoſita ſanitate, publicis curis impendebat: jam contracto à teneris irremiſſæ activitatis habitu, omnemq; vel neceſſariam quietem, turpi imputans otio, & planè dedignatus.

Etiam ex morbo.

Et tunc quidem obiter finitis Comitijs, quæ hic concludi nequiverant, inſtituto poſt Comitiali Senatûs Conſilio decernenda Rex voluit. Vnde pleriq; Procerum retenti Varſaviæ, cum quibus de rationibus belli, ac amandandis contra hoſtem Ducibus deliberaret, quæ utraq; bello gerendo neceſſaria, levi pede Comitia tranſmiſiſſent. Præ alijs tamen remorari bellum visa anguſtia Ærarij, prætendentibus Admiſtris Fiſci defectum: poſtquam in Comitijs Tabulas expenſorum ſufficienter deduxiſſent. Incuſabat præterea Theſaurarius Regni (ita enim appellari mos) detrimentoſam muneri ſuo Exercitûs Repartitionem, ubi ad Palatinatus translatum manet ſtipendia exſolvendi officium. Extingui eo facto (ajebat) nomen Ærarij, obliterati Theſauri functionem, ſeq; Privilegiatum Regni Miniſtrum contra inſtituta Legum, ſpoliatum activitate ſua: in Senatu Regni velùt pictum manſurum, titulo tenus Fiſci adminiſtrum agendo, æra publica incompetenter alijs, imò & injuriosè tractantibus. Accedebat querelis & Campeſtris Nuntius, cui ex luſtro Legionum multum decederet ad alios translatæ autoritatis; inſtitutis per Palatinatus Commiſſarijs: qui tam peragendi Diribitoria Legionum, quàm exſolvendis militi parato ære quartualibus, operam impenderent. Sed vanos quæſtus eludebant irrevocabilia Comitiorum ſancita, & privati obventûs gratiâ inſtitutæ querimoniæ. Non levi tamen emanante incommodo; quippe dum requirit Rex, uti contracto in fidem publicam ære, mox ex proximis exactionibus perſolvendo, præſenti neceſsitati in ſumptus belli ſuccurreretur: reſponderant Fiſcales, fidem publicam, & nomen crediti in mutûum ſumendi, jam apud ſe evanuiſſe, ad eos translatum, quibus diſpenſandæ pecuniæ commiſſæ manent.

Poſt Comitiale Sen: Cõſultum.

Contra Repartionẽ Querelæ Fiſci.

Et incommoda ex negato Mutuo.

Subin-

1667. Subinde de expediẽdo in Vkraynam Exercitu actum eſt, adeo longè diverſis inter ſe conjunctiſsimis Elemẽtis, ut nec cõmode geri bellũ ſine pecuniâ, nec juſtius pecunia, niſi in uſum belli corrogari poſsit. Eo ſiquidem rerum articulo, Status Regni in ancipiti poſitus erat, undiq; increſcẽtibus periculis ab extra, & impari repellendis ab intra potentia. Turca Chriſtianitati undecunq; infeſtiſsimꝰ, jam ſuo more denuntiaverat hoſtilitatem; Scythæ ſucceſſu Braiłoviẽſi ineſcati iteratam adornabant in ditiones Regni irruptionem; Moſchos initæ Pacis pertædebat; aliaq; jam humana abſumpſerant conſilia, cum ecce non deſunt ſupernæ providentiæ modi, quibus calamitoſum Regnum, ſinceri tamen cultûs ſui retinentiſsimum tueretur. Quid enim Reipublicæ ſalvum eſſe poterat? Rege morbis conflictato, & abitum peregrè deſtinante? Veteranis Ducibus ſublatis? rarefacto per mortalitatem Senatu? Quid integrum ſublatis Legionibus? exhauſto Ærario? & malè diſpoſitis Civium animis, etiam milite niſi protinùs ſtipendia ſolvuntur, obſequium detrectante? imò Amici deficiebant, nutabant Fœderati, ac ut quiſq; vicinorum cadente Quercu ligna colligere intendebat. Deus interim meliora! dum ſubminiſtrat opem & modum, quo uno poſt conſumptam ſpem, humanæ opis Regnum hoc relevari poſſet. Ea rerum in partem noſtram revolutio hinc provenit. Potocio Generali diem ultimum obeunte, commiſerat Rex Caſimirus ſupremum Exercitûs Regimen, Illuſtr: Ioanni Sobieski, Regni Mareſchallo; delata Campeſtri clava. Demetrio Wiśniovecio Palatino tunc Belzenſi. Et quamvis ex delato munere alacerimi Duces Imperium protinùs capeſſerent, ubi tamen altiori indagine periculorum moles perpenditur, haud iniqua ſubibat imminentium conſideratio. *Quæ vires? qui Exercitûs præſtò eſſent? immenſo illi Orientis robori obijciendi, hac ne exili manu horribilem trium Orbis partium potentiam, debellari poſſe credibile fuerit? & quá non jam uti ad Termopilas Lacones, ſed plano Campo Poloni, novum ſæculi Xerxem aggredientur? Hæccine non amplius decem millium Exercitûs deſtinata certiſſimæ morti victimá? objectu pectorum Turcis obicem ponet? aut præcipuas Orbis Monarchias avará ingluviè devorantem prædonem, pauxilla manus morabitur? Nonnè ſatius fuerit maturè emiſſis Reſtium Literis, evocare Nobilitatem, & univerſis viribus inſtituere defenſionem univerſi? ſed nos ligone in Solem armamur, Bizanty Tyrannum exili ſanè numero debellaturi, qui venatum prodiens, majori ſtipatorum numero, in veſtigandas feras circumdari ſoleat. Dulce quidem & decorum pro Patria mori, non tamen congruens rationi fuerit, exhauſtæ Reip: vires membratim præcidere: cum & Medici ubi imminutus in corpore humano ſanguis, phlebotomiam interdicant:*

Pericula undiq; ingruunt.

Vires deſunt humanæ.

Divina incipiunt.

Duces Exercitûs.

Polonici Exercitûs numerus.

1667. *dicant: & multò utilius sit unum servare Civem, quàm mille perdere hostes.* Certè à fato fuit, in eum incidisse Heröem, qui cælesti aliquo instinctu, ut contra Turcam, aliamq; Barbarorum colluviem experimentum armorum susciperet, sic quos posthac pluribus attritos prælijs, ferro castigabit; etiam fatali aliquo motivo, velut propria defensurus, sacerrimo bello pro gloria Crucis immoriretur. Siquidem Regni Mareschallus, susceptâ belli gerendi Provinciâ, longè quidem illâ difficilimâ, sed tantùm gloriæ quantùm periculi prægnante, ut se in tantam potentiam communiret, confestim munia Imperatoris capesit, ad opera Martis se accingens, ratus primum ad victoriam gradum esse, si celerirate hostem præveniret. Itaque apud Skwarzawa indicto Castris loco, Equestres Cohortes locat, Pedestres Legiones Oppidatim sparsas, evocat; Delectus in supplementum indicit; rem armamentariam recenset; vectores Machinis conducit; aliaq; ex usu præsenti. Etsi duo intervenientia non nihil distraherent, jam Campestris Ducis ob recentem morbum, quo occupatus à Castris absentia, tum quòd supra omnem molestiam acerbissimum erat, parcè admodùm nervum belli ex Ærario suppeditari; cùm tamen pecunia pro Civilibus turbis, aut exhibenda futilium spectaculorum pompa suppeteret; jam nunc ubi in Turcam aut Scythas pugnandum esset disparuisset. Sed nihil robustum pectus à proposito dimovere potuit, aut animi infregit firmitudinem, commendando in ævum Duce, qui se uno Exercitum supplens, & ex privato peculio in publicam necessitatem largus, inconcusso robori, vigilantiam & celeritatem adjunxerit. Ad hæc eo tractu quo hosti veniendum esset, dum amplissimæ ditiones suæ objacent, in ante jusserat annonam omnem in loca tutiora deportari, Incolas armari, Pignora subduci, ipse interim contractis undecunq; nominibus, & in mutuûm accepta pecunia, publicam indigentiam ubi opus sublevabat: impiger agendi, tam amore Patriæ, quàm innata promptitudine. Ita uno se tantùm in eam potentiam obice armatus, nec despondit animum in dubijs, nec omisit quidquam, quod fortitudo desideraret in adversis.

Sobiescius munia belli capessit.

Castra apud Skwarzawa.

Commeatuum provisus.

Studzianensis Imago.

De Imagine Studzianensi B. Virginis MARIÆ, ad Annum 1664. attigi: sed attigi tantùm perfunctoriè, ut revelata ac in solatium tot malis succumbenti Poloniæ divinitùs permissa; jam nunc dum AVRORA CONSVRGENS RADIOS beneficiorum promiscuè spargit, nube involvi & in obscuro ad tempus contineri necessum fuit: donec Divinitatis Splendoribus patefactis, planè & evidenter Spirituali Iurisdictioni constaret de miraculis, ac Signis, indubitatam Dexteræ Altissimi potentiam evincentibus. Adibatur interea

1667. Interea STVDZIANNA innumero visitantium concursu, ut unâ die quandoq; ultra xx. millia Convenarum numerari potuerint; quibus cùm nec diversoria nec commeatus sufficit, excitabant popolæ ex tempore casas ac tuguria, in quibus venum exponentes annonam, etiam præbebant convenis adversùs injurias. Cæli reclinatorium. Crebra inter hæc & promiscua in fideles à Deo beneficia hic proveniebant, & humanis miserijs indolentis Cæli favores. Vnde vicissim qui accepissent memores, per appensa vota, per datas in scripto syngraphas, aut supplicationes, gratitudinem acceptorum recognoscebant. Appendebantur in parietibus subaxilia, claudorum restituto gressu fulcra; captivitate solutorum compedes, visum recipientium donaria; aliaq; debitæ recognitionis monumenta: quæ aliquod Actuarios talia in publicas Tabulas referentes, non defatigabant modò, sed copia obruebant. Miraculorum itaq; latè sparsâ famâ, ne ardens populorum devotio, in Deiparam genti nostræ peculiaris sisteretur, instituta fuit per Subseliũ Spirituale Inquisitio, more in Ecclesia Catholica recepto, non priùs ejusmodi revelationibus aut miraculis adhibere fidem, donec ad Lydium Censuræ Orthodoxæ lapidem affricata, ac probè expensa fuerint. Si opinionem & sensum superant, si vires naturæ vincunt, & de plano productionem Entis ex nihilo monstrant, pro veris & indubitabilibus manus Excelsi operibus, censeri permittuntur: & nisi vis supra humanam eminet, aut extraordinaria Numinis potentia se prodit; aut impostura damnantur, aut etiam pro apocryphis in obscuro latent, vel in memoria hominum obsolescentes, vel recenti aliquo Taumate in lucem iterùm producendæ. Vnde etiam præsens Studzianensis Imago, intermisso aliquantum cultu in arcano latere debuit, donec commisso compluribus Sacri Ordinis Viforibus negotio de cultu Hyperduliæ tribuendo, planè decerneretur. His permotus Signis, Primas tunc Regni Prazmovius, personaliter locum accedens, Clero Diœcesano ac plurimis DD. Theologis astantibus, debito cultui Imaginem restituit, magnalia Dei professus, & à Tribunali ad Aram Divæ veniens, INCREATÆ TRIADI IN TRIADE CREATA. stupendorum miraculorum operatrici, Ambrosianum Hymnum concinere jussit. Edito priùs Decreto super præmissis, quòd ad informationem Lectoris inferere visum.

Miraculis illustratur qua.

Per Commissionem expendũtur.

Hyperduliæ decernitur.

Nos verò Nicolaus (Prazmowski omittebatur Cognomen) Archiepiscopus Gneznensis & Primas Regni, supra memoratus, visis & lectis depositionibus Testium juratorum, ijsq; matura deliberatione, una cum Theologis, Iurisperitis, Chirurgis insuper, diligenter examinatis, perpensis, & trutinatis; ex quibus quoniam notoriè constat, Miracula circa Ima-

Decretũ Primatis.

1667. *ca Imaginem Matris Dei, in Capella Studzianensi sitam, ultra naturæ cursum, ope supernaturali patrata esse: ut potè. Quod Mulier cæca per sexdecem Annos existens, in instanti visum receperit, & ex Capella sine ductore, gaudens domum redierit. Similiter & altera Mulier,*

Miracula recensentur. *articulum digiti abscissum, qui juxta cursum naturæ iterùm accrescere non potuit, in eodem loco de repentè restitutum vidit, & agnovit. Tum & Nobilis Vir N. N. cui vigor digitorum, per integram rescissionem venarum cessaverat, nec arte Chirurgica restitui posset; per intercessionem Virginis Sanctissimæ, ad hunc locum veniens, in instanti gratiam reportavit. Multiq; homines de longinquo venientes, famâ duntaxat loci sacri, & miraculorum quæ Deus misericors in dies patrat permoti, in suis necessitatibus consolationes, gratias, & salutaria Antidota recipiunt, prout id nulla tergiversatione celari potest. Ideo Christi nomine invocato pro Tribunali sedentes, solumq; Deum & ejus Justitiam tantùm, præ oculis habentes, ad laudem Omnipotentis DEI PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI, ad augendum cultum intemeratæ Virginis Matris Dei & Sancti Iosephi, tum quoq; ad solatium periclitantis Patriæ, & confugientium populorum, prædictam Imaginem Miraculosam fore & esse declaramus; publicæ fidelium Chri-*

Culto approbatur. *sti veneration exponimus, & ab omnibus Christi Fidelibus cultu Hyperdulia, Miraculosis Imaginibus exhiberi solito venerandam colendamq; decernimus, & pronuntiamus, Decreti præsentis vigore &c.* Quomodò verò locus iste Sacer, curâ & studio Illustr: Ioannis Zbaski, Episcopi Præmyślienſis fundatus dotatusvè fuerit: Substitutis in Ministerium Sacræ Imaginis, Clericis, seu Præsbyteris quos Congregationis Sancti Philippi Nerei vocant Ecclesiæ Studzianensis Erectio, ad quam postmodùm Sacra Icon translata est fusiùs obloquitur.

Subindè deportato Varsaviâ, Cracoviam Reginali busto & loculo, Rex Casimirus funerali Pompæ diem xxij. Septembris indixe-

Reginæ Ludov: Fung Cracov. rat; præmissumq; in ante qui necessaria funeri compararet, Ioannem Clementem Branicki, Curiæ Regni Maresc hallum, ipse demùm morbo & mærore lentus consequebatur. Confluebant interim frequentissimi Proceres, imò & Nobilitas passim; vix quemquam domesticis negotijs, aut rei familiaris curâ abstrahente: quominùs in urbem pergerent, non tantùm parentandi permoti officio, aut justorum persolvendorum causâ, sed magis dissieminata Regiæ Abdicationis famâ exciti; quàm subindè incerto autore contrarius rumor excuteret, deponendi Diadematis meditamenta mox iterato Regis Conjugio permutatum iri, ac succeſſurum luctui Hymenæum: ea semper rerum sublunarium vicissitudine, ut mæror gaudia occupet,

& ple-

& plerumq; ex fletu risus oriatur. Vbi destinata funeri dies, prodit in occursum innumera frequentissimi populi turba, deductura Reginales Exuvias, nigri super atria Vavelli: dumq; urna octijugo curru deportatur, tota Civitas sanè amplissima, feralibus collucet ignibus, mærorem omnes, etiam non addicti præferunt, & ut quisq; præsens, ad imitamenta publici luctûs se componit. Vbi verò immensa illa, apum uelut examina, vel procedendo morantur, vel rece- *De loco præcedēdi controversia.* dendo festinant, enata subitò de ordine pompæ controversia, nonnihil distinuit altercantes. Primum sibi locum Magistratus Vrbis, ante Professores Vniversitatis Cracovienſis vindicabat. ex eo, quòd illi idem Iuris & Primatûs sit in Civitate sua, quod in domo propriâ Patri-familias; cui cujuscunq; Statûs & dignitatis sunt Inquilini, nequaquam ante ponidebent; creditam Civibus murorum & Civitatis custodiam, hinc potiores Ovibus Pastores censeri; imò Senatum Vrbis, de Iure & usu Tutorem Vniversitatis agere, ubi sub pestilentiæ aut hostilitatis casu dilapsis Professoribus, Academia quæ & quanta est, in tutellam Magistratui resignatur. Opponebant ad hæc Academici, jam Privilegia Regum Poloniæ, jam receptum morem & usum, de primo loco Vniversitati tribuendo: quomodò enim bonarum artium Matrem, eamq; Regum alumnam, Publicanorum & Mechanicorum Principes præcedere audeant, sibi ipsis notam & ruborem inustaturi, ubi sub aspectum Majestatis, Sceptris Academiæ (quòd est insigne Regum) plebejos fasces, anteferri contendunt. Solvit demùm controversiam Curiæ Maresc hallus, pro muneris sui ratione decernens, quominùs Vniversitati primo loco Magistratus Ciuitatensis decederet; ob morem ex antiquo usurpatum, & consuetudines, quæ hîc vim legis de jure obtinent. Nec minor altera fuit. Gneznensis Ecclesiæ Canonicis, cum Cracovienſibus, itidem pro lo- *Similis altera Spiritualium.* co & ordine procedendi, litem moventibus; quatenùs Metropolitana Sedes, Præsulatui Cracovienſi anteiret. Negabant isti enixè, imò nec ad Ministerium Altaris admittendos censebant, ne in propria Ecclesia, velut ab officio amoti, & munijs Sacerdotij prorsùs inhabiles, cùm contumelia reijci viderentur. Aſt interventu Præsulum sopitum dissidium est; uti Gneznenſes à dextris, ab læva procederent Cracovienſes, utriq; alterna opera Altari ministraturi. Sacrum funebre peragebat Prazmovius Primas; Trzebicio Cracovi- *Quæ eadē sopita.* enſe Episcopo, ex gravi morbo decumbente. Defunctam laudavit disertissimo sermone Stephanus Wydzga, Episcopus Varmienſis: ejusdem Cancellarius; & is ubi competentibus ex debito encomijs, ut erat à facundia instructissimus, vivam extulerat; dictorum coronidem ijs concluſit verbis. *Et dissipatæ sunt omnes cogitationes ejus.*

1667. Martinus itidèm Winkler, Regius in Academia Cracov: Eloquentiæ Professor, dato in publicum Panegyrico, Heroidis virtutes celebravit; hocq; ei demùm ad posthumam memoriam accesit eximium, ut à pleriſq; vivens odio habita, insignes facundiâ Encomiastas, post fata sortiretur. altero paradoxo non minus considerabili, ut in Regimine varijs disturbijs agitata, sic ne in funere quidem satis concordes, qui parentarent habuit. Illata sepulchro, quod Conjux Rex biennio ante, ex opposito Iagielloniani Mausolæi, ingenti sumptu & operâ construxerat. Sic finijt MARIA LVDOVICA Regina, aliqui Filiam Liliorum vocabant, quibus ut ex terra origo, sic deciduo flore isto, in prima principia resolvi necessum fuit. Apud subjectos Populos magis in fama fuit, quàm amore, dum non quibus regnaret, sed unde esset, plus justo conterraneis suis obstrictam se ostendit. Sed nihil magis famæ obfuit, quàm mordicùs asserta vivente Principe ELECTIO. cui præcipuum afflictæ Poloniæ stamen, imò Privilegium miseriarum nostrarum in hanc diem debemus. Sed non ampliùs recoquenda cramben est, aut præteritarum ærumnarum sensus renovandus.

Encomiastæ Reg: Lud.

Malorũ Poloniæ Stamen.

Certè subjungi meretur, quod tunc aliquis sedulus rerum inspector annotavit. Regem Casimirum dum pedibus æger, prosequi funus nequit; Lapideam Romiszovij Can: Crac: angularem introijsse, unde ex eminenti pompam funeris accuratiùs inspiceret. Illùc spectavit immensum populi concursum; innumerabilem Cleri turbam; Familias Religiosas sub Labaro Crucis circumductas; varia quinetiam sacrarum Sodalitatum Contubernia: sed nihil æquè oculos advertit, quàm cætus Academici, suis cum Alumnis prodeuntis Vniversitas. Haud insolitum bellacis Principis oculo, armatam dispicere in Castris frequentiam; in acie phalanges; in conflictu densatas hostium turmas; ut non avidiùs spectaret, multiplicia illa atratorum Druidûm agmina, & sine numero è cerebro Iovis prodeuntem, sapientiæ prolem. Præibant Anteambulones, publici Academiæ servi, quos illi Bedellos nuncupant; barbati ambo, & Togis violaceis conspicui, aurata Sceptra Regium Vniversitatis Insigne, præferentes. Subsequebantur prolixo agmine Artium Licentiati; nigra omnes veste & colore, etiam extra luctûs tempora, convestiti. Sed non unâ omnibus amictus formâ, cum alij succinctis Palliolis, Laticlavijs, etiam pleriq; fluitantibus Togis induerentur. Istis dum pergunt, omnibus in ore silentium, & in vultu mœroris vestigia. Ea Classis ex Philosophiæ Professoribus constabat, Artisticæ Facultatis Decano, prægressam turbam gravi supercilio consequente. Ponè hos, Medicæ Professionis Archiatri; nam & isti ad cor-

Rex pompam funeris inspicit

Inter alia Alumnos Universitatis Crac.

In suas Classes distinctos.

pus Vni-

pus Vniversitatis pertinent, Pantherinis pellibus subsutas vestes induti procedebant; ut quam funeri eripere Reginam, per artis solertiam haud licuit, saltem luctu prosequerentur. Dehinc Iuris Consultorum cætus; subtilis alioquin scientiæ facultas, si modò illa, ut ambiguis responsis implicare lites solet, sic enucleata ad amussim veri indagine, ex æquo, non commodo, jus dicere vellet. Claudebat agmen scientiarum apex, suis cum Candidatis Theologia. Candidatis (inquam,) nam & albicantibus Mustellarum pellibus suffultâ pectore tenus amiculâ circumdederant, & venerabili canitie insignes viri, divinæ scientiæ sublimitatem, & innocentiam, vel ex pilo monstrabant. Ea Classium Academicarum dispositione, quæ humanorum votorum meta est: nam cum omnes scire, valere, jure vincere, etiam non extra bravium æternæ beatitudinis esse appetant; etiam humanæ scientiæ ad idem còóperari videantur; dum Philosophari, Mederi, Ius dicere, etiam Cælum ostendere pergunt. Hæc ex occasione funeris Reginalis. Cui etiam Poëtarum è grege non nemo, inscripserat Epicedium, condito ex literis. MARIA LVDOVICA anagrammate. IRA CLAVDO VIAM, adscripto Districho.

1667.

Iratos orat, Maria Ludovica Polonos:
Ira tibi claudo, jam moriendo viam.

Fæcialem Turcæ Czauzium, minas belli obnuntiantem, Leopoli detentum innui; donec in antecessum Rex, tam ea quæ bello gerendo, quàm expediendo Constantinopolim Legato necessaria, cum Senatu decerneret. Nihil quippe supererat ampliùs, nisi ut vel commemorata Pactorum cum Porta Ottomannica religione, iniquam hostilitatem amoliremur: vel si æquitas causæ non movet, demùm vim vi repellere contenderemus. Legatum destinaverat Rex, Hieronymum Radźieiowski, qui Procancellariatu Regni olim exactus, dum injuriæ ferendæ impar, & molestum exilium est; hostibus Poloniæ Suecis se addixerat. demùm conciliata Republica restitutus Patriæ, novis meritis, quæ jam transacta forent, reparare satagebat. Verùm ea destinatio, ne tunc quidem conticescentibus simultatibus arguebatur, eum Legatum in Turciam mitti, non ut externum bellum amoliretur, quàm magis ad novum vocaret, & incitaret Ottomannos: etiam quominùs ad Eligendum in Polonia Regnaturum, ab hoste Christianitatis armata Suffragia requirentur. Suspicioni fomitem præbente suspicione, quòd paucis tantùm è Senatu conscijs, ijsq; qui publico odio ob Electionem vapularent, Instructio Legato, clam conscripta; nec consensu & Iudicio Ordinum, ut moris, in Comitijs debitè examinata fuisset. Fateri hîc res ipsa

Legatio ad Turcam destinatur.

Poloni suspicionibus laborant.

1667. cogit, Polonos debito quidem in Reges ſuos affectu & cultu ferri adeo, ut vel umbram Regum ſuorum venerabilem putent; at nimiſquam ſuſpicionibus laborare, dum & recta intendentibus detrahunt, & ultimæ neceſsitatis conſilia ſiniſtrè interpretantur. Cauſam ab amore provenire crediderim, qui ſemper ſuſpicioſus; vel à Libertate, quæ uti & pupilla oculi, ne jocum quidem pati dicitur. Hinc vis omnis malevolentiæ in Primatem Prazmovium recidebat, ob Franciſcum Wyſocki, Dapiferum Sochaczovienſem, additum Legato Secretarium, ſine lare & poſſeſsione hominem, & qui per æqua & iniqua in familiaritatem Primatis irrepſiſſet. Sic increſcentibus ſimultatibus, nec odia minuebantur, aſperatis Subditorum animis, dum futura metuunt, vel præſentia oderunt: Rege viciſsim curas & moleſtiam regnandi ſenſim faſtidiente, & tædio ac pœnitudine ingratitudinis Civium, quomodò Diadema deponeret, meditante. Quin etiam facem odijs ſubdebat, ut ferè, acriùs leviora pungunt, honeſta alioquin & famæ integerrimæ Matrona, quæ ſe Aulico conſilio admovens propiùs, & dudum edocta, quâ arte quibuſve illicijs, Rex capi poſſet, penitùs ſe in animum Principis inſinuaverat: uti placitis obſequens, & nutui ſuadentis obnoxius, trahi ſe conſilijs ſequioribus pateretur. Quod prægrave Aulæ Miniſtris, præcipuè Vicecancellario Olſzovio, qui planè ingenuus, & realitate tantùm gratiam promereri ſciens, incompetenti ambitui in frontem obſtabat contra tendente Pacio, Lithuaniæ Cancellario, & Novitium Collegæ Magiſtratum infra ponente: quominùs juxta veteris Aulæ praxim, partes Matronæ aſſerendo, ſuam ipſius veteranus tueretur autoritatem. Hinc rara in negotijs publicis, inter Miniſtros concordia, & ingens publicæ rei detrimentum. Siquidem tertiò jam allapſus ab Exercitu Nuntius imminentium periculorum commonebat Regem, ſubmittenda auxilia requirens; quæ ſin minus ſuppeditari poſſent, at ſaltem ſuggereretur conſilium, quid in tam arduo caſu agendum foret? Duce non jam pro ſe aut Exercitu ſolicito, quorum utriq; in victimam Patriæ ſe devoverint, ſed pro conſervatione univerſi; ne tam vehemens, ditionibus Regni ſuperfuſum periculum, cuncta ſimul ineluctabili eluvio involveret. Sed conſilia poſt res afferebantur, & propè jam capto Sagunto, Roma de vindicando præpoſterè deliberabat.

Wyſocki Secretarius Legati.

Inter Miniſtros Aulæ diſſenſio

Pericula imminētia undiq;

Siquidem undiq; claſsicum perſtrepebat, ut minoris momenti querelæ vix obaudiri, aut ad ſenſum admitti poſſent. Ab Vkraynâ initium, ubi Petrus Doroſz Anteſignanus refractariæ plebis, vir in omne nefas projectiſsimus, fide & reverentiâ tam in legitimum Dominum, qui Rex Poloniæ eſt; quàm & aſcititium Moſchum repudiatâ,

Ab Vkraynâ.

1667. pudiatâ, cum oras illas & populos, in jugum ſervitutis Ottomannicæ devoviſſet, rebellia in Patriam arma vertebat: imminutas & diſtractas Polonorum vires haud metuens, ſi immensâ illa Orientis potentiâ protegeretur. Itidem Scythæ, dum Samuelem Kobylecki, à Rege Crimum Ablegatum vacuis manibus appuliſſe, nec promiſſa donaria expediri advertunt, ad iterandas in Regnum irruptiones accinguntur. Quæ ubi fida Exploratorum relatione cognita, Sobieſcius Regni Mareſchallus, & ipſe probè intelligens, quantum diſcriminis ob minùs adæquatas vires adiret, protinùs tam Cohortes per Edicta, quàm Proceres Tribunoſq; belli in conſortium pulcherrimi operis convocare literis haud deſtitit. Pars major iſtorum peregrè dilapſa, vel per officium Majeſtati aſsiſtebat, vel Reginali funere abſentiam excuſans aberat, cùm non expectato, donec in meditullium Poloniæ hoſtes devolant, motis Dux à Skwarzawa Caſtris, in confinio ac limite Regni, ſe eis objicere deſtinavit. Extra dubium in Vkraynam tendens; ubi à partibus ſtantes Coſacos vel erigeret præſentiâ, vel Rebelles opprimeret celeritate, etiam ex viſceribus Regni, Scythas in longinqua abducturus. Ad hæc Album Fanum, Korſunum Czechrynia, tum & pleraq; alia loca, impoſitis Præſidijs, à noſtris obtinebantur, & multi ex potioribus Coſacis, ad mentionem ſervitutis Turcicæ, à Popularibus facilè abſtrahi poterant, ubi arma Polonorum & ſubſidia in promptu conſpexiſſent. Nec incommodum videbatur, abductum eminùs Scytham, & longinquitate viarum laſſum, ab impetenda Polonia avertere: tunc demùm vel junctis cum Moſcho viribus facilius depellendum; vel ſi iſti abnuunt, quoquo modo ſaginato lupo, vel injecta donariorum offa tempus lucrifaciendo, eam tempeſtatem avertere. Et jam huic conſilio inſiſtendo, ad Zynkoviam penetraverat Exercitus, cum affertur octuaginta millia Scytharum, ſuperato Tyrâ, in intima Podoliæ, tripartitis agminibus involare; quorum primum apud Iagielnicam conſiſtens, alterum in Wolhyniam tenderet; tertium inſuper cum Soltan Gałga, primario Barbarorum Ductore, versùs Sniatynum deflectens, ſe in intima viſcera Regni, infundere minaretur. Ergò futuri intelligens Mareſchallus, Caſtra Camenecum versùs retrò movet, quidquid circumjecta plaga commeatuûm conquiri poſſet, ei Fortalitio inferre mandat; conſuetum præſidium, tam verbis de ſuccurſu ferendo certificat, quàm re ipſa numerum auget; immiſſa in Vrbem Epiſcopi Cracovienſis quingentorum Peditum ſub Kwaſnoborſcio Legato, Legione. Ipſe interim pergit adverſam hoſti frontem oſtenſurus, & vel objectu pectorum, viam ulteriorem in Regnum præcluſurus. Simul per Edicta moniti agreſtes, quominùs ſe cum pignoribus

Scythæ.

Quibus Mareſch: obviat.

Ad Zynkoviā penetrat.

Camenecia Præſidium auget.

1667. ribus in tutiora reciperent; quorum in Arcem Iagielniciæ aliqui convolantes se occluserant, ex circumjecto eâ plagâ incolatu, tam in defensionem Ductore, quàm in propugnandum armis destituti: attamen agrestes licet, nec ampliùs centum manualibus sclopis instructi, novem diebus insultus Scytharum sustinuêre, oppugnati; cùm interim supperet nostris tempus, commodiorem locum Castris deligere, eaq; ipsa firmare operibus. Nec extra usum fuit, refugos vicis incolas, intra Castra recipere, augendo in speciem Exercitui; etiam comportandæ annonæ opportunos: eâ siquidem raptim convectâ, ad novissimum hostilitatis Scythicæ punctum, non incommodè Exercitus sustentatus est.

Poloni retrò movêt. Itaq; Dux, consilijs jam in arena capiendis relictus, penetrante ab Cecora in Podoliam hoste, retrò flectere debuit: ac quo obvium sisteret, apud Podhayce Potocianum oppidum, fixis Castris *Ad Podhayce metantur.* metatur. quæ ubi vallo ac latiore fossâ, ad regulam artis permunita sunt, tunc adhibitis in Consilium militiæ Primoribus, protegendæ Patriæ modum, & inusitatam antehac sustinendi belli rationem, felici industriâ proponit: nimirùm ut si hostem ferro, & pectorum objectu arcere nequirent, at saltem rutris & dolabrâ eum, ab prædatorio ditionum Regni incursu cohibere possent. Plures è veteranis desperabant magis, quàm deliberabant, præsertim exilium virium conscij, vix xij. millibus Exercitus numero computabili: quàm tamen pauxillam manum in partes scindi, & disjungi Dux intenderet. Quippe Stanislaus Koniecpolski Dolinensis Præfectus, Tarnopoliam cum Legione sua amandatus; Czaplicki excubijs Castrensibus impositus Pokucensi oræ tuendæ dimittitur. Brzezany firmo *Dispartitis viribus.* præsidio communiuntur; Sielnicio Leopolienſi tractui attendere jusso. Andreas Modrzewski cum delectis in Polesiam Cohortibus ordinatus; ijs omnes mandatis instructi, quominùs intercluſis undecunq; passibus, apud Fortalitia, vel trajectus, Fluminum prædabundos Scythas carperent: reliquo Exercitu Castris incluso, & sic potissimum Scytharum robur distinente. Equidem constitit repertos, qui murmurarent, consilium usu salubre improbantes; etiam ex consultioribus, inter Contubernales aliqui differendo. *Hostem in procinctu adesse, universæ Tauricæ vires trahentem; quid ita copias divideret Dux atq; imminueret? cùm vel maximè augendæ forent? Duas manus in tutellam vitæ naturam concessisse, certè improvidè agimus, si ictum capitis avertendo, altera vacante, unam objicimus? unitam virtutem fortiorem esse nemo negaverit; quod si casus nos manet, in ea parùm consulta militis partitione, certè minore gloria & majore hostis solatio occubituros per partes; neq; morte dividendos, qui obstruendo*

1667. *endo hostium in Patriam aditui, condere vallum objectu pectorum enitterentur.* Verùm excludebat tempus, suetas discursuûm ambages, dum manu in præsens agere, & ferro loqui expediebat; ubi tamen constitit, non omnes consilij rationem capere; subipsos jam hostium incursus, comparens apud Principia Legionum Dux, militem ad fortiter agendum, talibus animasse memoratur. *Hostè ingruente Dux Legiones animat.* *Huc perventum est Commilitones, ut ultra progredi fortibus tantùm, & mortem contemnentibus permittatur: regredi aut fugere, ne ignavis quidem liceat? Advertitis sanè circumsitam oram ab incursu Scytharum, velut exundante amne superfundi; melius dicam flammis ac continenti incendio involvi? in oculis vestris barbaries hæc exacuit ferrum, quo jugulos nostros, etiam Vniversæ Patriæ præscindat. Hæc detestabilis Gens, cui nihil fas, nihil religiosum nisi quod utile; postquam contractæ cum Polonia societatis titulum, perfidè ruperit, jam ecce armata in nos involat, certè experimentum captura, an excusso turbulentiæ veterno ad se redierimus? vel an ij existamus Poloni, qui sæpius eadem serperastra ferro ad societatẽ ceciderimus? sed præstat agere, non sermocinari. Aspicerent se ante Signa Ducem, milites ipsi sub Signis monstrarent hosti vèros; non magis præter privatam injuriam cæsorum, è Gente sua Concivium in ultionem accensi, quàm liberandæ Patriæ desiderio stimulatis ne superfuso æstuantis Euxini Ponti refluxu, cataclysmus hic ad mare Balticum pertingat. Sed moror dum loquor. Duo vel maximè mentibus ac animis cunctorum obversari debent, mori aut vincere. Tertium penitus non datur. Ex victoriâ habituris præclarissimum, Deo dante, tranquillitatis Patriæ fructum, aut ex morte obita immortalis gloriæ præconium. Vtrumvis placet, seu pro Patria, seu pro gloria pugnare; Me me adsum vobis Dux Commilitones? si quibus mortem contemnere minus consultum, per me licet abeant, probroso fine in via concidendi. Perstio ego, & mecum unâ qui viri sunt in experimentum discriminis, & dum reprimimus Scythas, fastidium belli Turcis inducturi. Aderit à propitio cælo, pugnantibus victoria, virtute paranda non numero: nec magna unquam patrante Deo, nisi per parva; ubi & pusillus David Goliam sternit, & sæpe aspernabilis musca Leonem spelunca exigit.*

Scytharũ adventq; & numerus. In procinctu mox aderant Scythæ, quorum supra octoginta millia in Podoliam infusa, majorem Turcarum potentiam (ut famâ sparserat) prægrediebantur. Nec novum illis supra ducentorum mill: agmen in bella cogere; quòd ex Provincijs Tauricæ, Crymeæ, Perekopo, Budziakis, Nahaie, facilè armant: ex vicina quinetiam Colhide, Cirkassijs, Pietyhorcijs, tum alijs adsitis Ponto Euxino cubilibus. Primarium Ductorem agebat Szyrym Gierey Gałga, (vocabulum

1667. cabulum id denotat ſummam armorum apud illos Præfecturam) Koſſe ab aniculari vultûs forma nuncupatus. Aderat Noradinus alter; tum ex ſtirpe Giercia ſex aut ſeptem Sultani; præter innumeros Murzas, ac ſub varijs vocabulis, diverſi agminum Præfecti. Nec levem excurſum, aut conquirendis tantùm prædis venire perfunctorium agmen conſtabat; ubi grandius Aulæ Hani vexillum tricorne, explicatum conſpiceretur; & eundem Gałgam, tria mill: lanczarorum cum xij. Campeſtribus machinis, inuſitata anteactis bellis ſupellex (ſubminiſtrante Turcâ) ſequerentur. Superaddiderat quinetiam Symphoniacos exaggerando faſtui, grandiora ex ære tympana; oblongas lituorum inſtar tibias, aliaq; Muſicæ Gradivi inſtrumenta; in quibus tam ſub crepuſculum, quàm diluculum, barbarum melos Væjovi ſuo Symphoniaci illi perſtrepebant. Conſequebatur expeditionis ſocius, ſupra nominatus Doroſz; xxjv. mill: Coſacorum Barbaris jungens; ea ſocietate dudum expetitam Portæ Ottomannicæ protectionem licitando. Cæterùm nulla juſta Scythis belli in Polonos movendi cauſa erat; levior tantùm retentorum donariorum prætextus, quàm eandem ob Civiles motus omiſſam largitionem, gens avariſsima armis repetebat, cui ex continuo bello ſeges eſt, & evidens partis manubijs utilitas. Coſacos impellebat capitale in Lachos odium, quibus vel ipſis perire volupe ſit, modò priùs diſcrimine Polono vindictam exſaturarent. Primum armorum experimentum cum Scythis fuit, apud Naraiovum oppidum; ubi ab locatis iſthac Cohortibus Roſzczycij, ac Białogłowski, Excurſores illorum disjecti ſunt, & inter complures captos inſignior aliquis occubuit; qui rupto fræno continere equum non valens, in terram excuſſus, gulam fregit: & Labari locò prælatam caudam equinam, cum præſtanti caballo, in præjudicium victoriæ noſtris reliquit.

Etiam apparatus.

Coſaci expeditionis Socij.

Ad Naraiovū cum Scythis pugnā.

Ingruebat interim apud Podhaycios vis major Exercitui; aliquo apud Scythas paradoxo, *Mileſne Polonus ab Oppido? an Oppidum à milite propugnaretur?* Sed poſterius compertum, ubi ſupervenienti hoſti objectæ in acie Legiones ſtetêre, nihil magis quàm decretorium certamen agitantes. Quippe Mareſchallus in uno Oppido Patriam ſervaturus, aleam prælij de ſumma rerum jaci, tam dextrè & circumſpectè contendebat, ut in rem ſuam duceret, prout primi congreſſus experimenta proveniſſent, eò & finem belli inclinaturum; modò ſe pari animo ingruentibus objiceret, & delibato prælio prout conduceret, vel proſequeretur cæptum, vel tutus à tergo operibus inſtitueret ex beneplacito receſſum. Aderat in conſortium operis, Stanislaus Iabłonowski Palatinus Ruſsiæ, Potocij, Koniec-

Ad Podhaycios in noſtros ingruunt.

Koniecpolſcius, ſed hic Tarnopoliam diggreſſus; ac permulti è veteranis Cohortium Præfectis, quos omnes veteribus laureis ac facinoribus inclytos, jam Patriæ ſalus, jam Ducis alacritas, ad quæq; ardua inflammabat. Vbi verò in procinctu hoſtis, etiam Poloni in prælium accinguntur. Et certum erat ferociam Barbarorum hùc prolapſam, ut pauxillam manum, primo impetu obterendam ſpe devorarent; niſi tentatum dentibus ferrum, haud quaquam arrodi poſſe, durities metalli monſtraret. In campum prægreſſa acies, eo agmine ordinata ſtetit. Præibat cum ſiniſtra Ala Alexander Polanowski Optio, anterioribus bellis laudatiſsimæ dexteritatis; hic enimverò promoto tolutim gradu, ingruenti hoſti Signa opponit; ac ſtrenuè cum xiij. Cohortibus pugnat, ſed mox multitudine obrutus, velut lapis profundo immergitur. Vladislaus Wilczkowski Lubomirſcij Palatini Cracovien: veteranus Haſtatorum Tribunus, dextrum aciei cornu tuebatur: eminùs diductis Ordinibus, quò objacentia pomeria, & in illis locatos cum familijs agreſtes obtegeret. Medium aciei Palatino Ruſsiæ commiſſum; Duce ad omne prælij momentum intento: qui poſtquam aliquot campeſtres machinas, admodùm commodè locatas, tertia jam exploſione Scythas emiſsis telis conturbare advertit, è veſtigio Legionem hic pedeſtrem ſubmittit. quæ inter tumulos proximos aggeſto ceſpite, propugnaculum (Redoutam) moliretur; quo & machinarum tutior exploſio eſſet, & in pomeria ingruentes Scythæ, commodiùs arcerentur. Equidem utroq; cornu pertinax conflictus oriebatur, etſi primum impetum, qui acerrimus eſſe ſolet, aliqua intervenientia (ut ſolet) diſtinerent. Nam & Coſaci in vetus oppidum vim vertentes, ſimul verberationem Arcis è machinis inſtituebant; & quinq; levioris armaturæ Cohortes Polonæ, aditum ſibi ad Caſtra per medios hoſtes aperientes, plano campo Scythæ nacti, ſub ipſa valla ac pomeria depellebant. Succurere his haud diſtulit Wilczkovius, ſemper ad Martia impiger, & prima conflictuûm præludia depoſcere ſuetus, refugos illos Velites raptim inter Signa recipiens, mox in hoſtem denſatis Ordinibus vertit. Conſurgit enimverò ab utriſq; clamor, & concurrentium ſtrepitus; Scythæ numero prævalent, virtute Poloni; ferro ad manum res geritur, in ambiguo lancem victoriæ ſuſpendente fortuna, cum lixarum turba, etiam è pagis conglobati agreſtes, inter ſepes ac pomeria evoluti, quo quiſq; telo potuit, aſt magis incurſu & clamoribus, jam intra ſepimenta illatos Scythas depellunt. Iſtos poſtquam ſagittarum grandine parùm profeciſſent, denſo pilarum imbre pedes iſthac locatus excipit; donec ſubſidiariæ Cohortes in latus pugnantium invectæ, pertinaciam infregerint, &

1667.

Poloni opponunt Signa & acie.

Aciei in pugnam Ordo.

Armorum interim experimentum.

1667. ardorem pugnæ, Scythæ campum deferentes mitigarent. Suffecit iſtis, latam planiciem denſis cadaveribus conſtraviſſe; quæ ta nen illis pertinaciter ex arena ſubducere mos, tunc in proximum pagum comportata, ſubjecto tugurijs igne, ſepulturæ locò cremaverant. Etiam noſtri ſub occaſum Solis, receptui Signo dato, in Caſtra receſsêre: cùm Scytharum aliquot millia, noſtrorum ſupra quadringenti deſiderarentur. Eo armorum præludio, increvêre noſtris animi, remiſerant de præconcepto typho Barbari, identidem circumcurſantes, & veteres notos ſibi Confratres, ſeu Pobratymos, ad colloquium evocantes. cujus à Duce negata copia, ultra binas hebdomades circumcluſa Caſtra tenuêre: ſi quæ agmina in Campum prodirent, continuis aſſultibus impetendo, à noſtris viciſsim reciproca vi rejecti, de die in diem irremiſſa lucta pertinaciſsimè utriq; depugnabant. At qui animos reſiſtendi indiderat Deus, idem & tolerandi inſultus, æquioris cauſæ fautor, ſuggerebat motiva. Non rarò quippe evenit, ut ubi humana deficiunt conſilia, ibi divina incipiant auxilia; præcipuè & in bellicis, præceptam victoriæ ſpem, potiſsimùm ſupernæ opi accenſendam. Retexo altiùs cæleſtis opis auxilium de plano evolvendum. Per Vkraynam plebs (Czern nuncupata) ne tunc quidem inter ſe conveniens, dum altera pars Doroſzenkoni pro Turca adhæret; altera Siercone n contra Scythas, biſariam diviſis animis ſequebatur: quorum prior in Patriam Rebellis, & jam tunc res novandi cupidus, irruptionis Scytharum in Poloniam ſocius erat; alter capitali aliquo à Barbaris diſſidens odio, in perniciem gentis inimicæ, ferrum inceſſanter exacuebat. Ei tunc commoda occaſio illuxiſſe viſa, quando & gravis æmulus Doroſz, ac Barbarorum fautor abeſſet, & evolutis in Poloniam Scythis, nullo prope negotio Crimæa invadi, ac ex gente prædatrice faciles manubiæ, ſecurè abigi poſſent. Itaq; convocatis Sierco popularibus, ijs præſertim qui ad ripas fluminum degentes pyraticâ gaudent; expeditionem perſuadet in Roxolani nominis hoſtes; ac ubi in Szawranenſibus campis collectam multitudinem ad xx. millia recenſuit, ad ſtrenuè obeundam incurſionem hortatur, ſpolia, manubias, aliaq; promittit, gloriam inſuper, quæ ſemper primo loco apud fortes viros reponitur. Addebat (quod in manuſcripto lego). *Non uſq; ego Lachis faveo (ait), ut ſalvos & incolumes velim, graves nobis Dominos, & periniquos partæ libertatis oppreſſores: ex duobus tamen malis minus eligo, & eum ſatiùs hoſtis locò habendum cenſeo, qui vitam cum ſanguine aufert, quàm qui rem cum puluiſculo. Iam verò lares Vkraynæ, & penates noſtri continuâ flammâ relucent, ignem ſubijcientibus Scythis; iſti pignoribus noſtris replent ergaſtula, iſti cata-*

Prior Scytha prælio abſcedit.

Poſt Caſtra Polon: aſſiliens vexat.

Auxilia Numinis in bello.

Sierco Crimæam invadere parat.

Plebem ad opus dictis concitat.

1667. *iſti cataſtas Roxolanus inſtruunt mancipijs, uxores cum parvis liberis in ſervitutem abducunt; poſtquam Gens Barbara virorum jugulos, tota qua latè patet Vkrayna, ferro demeſſuerit. In hos dimicare honeſtum, in hos Chriſtianitatis prædones, ferrum ſtringere æquum puto; vel ſi larium aut pignorum cura non movet adeo, at ſaltem pro aris & vindicando Dei veri cultu, quem profani iſti adeo perditum eunt, ut crebriora per deſertam Arabiam diverſoria, quàm per latepatentem Roxolaniam faciendis ſacris delubra conſpiciantur. ſequerentur igitur ſe in Tauricam prodromum, defenſore vacuam, ac invadenti obnoxiam: ſi modò viri ſunt, & opportunitate temporis in juſtam ultionem utuntur.* Neq; ſegnior in opere Dux, quàm in ſuadendo fuiſſet, niſi ex immodici Solis ardore, graviſsima febri correptus, ac in Inſulas Zaporovianas deportatus ipſe, Iwaſzkum aliquem vete anum Centurionem, locò ſui ablegaret; qui ſuſceptam aggrediendæ Tauricæ expeditionem proſequeretur. Nec fefellit opinionem mittentis Iwaſzko, ubi opus cautus, ubi neceſſe audax, ac in Tauricam celerrime ingruens, uti omni deſtitutam propugnatore, direptioni patentem invenit, ita cædibus & extrema vaſtitate facilè conturbavit, talionem acceptarum ab ea gente per Vkraynam injuriarum exolvendo. Nulli ætati, nulli ſexui parcitum, ferrum viventibus, flamma tugurijs injecta, & promiſcuis in mortales cædibus, abigeatu in armenta, hoſtilitate in penates impunè graſſante. Perecopum Arcem, ex Slavonico Idiomate locum quaſi Transfoſſum; (veteribus Dromon Achillis dictum) quod una parte Ponti Euxini fluctibus, altera Mæotide palude pulſatur, exili præſidio munitam invadunt, ac incendunt; tantaq; conſternatione Cherſoneſum quâ latè patet Tauricam implent, ut incolatus cædi reſiduus, in maritima undiq; aut invios ſaltus profugeret: imò Hanus ipſe deſerto Bacciſaraio, ſolito reſidentiæ ſuæ loco, cum gregibus pellicum & exoletis, in remotam Colchidem profugeret. Sed ortus iſte è ſtipula ignis facilè deflagravit, ac umbratilis belli ſcæna, velut in ſomnio tranſacta, perfunctoriè deſijt. Nam Coſaci ſat perſtitiſſe rati, quia terruerant, ac conſumatam arbitrati victoriam, ubi luculentam ex ſpoliorum Europæ receptaculo prædam egiſſent, protinùs ad ſua ſe recipiebant. ſanè veriti ne ſub regreſſum ex Polonia Scytharum, prædâ onuſti in Sultan Gałgam inciderent; vel ne is idem ob vaſtatas Tauricæ oras irritatus, illatam injuriam in Vkrayna ſimili menſura rependeret. Quæ ubi apud Podhayce cognita, non minùs Scythæ in reditum intenti, quo invaſis penatibus conſulerent fremebant; verùm & in Coſacos, quos nunquam ſibi fidos, & præſentis injuriæ conſcios crederent, vehementiùs inſurgebant; eorum Primores (etſi alieno facinore nequa-

Morbo correptus abſiſtit.

Expeditionem Iwaſzkone proſequente.

Qui Tauricam devaſtata, mox regreditur.

Hinc Scythæ deferore remittunt.

1667. quam iſtis imputabili) ferociter admodùm & contumeliosè tractantes, unde diſcriminoſæ ſocietati diffidens Doroſsius, identidem per arcanos Nuncios Ducem Polonum conveniebat, tam de ſucceſſu Iwaſzkonis in vaſtanda Taurica referendo, quàm pollicita fide devinciens, quominùs tempeſtivè aſylum ſuſpectâ Barbarorum amicitiâ, perſtruerent. Vnde patuit, conturbatos Scythas multùm de priſtino fervore, in adoriendis Caſtris Polonis remittere. Etiam ſtratagemate militari promoto ſucceſſu, jam erectiores noſtri rem ad juvabant. Propolæ ſiquidem Rutheni, cum commeatibus per inſeſſa itinera in Caſtra enitentes, ſi qui in manus Scytharum incidiſſent, inſtructi referebant: Wiśniovecium Ducem cum xx. millibus armatorum, apud Glinianos prope Leopolim præſtolari, qui digreſſos prædatum Scythas undecunq; carperet; donec cum tertio Rex ipſe Exercitu, qui nuper Viſtulam ſuperaſſet veniens, diſperſum hoſtem, tripartitis viribus aggrederentur. Neq; is ignobilis aſtus erat, quo hoſti velut per jocum illuſum eſt. Aliquis ex Pedeſtri Legione minorum Ordinum mediaſtinus, transfugium apparare deprehenſus, ob idq; globis diſcerptus, nocte intempeſta & obſcura, projicitur ſubtus Caſtra Coſacorum, cultu militari integro, & pluribus intra ſinum conſutis literarum folijs: quo ſpecies eſſet, publicum Tabellionem prælio aut caſu cecidiſſe. Sub diluculum recipiunt cadaver Coſaci, & ſpoliant; ſed præcipuè repertas ſub interula literas, ad Gałgam deferunt, addictæ mentis teſtimonium exhibituri. Legere is jubet, & accuratè interprætari, fidem ſcriptis conciliante, appenſo Wiśniovecij Ducis Sigillo, perſcribentis. Quod Sniatynum versùs contenderet, regreſſum Scyharum præclusurus: vel ſin minùs poſſet, ſaltem direptionibus agrorum inhibendis. Sub finem exorans Mareſchallum, quatenùs benignum ſe Coſacis præſtare vellet, præcipuè ſi renuntiant partibus, facili indulgentia. Quid eæ novellæ præſtiterint, parùm conſtat. Etiam Lixæ poſtrema licet fex hominum, ſed quibus inter diſcrimina ridere volupe ſit, ſuas quoq; partes in bello rati, aliqua egere magis in hoſtes ludibrio, quàm nocumento. Etenim præter crebros excurſus, & impetitos clamoribus Scythas, profundiores ſcrobes & foveas, adhibitis in opus ruſticis egerebant, præſertim ubi humiliora valla, aut patentior ad incurſum campus; quas mox perticis ac ſtramine ſuperficie tenùs involutas, velut caveam lupo inſtruebant, aliquot hoſtium effuſo curſu in decipulam præcipitatis, ac duobus non poſtremi nominis ad Ducem adductis, Tum axungaria vaſa igne ſuccenſa, in ſubeuntes provolvebant, ad quorum jactum Scythæ, pilas Granatas rati diffugerent; etiam emiſſaria fumi, quæ hîc ex corticibus arborum

Etiam per ſtratagema molexati.

Alter aſtus militaris.

Neq; Lixæ ojtantur.

borum conficiuntur, rotis impoſita in ſpeciem machinarum per valla locabant; tantiſper imperitis terrori, donec conſtat mutas quæ non nocerent machinas oſtendi: aſt humo obvelari eas, quæ ferro prægnantes, aliquorum cædem, & plurium formidinem parturirent. 1667.

Sub hæc Doroſzyus, inter incudem & malleum poſitum ſe advertens, imò à Socijs cuti timens, huc flexit; ut parandi refugij obtentu Mareſchallo inſinuaret, dirimendum ſi placet pactionibus bellum, ſe ad mitiora Gałgam ſuaſu impulſurum, ſi modò & Poloni ad juſta paciſcendi media inclinarent. Neq; diu cum eo rerum ſtatu, propoſitionem pacis alacer accipit Scytha; vel belli jam pertæſus, vel ſucceſſus diffidentiâ; cum & hîc ultra x. millia ſuorum diverſi conflictus abſumpſiſſent; & nuper à Sielnicio haud longe Brzezany, mille quingentorum agmen diſperſum eſſet, compluribus captis. Proin requirente de pace Gałgâ, præmittitur Roſzczyc Velitum Ductor, moris ipſe Scythici gnarus, quominùs Confratres ex ea gente ſuos ſalutando intelligeret, quid animi Scytharum Primoribus? in terminandum reſumptione Amicitiæ bellum ineſſet. A quibus gratè acceptus deprehenderat, in abitum propenſos Scythas, haud obſcurè monſtrare cordolium ex vaſtata quaquâ versùs Crimæa, dum ipſi impertinenter alienis ditionibus arma inferunt. Nec Gałga omiſit, velut civilitati tribuendo, per ſubmiſſum Familiarem de ſanitate Mareſchalci ſciſcitari; & an placeret veteris amicitiæ reſumptio? ſine ambagibus ingerendo. Propoſitio ea oſcitanter primâ ſpecie accepta, velut à deliberantibus, an paciſci expediret? pro licitantium indole, ut emenda vituperent; etiam hîc flagrantiſsimè cupita cum faſtidio quaſi admittentium. Sed prudentiæ erat, cum feſtinantibus conctari, Scythaſq; attritis ob pabuli inopiam equis detinere diutiùs, quominùs longiore mora, ad agendas prædas prorsùs inepti redderentur. Ergò cæptum die xvj. Octobris colloquium, quatuor à parte Scytarum Murzis in opus Delegatis; eodem numero noſtris venientibus, Stanislao Iabłonowski Palatino Ruſsiæ; Vladislao Wilczkowski Wiśnenſi Præfecto; Alexandro Polanowski Optionibus; etiam Hieronymo Kuropatnicki Subdapifero Podoliæ. Sed ingens Collocutoribus difficultas ab ingerentibus ſe turmatim Scythis, ac dum veteres Confratres (ſeu Pobratymos) requirunt negotium paciſcendi impedientibus: ægrè tamen eâ licentiâ per Sultanos cohibita eſt, etiam à noſtra parte ſubmiſſo, Nicolao Złotnicki Lubomirſcij Protribuno, quominùs Colloquentium aſsiſtens, ſecuritati cum aliquot Cohortibus importunam ingerentium turbam arceret. Neq; diu cum continuata per tres hebdomadas, cum numero

Doroßijpro ſe ſolicitudo.

Roßczyc Velitariu Centurio.

Gałga Ducem Polon? ſalutat.

Colloquiũ de pace cum Scythis.

1667. merosissimo hoste Lucta, vel quadrihorij colloquio dirimeretur; in eas veteris amicitiæ leges, utrisq; convenientibus.

Primo loco testabatur Sultan Gałga, nequaquam hostili animo in ditiones Reg: Poloniæ venisse; sed potiùs ut ante coalitam, cum Gente Polona instauraret amicitiam, juxta nupera Pacta, cum Islan Gierey Hano Crimensi inita: quæ eadem nunc & semper manutenenda spondet, nomine Adil Gierey Cuiban Soltan, moderni Hani; ac Iurejurando firmanda promittit. *Quidquid interim inter utrasq; gentes hostilitatis intervenit, perpetua oblivione sepeliendum fore. Quovè simili armorum collisioni occuratur in futurum, omnes offensas, controversias, ac inter utramq; gentem dissidiorum occasiones, penitus abolendo, nequaquam alterutrus bellum inferre licebit, nisi priùs pro illatis injurijs amicè expostuletur. Hoc præcipuè & sacrosanctè Sultan Gałga Hani nomine spondet, omnes Amicos Sac: Reg: Maj: Regnig Poloniæ, pro Amicis suis habitum iri: etiam hostes eorum, pro hostibus sibi futuros. Vicissim Honorarium Æs, quod à Rep: sub nomine Stipendiorum, pro exhibitis auxilijs Hano Crimensi largiri solet, reddendum, & enumerandum fore, Illust: Mareschallus promittit. Incursiones Scytharum in ditiones Regni severè cohibebuntur; imò verò Budziacenses, Białogrodenses, Nohaycios, insolentes pacis & dominiorum Reip: turbatores, sub freno tenendos Sultanus declarat, ne ditionibus Rni: nocere possint. Cosacos ac plebem Vkraynensem hactenus refractariam, ad interpositionem Hani Crimensis recipiet in gratiam & favorem Sac: Reg: Maj: Pol:, ijsq; pacandis Commissionem concedet. In signum firmioris, & in ævum duraturæ amicitiæ promittit Sultan Gałga, apud Hanum effecturum, ut omes Captivi Poloni anteactis bellis intercipti, (specificè Machovius) in libertatem asserantur. Idem benevolentiæ præstiturus Rex Ser: Scythis, per Poloniam in detentione existentibus. Insuper assecurat, & fidem suam interponit Soltanus, dum finibus Regni Scythæ excedunt, nequaquam per excursiones oris Poloniæ nocituros; imò omnes prædas & abigeatus inhibendos: qui secùs faxint armis coërcendos permittit. Quæ transacta & ab utrinq; manu tenenda, ob majorem fidem Iurejurando firmantur. Datum ad Podhaycios in Campis, die xvj. Octobris. A. Ch: 1667.* Autographum Nominibus & Sigillis signatum erat. Syrim Gierey Gałga, Ordarum Crimensium Soltanus; Alib Gierey Muradyn Soltan; Szafeld Gierey Soltan; Moniac Gierey Soltan; &c. &c. Karasz Aga; Attałyk; Szerymbi Murza; Achiz Murza; Saczby Murza; Mechmet Emir Murza.

His Conditionibus coalitus.

Cosaci à Tractatuse subducunt

Cosaci in partem transactionis seriùs adfuêre, intenti magis permuniendis Castris, quibus se in socios tuerentur, quàm discerptandis conditionibus, quibus Polonis conciliarentur. Hinc Tribuni

buni illorum à colloquio segregati, de industrâ egentes interpretem, non nisi submiserant scisitatum? ecquid rei inter partes ageretur? patuit tamen Gałgam palliata odia altiùs condere, vel quòd nemo alienam iniquitatem portare debeat, vel quòd lædere armatos intutum videretur; etiam existimationi suæ haud conducibile, si in belli socios insurgeret. Ergò velut seriò rem illorum acturus, per Achiz Murzam expostulavit, uti & Cosaci simul ad debitum Reip: obsequium, medijs pacatis reducerentur. Non abnuêre nostri postulatum, qui majora concessissent; scriptæq; Rebellibus Leges, quibus stabile Regno adpromitterent obsequium, ac fidem, vel ipso Gałga pacisendi arbitro & Mediatore. Inserere vitium ad memoriam fluxæ & instabilis fidei. *Cum liquidò pateat Petri Doroßenko, protunc Exercitûs Zaporoviani Cosacorum Ductoris, realis submissio; ut humilitate congrua, & in Patriam obsequio, sepositis armis Regem Ser: deprecari intendat; totamq; sibi & popularibus Cosacis reconciliare Remp: anxiùs enitatur. Proin desiderio supplicis, satisfacturus, Illustr: Mareschallus Reg: id reconciliandi negotium in se recipit, procuraturus (Deo dante) in Comitijs Generalibus, Sac: Reg: Majestatis gratiam, & erratis Amnestiam; ubi meliori fide præteritam culpam eluunt Cosaci, totaliter renuntiantes, quibus vis Externorum Principum Protectionibus, & ditiones tam Regias quàm Nobilium effectivè restituunt Possessoribus antiquis &c. Etiam pro dignoscendis prætensionibus illorum, alteram Commissionem apud Rempubl: impetrabilem fore promittit. Querelas in Colonellum Stachurski, Præsidio Białocerkiewscensi impositum, cum eum parte inaudita condemnare non liceat, seriò Illustr: Generalis commonefaciet, quominùs ad diem dictam in Iudicio compareat, super objectis responsurus. Idem Exercitus Zaporoscen:, ad futura Comitia Varsaviam Internuntios suos ablegabit, fidei & obsequio erga Remp: testandis. Præsidium Białey Cerkwie Illustr: Mareschallus, partiendum aut minuendum fore declarat, quominùs in submini*ßtrandis Commeatibus & alimonia pro milite Polono, non adeo gravatos se Incolæ querantur. *Immunitas omnis ut Delubris Roxolanis, sic Deo sacratis personis, inviolabilis manebit. Tribuno Pawołocensi res ablatæ, sine mora restituentur. Etiam omnibus Injuriatis Iustitia, per Commissarios administrabitur. Quæ omnia, in vim perpetuæ ac irrevocabilis legis manu tenenda partes suscipiunt. Actum ut supra die xjx. Octobris, Anno 1667.* Subscripta ea ab Illustr: Mareschallo ejus Pacti Fidejussore, parte ab altera Petro Dorosz Cosacorum Præfecto; alijsq; Tribunis, Assawułis, Attamanis, Centurionibus. &c. &c.

1667.

Demùm & tractat de pace.

His conditionibus.

Nec in adornando abitu mora, nimium quàm Scythis acceleranti bus iter, cunctante Polono, donec per iterata Edicta plebs admoneretur

1667. moneretur, quominùs imagine pacis delusa, non magis periclitaretur; imò verò ad munitiora subductis pignoribus sibi consuleret. Sic dirempto bello, & jam in stipulatum deducta pactione, cum à Gałga adsunt quatuor Murzæ, qui Castrensi epulo à Marechallo accepti, solitè urgent, quominùs Pactis sinceriùs in effectum deducendis, per datos obsides, ab utrinq; caveretur. Id Zborovienſi & Zwanecēſi Fœdere præstitum memorabant; & posteriùs pluries pro amicitiæ stabilimento usurpatum; etiam nunc enixè Sultanum deposcere. Sed refugiebant nostri probrosam novitatem, ad quid enim in testimonium transactorum supremum Numen vocare opus esset? si in exequendi Pacti pignus, homines ingenuos dari expoſcerent? Ad hæc, si Iuramentum de toto & semper obligat partes? cur vadimonium ad præstanda promissa requiretur, quæ eadem dato mortis Obsidum casu, aut elapsis istis, vix observabilia forent. Sed evicit mordicùs flagitantium Barbarorum importunitas, cui facilè nostrorum seu ingenuitas, seu necessitas cessit, ne dum perperam requisita negamus, vel eo nomine suspicarentur, velut promissa non servaturos. De mittendis istis in Tauricam Obsidibus ambiguum fuit, qui mitterentur: flagitante Sołtano Wilczkovium & Polanovium, sibi tam crebrioribus conflictibus, quàm nupero Tractatu notiores: sed istis vicariâ Legionum Præfecturâ excusatis; Nicolaus Złotnicki Loricatæ Cohortis Lubomirscij, Pereasławienſis Præfecti Optio, ac Adamus Łychowski ex Hastata Ducis Cohorte Commilito, longinqui itineris; ac subeundi pro Patria Vadimonij onus suscepêre, eoq; nomine ab Illustr: Mareschallo requisiti, haud se refugere viam dixerunt, qui vitam usibus Patriæ impendendum devovissent. Etiam Scythæ geminos è suis adduxerant, velut reciproco pignore pignus permutaturi, & promissorum servandorum Fidejussores exhibituri: ast nihil conducere ea reciprocatio visa, plus candoris & generositatis monstrante Polono, ubi majorem Pactis fidem habet, quam Obsidibus. Itaq; intra biduum collectis sarcinis, numerosa illa Scytharum colluvies, Podhaycenſibus campis abscesſit; luporum more, qui inflexibili & obstipa cervice, se toto corporis nisu ad aspectum armentorum vertunt: sic isti prædas circumspicientes anheli abibant, tam à suis ne ditionibus Regni nocerent coërciti; quàm à nostris ob circumclusos undique passus, in diggressu ad modestiam armis revocati. Non tamen evitari jactura potuit, ut penitùs indemnes abirent; Nohaycijs fera & exlege gente, Pokucenſem oram, destitutam quod exsatiaret appetitum, ferro flammâq; pervastantibus, à quibus plus CCC. Pagi in favillam missi, arsêre.

Gałga Obsides requirit.

Mittuntur isti Złotnicki ac Łychowski.

Recessus Scytharū.

Dum ea

Dum ea tempestas à Podhaycijs se amovet, etiam alia loca discrimini haud eximantur: discurrente in longinqua ad prædam hoste, (w Czambuł) & quosvis remotissimos Poloniæ angulos excutiente; non ubiq; tamen citra jacturam, offâ ex manubijs potitus. Siquidem ut memoravi, & apud Narajovum Silnicius ad M. D. conciderat; & Nobilitas Wołhyniæ, cum adjunctis Ordinatorum turmis, Dubnam versùs, cum præda revertentes nacti, plurimis mortalium è servitute liberatis, geminum agmen dispallaverant, non sine cæde prædatorum. Etiam Stanislaus Koniecpolski Præfectus Dolinenſis, (ut innui) incluserat se Tarnopoli, septem stipatus Cohortibus: sed cui ultra jv. mill: aggregata è ditionibus suis agrestium, animos in defensionem facerent. Ibat ætate ferocior, in prima armorum rudimenta, nativa indole in Martia promptus, etiam plurium ex paterna familiaritate Amicorum consilijs innixus, ad majorum præclarè facta aspirabat. Hunc Tarnopolio circumfusi Scythæ, ut in Campestrem pugnam elicerent, vicina mappalia de nocte succendunt. Nec moratus Koniecpolius ultra sibi fumum offundi, Waliszevium veteranum cum milite Optionem expedit, qui eadem ipsa nocte quiescentes illos circa diluculum adoritur, in omnem casum locatis intra saliceta Desultorijs, vel si retundendæ vi haud sufficerent, proviso intra proxima valla receptu: siquidem apud Kopyczynce Pagum excitatis subitarijs Castris grestes, cum pignoribus se hîc injecerant: acceptis ab Hero, qui tuendis attenderent, etiam machinis suppeditatis, ac sufficienti pulveris pyrij instrumento. Et Waliszevius quiescentes, aut ignibus se refoventes dum infestat, cum ecce sub diluculum advolat Sahan Sołtan, Isłanis olim Hani Filius (velut de industria coætaneos Heròás opponente fortuna,) qui numerosis suorum catervis Koniecpolscianas Cohortes se modò in Campum eliceret, majore vi adoritur. Et imminebat discrimen, nisi Polonus consultò pedetentim recedens, & per vices tantùm obversis Signis involantes reprimens, ad locum latentis succursus deduceret. Objacebat peramplum stagnum, cujus aggerem binis Propugnaculis firmatum Koniecpoliani insederant, inde in subeuntes Scythas ex aliquot machinis tam dextrè jaculati, ut permultis in vestigio discerptis, protinùs reliqui conversis equis abirent. Vrgent nostri refugos, & plumbeo imbre inter Saliceta plerosq; sternunt, etiam captos abducunt. Inter quos insignior aliquis Murza fuit, & Sołtano per quam familiaris. Vnde missus confestim Interpres adest, scilcitatum an viveret? simul de permutando acturus. Veniens iste insinuabat Koniecpolscio, contractam dudum ante Sułtani, cum Parente ejus Fraternitatem; in quam manutenendam si

1667. *Non sine jactura Scythæ recedunt.*

Ad Tarnopolū cum Koniecpolio cōgressus.

Sahan Isłanis Filius.

Pugnacum Scythis.

1667. dam si intendit, renovatæ Amicitiæ haud pæniturum. Responsum à Koniecpolscio; *In eo hostilitatis articulo, vix esse amicitiæ locum, nam minùs ingenuum videtur, hostem agere, & Fratrem vocari: nulla à se injuria lacessitos Scythas, ferro & igne in ditiones suas grassari, neq; sibi remissas manus; & supereſſe ex justa causa boni Successus fiduciam; ageret ut vult Sultanus, in utroq; ambidextrum se reperturum. Iam nunc quo non vanum paternæ amicitiæ nomen intelligat, Captivum liberum dono mittere; eandemq; plurium sortem fore, ubi inter utrosq; de dirimenda hostilitate convenit.* Hinc placatior Scytha, iterùm ad jungendas dextras & amicum colloquium evocabat, excusante præsentiam Dolinense, cui haud integrum esset statione diggredi; missurum tamen ex suis aliquem, cum Soltano collocuturum; & ad proposita responsurum. Simul ad epulum sub dio præbendum amicè invitavit, quando ex ratione belli, tam colloqui ad invicem, quàm convesci simul, ratio temporis pernegaret. Protinùs in expassa planicie comparebant sejuges currus, paratas dapes & instrumenta Mensæ devehentes, Haud ægrè admissa ab invitatis hospitalitas fuit, accubitumq; super constratam mappis humum, divaricatis ut mos genti pedibus, & postquam sapore exploratæ dapes, non comestum, sed voratum à famelicis est. Succedebant pocula nativi ex hydromele potus, quæ pro sanitate tractantis dum argenteis scyphis Primores Barbarorum strenuè hauriunt, fortè unus è Cosacis simul considens, inauratum grandius poculum, in sinum abdiderat, cùm vicinior Murza servile probrum conspicatus, in raptorem nisi reponit ablatum, fremit indignanter, mox tergiversanti poculum sinu detrahit, confestim reo pro rapina flagris mulctato: eoq; facinore nebulonis, finem convivio imponente. Sultanus etenim à mensis cum Primoribus consurgens, non priùs conscenso equo ad suos se recepit, donec Koniecpolsciani Currus mensarũ supellectilem ferentes, cutò in Oppidum revertissent. Patuitq; placatiores abhinc Barbaros, non ampliùs ferro Colonis, aut igne tugurijs noxios extitisse, vel exhibitæ hospitalitatis respectu, vel quod magis crediderim, jam ad Podhaycios re transacta, ulteriores hostilitatis actus, omninò abrumpente.

Koniecpolius Sultanum tractat.

Servile probrum Cosaci.

Discessu hostium dum Scythæ in Tauricam, Cosaci in Vkraynã remeant, summo terrore liberata Polonia, tunc vel maximè exãtlati periculi magnitudinẽ introspexit, ubi reddita sibi cum hostem non ampliùs videret, Signa tantùm hostilitatis, & horrendam atrocissimi belli imaginem recognoscebat. Vbiq; prostabãt barbaræ feritatis vestigia; populosa Municipia igne deleta, Tẽpla per oppida, etiam murata Procerum Palatia, quia flammis deleri non possent, solo æquata; vicatim

Desolata Poloniæ imago.

Cadavera

Cadavera mortalium in cumulos aggesta, quos sub primum adventum prævenientes Scythæ, mactaverant; adhuc dum insepulta jacebant; ubiq; vastitas, & abominabilis desolatio, ac vel eo solo magis dolenda jactura, dum tristem patratæ solitudinis imaginem, ægrè coalita Pax, imò haud diu duratura, ex impari compensaret. Equidem singulari Numinis favore servatam Rempubl:, ipsaq; fatente invidia, humanæ post Deum prudentiæ adminiculo sublevatam constitit: nova conservationis Methodo tunc reperta; nihil in totum Fortunæ permittere, capiti quæ potior corporis pars, ante omnia consulendo. Agros direptionibus indefensos relinquere, ut in uno Oppido Patria servaretur; dispertiri Copias ut ita non imminutæ, sed auctæ vires, pluribus locis hostem appeterent; licentiam hostium pati, ut servarentur agri, aperire Regni penetralia, ut occluderetur introitus; insidere Fortalitia, ut fortior sub vimbone miles decertaret; in longinqua abducere hostem, ne viscеribus Poloniæ noceret; deniq; evidenti documento hùc res promovere consilijs, quominùs Scytha accepta domi plaga, quàm foris inferebat, inglorio recessu hoc tantùm lucri faceret, ut qui veniens hostem se Poloniæ jactaverat, revertens amicum vocari contenderet. Debita jure meritissimo, ex servata Patria belli Duci Lauru, eoq; clarissimis Imperatoribus æquiparando gloria, qui verè Pater Patriæ, ac fatali aliquo instinctu Protector Regni esset, quod necessaria atq; adeo justa pactione, in antecessum sibi servaverit. Quippe ut ex pacto erat, Honorarium Æs Scythis exolvere; sic levi hostimento voracem Barbarorum ingluviem, à tot Christianorum capitibus avertere, singularis prudentiæ actus.

1667.

Nova methodus cõservationis Patriæ

Hæc de Scytharum incursione, & proficuo Poloniæ Pacis Tractatu subjunxi, ex fida præsentium relatione. Nec omittendum censens, dum extra limitem Regni hostes emigrant, etiam quantociùs decedere loco Legiones nostras necessum fuit; increscente victualium penuriâ, sed magis equorum notabili jacturâ, quos irremissus labor ac inedia, etiam gravioris cæli injuriæ, passim sternerent. Res mira, quod apud nostros sub decessum hostis, cariùs buccella Panis, quàm sub obsidium Castrorum venundaretur; & omninò difficilior erat ab obsidione liberis, fæni ac pabuli pro jumentis conquisitio, quàm dum undiq; commeatus intercluderentur. Nimirum, ubi Propolis tutior pecuniæ, quàm promercalium conservatio, cibaria isti promptè venum exponebant, etiam Scythæ pabulum equis à longe ferentes, oblatis nummis suppeditabant facilè; jam absumpto per tantam multitudinem omni commeatu, quisq; rerum suarum provisu retinere maluit, quod posthac majori pretio comparandum esset. Siquidem ei plagæ, Provinciarum Regni fertilissi-

Legiones attritæ Castris abscedunt.

Legiones in Regno Hybernat.

1667. mæ, ſterilitatem in ſequentem annum, indicebat præſens expeditio, jam tunc futuræ meſsis ſpe omni præciſa, ubi ſubductis à domo Agricolis, hyemalia ſemina ſolo mandare haud licuit: hinc tam præſenti rerum penuria affligebantur oræ illæ, quam in futurum ſpem omnem acquirendi victus conſumpſerant. Conſecutum ut Legiones Hybernatum traduci, in viſcera Regni opportuerit, dum alendis vaſtata Ruſsia non ſufficit; etiam Polonia nuperæ preſſuræ memor, haud quaquam gratos hoſpites ſalutabat.

Caſimirus Rex dimiſſo, quem ad Conſilium vocaverat Senatu, Cracoviâ iter Varſaviam intendit, allabentibus per viam Nuntijs lætus, ob exactos Regno Scythas, diremptamq; Pactis hoſtilitatem. Demùm pleniori accepta de tranſactis notitia, ſolemnes Deo exolvit Gratias in Baſilica Varſavienſi, ipſeq; licet æger, ante Aram proſtratus, victoriarum largitori Deo humiliter ſupplicavit. Quæ poſt, videbatur feſſum tot curis animum compoſiturus, niſi vel ipſi ab contracto habitu reſilire difficilè, & Aula inſuefacta novitatibus, ac per turbida erectior, ad Abdicandum Regnum, jam ſua ſponte inclinatum Principem, ſi non impelleret, certè parùm retentaret. Et quamvis literæ univerſales prodirent, Comitia Generalia indicentes, nihil tamen in Inſtructionibus de ea Abdicatione certi afferebatur; unde pleriq; pro paradoxo habuêre, velut exploraret Aula, quanti demùm conſtaret Populi in Principem ſtudium. Sic dum futuro ſpectaculo ſcænam curioſi adornant, publicis interea ſermonibus, & livori anſam dabant, arripientibus pleriſq; pro diſcurſuûm materia, rem antehac in Polonia impracticabilem, quomodo Princeps Trono abſcederet, nonnullis incongruentem Coronato Capiti demiſsionem faſtidio Regnandi, alijs ingruentis à Turca belli formidine, ad extraordinaria delapſam Majeſtatem arguentibus. Et ſi non deeſſent, qui magis fidi ac eo in negotio quid ſentirent requiſiti? ingenuè ſenſum promererent. Haud congruens optimi Principis famæ ad poſteritatem, ſi velut in pœnam delicti Regnum abijceret, vel in contemptum Gentis, apud quam natus abdicaret, tanquam indignos monſtrans, qui regnarentur. Sed hæc ſequenti libro fuſiùs explicaturus, jam nunc ſuperſedeo.

Caſimirus Rex pro exacto hoſte Deo ſupplicat.

De Abdicatione rumores.

Conſtellationes Aſtrorum.

Etiam hic annus ſibi vendicat, aliquam influxuûm Cæli mortalitati infeſtam conſtellationem, nam ſi, ut Vranologorum fert opinio, ad motum ſuperiorum inferiora moventur, & ſupernus Horizon ille tam beneficorum quàm maleficorum Planetarum miſtura refertus eſt; conſequi neceſſum ad prototypon cæleſtium Orbium ſublunaria verti, ac ex latente aliquo impulſu, ſub prædominio Martis aut Saturni, actus humanos ad naturam Planetarum, aliqua ex parte inclinari, non tamen conceſſerim neceſsitari. Ea anno præſenti ſiderum

1667. derum patuit inclementiâ, adeò fervente litibus, Criminalium actionum Foro, ut utroq; Tribunali vix quicquam ſuppeteret temporis, ad cauſas ut vocant Iuris dijudicandas. Claudam itaq; Annum tragico, dein Comico accidenti; quod etſi infra annalium dignitatem, reor ut in Faſtos referatur; quia tamen & in parvis magna ſcelera idem exempli præſtant, ſubjungendum duxi. Cùm etiam Scriptor Gallus, inſignis alioquin Hiſtoricus, dum haud omittit turpem Caſtelperſiæ ſuæ cum adultero Contractum; quidni & ego memorem horribile truculentæ Mulieris per cædem cum Viro divortium. Rakoviam (quæ ex antiquo nidus Arrianiſmi fuit) aliquis Chirurgicæ artis peritus, cum reveniente ex Gallijs Nobili Polono venerat, ac ſucceſſu temporis ex quæſtuoſa artis peritia opulentior evadens, Matrimonium cum Muliere Arriana contraxerat: cùm ipſe ſequax errorum Calvini eſſet. Aſt brevi malè conveniebant amore Conjuges, qui diſsidebant fide, cum Maritus præterquam quod imperioſus, congeſtos ex arte ſua nummos obſeraret tenaciùs, nec Conjugem ad participium uſus admitteret. Vnde odium, rixæ, & quæ niſi morte dirimi ſolent faſtiditæ ſocietatis mala: ut ferox Mulier, quocunq; modò Virum è medio tollere decreverit. Nec diu facultas defuit voluntati. Abit peregrè ad infirmum Nobilem vocatus Medicaſter, cùm ſub nundinis ab inſtructo agreſte ſpargitur rumor, ante triduum in vicina Sylva aliquem Peregrinum cæſum, & ſe cadaver vidiſſe aſſirmante. Complet ſcænam uxor, paſsis crinibus oſtiatim ejulans, & mortem viventis adhuc Viri deflet peracerbè, tum demùm poſitura luctum, ubi manu propria cæſum conſpexerit. Fortè fuit, ut ſero noctis iſte domum rediens, ut erat à via laſſus, & fortè meraco gravis, ne candelam quidem accendi paſſus, alto ſe commiſerat ſomno; cùm uxor in meditatam cædem intenta, ancilla conſcia, caput dormientis grandiori piſtillo mortarij enormiter contundit, donec in excuſſum ſoporato letargum induceret. Mox veſtigia cædis abolitura, equum ut erat inſtratus, extra Oppidum depellit, cadaver ſecuri conciſum, ubi bubula caro ſalita erat, vaſe condit, excepto capite, quod à cervice truncatum, rapis in cellario reconditis involvit. Vbi dies, & melior animum ſubit recollectio, iterùm non jam fictè mortuum deplorat, ac adducto ad Prætorem Oppidi equo, qui adducebat conſpicata, autorem cædis Mariti proclamat. Sed neutiquam diu atrox lanigena occultari potuit. Quippe vicinæ Mulieres, domum plorantis condolendo ingreſſæ, ut reſperſum cerebro ac cruore parietem advertunt, cædem propalant: etiam ex plebe aliquis auferendis rapis cellarium ſubiens, cum oleribus caput hominis protinùs extulit, quod ex vultu & cæſarie notum, ſuffecit ad perpetratæ cædis indicium. Neq; Mariticida negare perſtitit, brevi inſtructâ lite, & ſceleris vindice percuſſa gladio.

Enorme Mariticidium.

Rea facti uxor pœnã ſubit.

1667. Comicum eſt, quod in vicino Oppido Staſzoviæ, nec multum tempore diſcrepans intervenit. Curionem Eccleſiæ Staſzoviēſis agebat (Parochum vocant) Sacerdos natu grandior, & honeſta apud probum quemq; reputatione. Hic ad familiaria obſequia admiſerat, cōmendatum ſibi ephebum, ut videbatur oris verecundia, & animo ingenuum. Quippe ad obſequia dexter, ad mandata agilis, nihil grave ducens quod iuberetur, nihil recuſans ob pigritiem, ſingulari Herum demerebatur promptitudine. Miniſtrabat in ſacris, cantabat in choro, exornabat ſcitè Altaria, perbellè periſtromata Templi cōponebat, etiam cum literis Epiſcopalib⁹ (Proceſſus) ſæpiùs miſſus, ſtrenuè injuncta exequebatur. Inſuper Sacerdoti pedibus ægro ſolatio erat, ſervum inveniſſe adhibendis fomentis peridoneum. Et in alterum annum manſit Oſtrowſcio (id vocabulum ſibi indiderat) in miniſterio perſeverantia. Cùm ſenſim frigeſcere ardor, ſubibatq; proclivem ad deteriora adoleſcentiam, prioris vitæ mutatio. Etenim ſæpius furtim ab Hero dilapſus popinas adibat & nocturnis convivantium cætibus immiſceri cæpit, ſolâ & maxima choreas ducēdi cupidine. In quibus vix quenquam ſibi præire paſſus, imò pro primatu choragij, excitatis rixis, cōvulneraverat ex oppidana Iuventute plures; in vibrandum ferrum dexter & agilis; etiam quandoq; prægrandem Haydonem ſimul ſaltantem, ſupplantatis agillimè pedibus in terram proſtraverat, non illepido multis ex riſu ſpectaculo, ubi enormem Goliam, unus puſio ſternit. Carpebat Sacerdos eam in pejus morū mutationē, & an planè dimitteret deliberabat? (erat Theodorus Dalowski Præpoſitus Goſlicenſis, Opatovienſis Canonic⁹) cùm caſu Enſifer Præmiſlienſis Morowinſcius, hùc loci allapſus, ac in Templo cum uxore miniſtrantem in ſacris Oſtrowſcium conſpicatus, finito ſacro, fæminā eſſe Parocho aperit, ac ſub virili veſte ſexum mentiri: quippe filiam vicini ſui, ex Submontano tractu, apprimè ſibi notam noſcentemq; eſſe: quæ cura & inſtitutione Parentum profugiens, teneret adhucdum ignaros, ubi nam terrarum verſaretur? vix fidem habet dictis Dalovius, accerſitumq;, & venire renuentem, mixti fori domeſticum, ubi cōmiſſum Morowinſcio fatentem invenit, tradit protinùs ad parentes abducendum. Vnde poſtea Curio Spirituali joco pro Fautore Hæreſeos audijt; cùm obtegendo ſexui impertinens veſtis uſurpata, ex ſacris Canonibus pro Hæreſi uſurpetur. Non tamen ultra familiares diſcurſus, ex contingenti joco vapulavit Dalovius, innoxium doli devergio ætatis oſtendente, & antehac inculpata tutus Sacerdotij fama.

Sub virili habitu puella ſexum mentitur.

Sacerdoti ſtrenuè ſa mulata.

Mox deprehenſa quæ eſſet.

A. M. D. G.

ANNA-

ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTERIS TERTII, REGNANTE JOANNE CASIMIRO, LIBER VII.

Elenchus Contentorum.

Græ expuncta Electione, Abdicatio inſurgit; aliquantum ſub operculo habita, donec palam emanaret. Vnde hic annus ob rei novitatem novaliorū dictus. Comitiorum indictio præcedit, nulla tamen in Vniverſalibus literis, facta abdicandi mentione. Director Nuntiorum Terreſtrium, Iuramento ad fideliter obeundum munus obſtringitur. Vacantium diſtributio. Caſimiri minùs conſulta liberalitas. Rotæ Equeſtris in Ablegatos externorum fremitus. Etiam in conflatores Monetæ; unde Commiſſionis Leopolienſis Acta carpuntur. Expeditionis ad Podhayce tranſactæ ra-

A. CH. 1668.

1668. *actæ ratificatio. Mors Wielopolscij Palatini Cracovien:, & tumulus. Comitijs finitis, demùm Rex priora Consilia deponendæ Coronæ resumit, ac ad diversos Monarchas Christianos exquirens sensum perscribit: primo loco Sedem Apostolicam conveniendo. Rescriptum in hac materia Clementis IX. Pont: Max:. Similia ab Aug: Imp: Rom: alijsq; per literas requisitis Europæ Principibus. Vbi fixum manet Coronam deponere, Senatum Varsaviam Rex convocat; cui palam mentem suam & consilia aperit, enuntiante Procancellario Olssovio Propositionem. Quæ molesta admodùm dolorem & lachrymas cunctis movet. Varij hac in parte discursus, etiam Senatus deliberat. Deliberationem expediens Primas, Casimiro respondet negativè, & preces cum universo Senatu opponit. Immobilis in sententia Rex, Comitia Abdicationis indicit. Primas quinetiam edocet Palatinatus, de nupero Sen: Con: confluunt ad Comitia Ordines. Propositio per Procancellarium. Regni facta, quæ de verbo ponitur. eam supplendo Schedam Rex Casimirus manu sua scriptam relegendam tradit; ista per silentium legitur. Nuntij ad Tubam Equestrem secedunt, mox ad Triclinium Senatorium regressi, per Directorem cætus, de mutando proposito Casimiro supplicant. Sermo Mareschalli Nuntiorum ad Regem, de mutando proposito. Turbantur enixè Ordines, & motus consurgit animorum vehementior. Solvitur sessio, ac demùm postridiè congregati Ordines, ore ipsius Regis edocentur, de immutabili abdicandi Regni intentione. Oratio Abdicantis Casimiri & valedictio. Diversæ contra Abdicationem disceptationes; mox plurium consensus permittendam. Gemina Diplomata, priùs Casimiri Subditos ab obedientia & Iuramento fidelitatis solventis: alterum Ordinum Reversale. super deponendo Diademate consentiens. Dissoluto in eum modum inter Principem ac Remp: vinculo, Primas nomine Senatus, jam Exregi Casimiro valedicit. Eandem officiositatem præstat Sarnovius, Director cætûs Equestris nomine. His expeditis de Provisione quotannis exolvenda actum; sed hæc ad Comitia Convocationis rejecta. Sub abitum Ordinum iterùm valedicitur Regis nomine, à Procancellario. Paradoxa aliqua de Abdicatione; eo maximo quod quiescentibus hostium armis, imò & Civium animis, transacta foret. Iam alia sui juris facta Reipubl: facies. Primas denuntiat Ordinibus Interregnum. De Interrege ipso aliqua. Tractatuùm cum Moschis Andrußoviæ coalitio. Doroßenkij Vkraynam turbantis inquietudo. Hani Crimensis pro exolvendo Honorario Ære requisitio. Convocatio Ordinum Varsaviæ; ac hâc tranquillè conclusâ, etiam Anno, imò & Climacteri per Dei gratiam finis.*

Neque

1668. NEque nunc rerum Poloniæ commodior Status, sive novercantis Fortunæ vicissitudine, sive suggestorum consiliorum vanitate, quæ ad Syrtes Electionis Remp: nuper allisam, rursùs in Charybdim Abdicationis impellerent. Siquidem de novo tunc & propalam insurgebant, Coronæ Polonicæ per Casimirum Regem deponendæ, meditamenta; quæ ut exteris admirationi, sic subjectis populis ob novitatem ingratissima fuêre; dum triste divortium inter firmiter compacta inducunt, & eò planè collimant, ut quando duos Reges in Solio Polonia renuebat, neq; unum haberet. Hinc cùm præteritus Annus luctûs aut mæroris, ob crebra præcipuorum capitum funera, dictus esset: jam præsens perpetui consilij, aut Novaliorum vocaretur; quòd is, ejuratis spontanea Abdicatione Sceptris, Principem populis, Pastorem gregi, & Regem Regno eripuerit. Quæ dum in procinctu enarranda sunt, jam nunc Philologos obiter commonefactos velim, uti anteacto sexennio, nihil nisi armorum strepitus, & in Pharsalicis plusquam Civilia campis bella obaudierint; jam nunc versis ad forensem facundiam studijs, acumini ferri stylum Oratorium Polonos substituere; dum aut postulant aut suadent; tam se contentiosos pro Rege retinendo ostendentes, quàm nuper feroces pro Libertate fuêre.

Abdicatio Ioan: Casimiri.

Annus Novaliorum.

Quod humanæ mortalitatis memores præstare solent, ut ante extrema, de rebus suis exactè disponant, condantq; extremæ voluntatis Codicillos: idem Ioannes Casimirus Rex non aliter perficere arbitratus, nisi reddito Civibus Regno, à quibus acceperat; securiorem tam sibi, comparando ad æternitatem animo, quàm illis amoliendis, quæ imminerent Interregnorum periculis, viam præstrueret. Ea porro consilia pridem ante concepta, & maturiore deliberatione diu pensitata, jam publico Ordinum consensui deferenda censens, in ante Comitia Generalia Varsaviæ ad diem xxjv. Ianuarij, indicenda putavit: prudentis Medici more, prius juvandæ sanitatis præparatoria, antequam incisionem venæ decernentis. Cæpta ea ut memoravi exeunte Ianuario, non magis frequenti Ordinum concursu, quàm arrecta omnium attentione, ad passim vulgatam Abdicationis Regiæ famam; cujus dum in Instructionibus ad Palatinatus mentio nulla exstat; censuêre pleriq; tentari ea novitate popularium animos, à rogari volente Principe, qui ubi inconcussam benevolentiam Subditorum perspexisset, facilè proposito decessurum. Nihil simile in Historia Gentis legerant, eo nunc acerbiore ejus novitatis sensu, dum non solito modo & antiqua realitate, sed per forenses tantùm rumores, & incerta Projectorum ea Abdicatio vulgaretur, tan-

Causæ abdicãdi permoventes.

Comitia indicta.

1668. tur, tanquam libellus repudij: quasi verò ad dirimenda mutuæ obligationis vincula sufficeret, nuda Regis voluntas, præsertim in devincto Legibus Principatu; & depositio Coronæ sine causa institui posset. Verùm ad eum scopum tendebant consilia, quominùs com-

Nulla Abdicationis mentione. posito utcunq; publico statu, tum demùm ad privatas rationes se daret Majestas, provisaq; priùs Regni securitate, Extraordinarijs indictis Comitijs, destinata Rex exequeretur. Vnde rumores de Abdicatione præcociter sparsi, Aulæ imputabantur, velut in antecessum exploranti pollice venam, & promptiùs in effectum deducturæ intenta, si præoccupatis animis, Abdicatio ex abrupto proponeretur. Carolus Dux Czartoryski, Cracovien: Succamerarius, dirigendi cætûs Equestris, Moderator electus erat, in Minorem tunc Poloniam alterna vice recidente. Quàm verò is consentientibus suffragijs functioni admotus, tam pertinaciter Andreas Kotowicz anteactorum Comitiorum Mareschallus, plurium acclamationibus impetitus fuit: quòd sancitas Constitutiones, non pro tempore prælo impressas Palatinatibus studiosè transmisisset, eo magis multa perperam, imò contra omnium consensum aliqua & scitum, intrusisse arguebatur: vel ipsis Lithuanis irrealitatem Collegæ damnantibus.

Inter Nũtios motus Hinc omnes ad eam functionem rectiùs obeundam, peculiari Iuramento Magistratum obligari censebant, solito nostris more, plus in egressu de Curia sapere, & magis delicto irasci, quàm delinquentibus. Itum dehinc in superius Conclave, ad excipiendam à Trono propositionem; Thema consultandorum exponente Procancellario

Ob distributivam Iustitiam. Regni Olszovio; donec ad distributionem Vacantium (ut moris) ventum: hinc peracris insurgebat tempestas, obloquentibus plerisq; non ex æquo attolli distributivæ Iustitiæ lancem, raro æquitatis aut meritorum respectu, ubi aliqui nimiùm, alij vix quicquam, pleriq; planè nihil, è Pane benemeritorum participarent; & quæ gravior Reipubl: jactura sit, ita nimijs largitionibus Regiam munificentiam distrahi, ut vel Principis peculium detrimentum ferat, & antiquæ legi, ne Princeps egeat præjudicetur. In exemplum erant bona Oeconomica Nowodworiensia, quæ à bonis mensæ Regiæ, publicâ necessitate exigente avulsa, ex primis Vacantibus sarciri debuêre; designatâ ex consensu Ordinum Grodecensi, in recompensam Præ-

Præfectura Grodecẽsis fecturâ, quam tamen opulento reditu ditionem, non nemini ex Collateralibus Rex contulerat, non sine jactura redituum meniæ suæ, & præjudicio Reipubl: sic destinantis; & interim Ordinarios reditus Principis, ex publico Ærario supplere, ne necessum foret, ut nimia petacis Civis desideria explerentur. Hinc manifestum erat Casimirum, haud diu Trono immoraturum, dum cuncta Domûs Regiæ pa-

rapherna

rapherna splendoresq;, profusè in addictos largiretur donaretque: magis favoris & præsentis gratiæ ductu, quàm meritorum intuitu aut judicio, ac velut de industria, ciendæ inter accepti & negati memores invidiæ. Ijs ex intima admissione (Favorittos Itali vocant) cedebant, non solùm vacantia Reipubl: bona, ac præcipuæ dignitates; verùm etiam opulenta Gaza, apparatus Palatij, supellex Regia, Tapetia, Imagines, Clenodia, automata, aliaq; conclavium Ornamenta: usq; huc progressa liberalitate donantis, ut etiam præstantium equarum greges, & per Prædia Hollandicorum pecorum armenta obtinerent petaces; uti nemini dubium existeret, ut expeditam visco avem protinùs avolaturam, sic in brevi onus Regnandi depositurum Principem, qui ultra modum curam Regalis opulentiæ prorsùs abijceret. 1668.

Inconsultæ Reg: munificentia.

Et ut solet evenit, ut indiscreta liberalitas, plures accipere paratos, dum prætermittuntur exasperaret; ita comparatis mortalium animis, ut metus, odium, & nimium cupientibus aliena felicitas excitet invidiam: præsertim inclinante ad deteriora sæculo, & verificato ad amussim Cor: Taciti effato. *Invisum semel Principem, seu bene seu malefactis premi*, dum semen largitionum, in lolium malevolentiæ excrescit, & ipsa donandi promptitudo in gravamen se-

Invidiæ motivum. cus factorum trahitur. Vnde peracri stimulo permoti aliqui, haud placituras Trono materias obtrudebant, uti fore livorem alit invidentia, & omnes destrui cupiunt, qui se provehere non possunt. Quippe hactenùs intra terminos Civilis modestiæ disceptantes, mox majore motu insurgebant; placita quidem Provinciarum inferendo, sed quibus ea vehementia promoventium, nihil remedij adferret. Ac primo pro relegandis externorum Legatis actum, Gallico præcipuè; quem diuturna in Aula obhæsione permiscere Regnum factionibus incusabant, sat futili argumento innixi, nimirùm captivis Polonis, Crimo redeuntibus, deleti apud Braiłoviam Exercitus,

Fremitus in Ablegatos: & obsessi apud Podhaycios causam & instinctum, in factionem ejus reijcientibus: nulla alia in factum probatione, nisi quod Scytharum marsupia, auro liliato referta, ejusdemq; Regni monetæ promiscuum per Tauricam usum, pro documento adducerent. Sed enixè obstabant illationi plures, ob frivolas suspiciones Gentem Inclytam, perbeneq; de Polonia meritam, ejusmodi ingratijs lacessere iniquũ censentes; neq; conducibile Polonis, dum maximè succursu egent, ex amicis hostes facere: quod si movetur loco Gallus, etiam aliorum Principum Ablegatos relegare necessum foret, non sine mittentium contumelia, nec injusto retaliandæ offensæ metu. Tum Sub-

Monetæ valorem incusat OO. sidente turbine, ad interna & propiùs tangentia versi, adulteratam

1668. Monetam, tanquam publicæ paupertatis cauſam accuſabant. Iam quippe ad univerſorum ſenſum, malum deſcenderat, florentis nuper Regni, inteſtina exedens; ac velut in homine increſcens lien, cachimum ægro corpori habitum inducit, ſic enormia privatorum lucra, & inordinatus ex publico diteſcendi appetitus, grandi ſenſu damni, univerſam Rempubl: enormiter afficerent. Rerum pretia in immenſum extendi, ubi valor monetæ duplicatus; Regnum cupro & ſcoriâ diſparente auro refertum; nummi noſtrates apud Exteros repudiati; nativæ merces, quibus olim gentis opulentia ſtetit, contemptui; Exoticæ carò admodùm venales, & ad arbitrium Inſtitorum ſolvendæ; aliaq; in ſtatu publico pathemata non aliunde emergentia, niſi dum materia nummi tertia parte ſuo pretio minor cuditur: apud circumſitas gentes abjecta & proclamata, confuſis inde mercaturæ, inter ementes & vendentes rationibus. Quæ in Adminiſtratores nummulariarum Officinarum jacta, ſpecificè in Boratinium, & Tynfium, facili publicis odijs materiâ, quòd recens ad opulentiam provecti, invidioſis ſe efferent opibus, publicæ paupertatis rei. Etſi iſti Legem publicam obtenderent, quâ jus cudendæ monetæ ipſis ex conſenſu Reipubl: tributum manſit, ac plura Decreta Commiſsionum evincerent; inſuper præſtitis in facie Reipubl: luramentis, quòd non niſi ex contractûs præſcripto in ſpecificata quantitate nummos elaboraſſent, indemnitatem ſuam tuebantur. Hinc rursùs exorta diſquiſitio, utrum Commiſsio Leopolienſis tantùm ſibi arrogare potuit, ut prægrandes ſolidorum ſummas autoritate ſua procudi conceſsibiles, decerneret. Admodùm moleſta conſcijs impetitione, quæ pleroſq; in participium peculatûs traheret; hinc molliùs & ſummis tantùm labris ad objecta reſpondebant, neceſsitate factum excuſantes, aut tranſacta tempore obliterabant cùm præterita reprehendi magis, quàm corrigi poſsint.

Commiſſionem ettă Leopoliēſem.

Expeditionis ad Podhayce relatio.

Permoleſtæ controverſiæ mitigandæ aut abrumpendæ, non alia commodiùs interpoſuit pauſam deliberatio, quàm dum de belli rationibus relatum eſt. Expeditio ad Podhaycios tanti momenti credita, cui cederent aliæ Civilium contentionum lites. Idem ille relator Actûs, qui patrator operis erat, Ioannes Sobieski Supremus Regni Mareſchallus, ac Exercituûm Dux Generalis, facilè contentioſos ad auſcultandum compoſuit Quirites, approbantibus cunctis ſilentio, læta & glorioſa dicturum. Is nulla operoſi pròémij circumlocutione uſus, aut ſueta Rhetorum periphraſi narrata diſtendens, (etſi veteri ſæculo Imperatoribus liceret, rerum à ſe geſtarum magnitudinem, non verbis modò eloqui, ſed & demonſtrare imaginibus) hoſtilitatis Scythicæ tempeſtatem ſuccinctè expoſuit, non humano

mano conſilio aut viribus, ſed ſolius Numinis auxilio depulſam, ejuſq; ab æternæ Providentiæ ope, quæ nec nervo ad bella, nec armatis eget, aliaq; ad Deum autorem referens, ex vero memorabat. Miro omnium ſilentio & plauſu excepta ab Ordinibus relatio, lectaq; ex Originali Pacta in Senatu, approbantibus cunctis; tam exili æris hoſtimento ab Regno ea locuſtarum agmina avertiſſe, ſimul per conſequens inferentibus alijs, ſi modò pro delectu noſtro Scythæ amicos & hoſtes juxta habent, facilè eum belli Turcici terrorem diſſlandum, ubi gentis fœderatæ deſtituitur Ottomanus auxilio: tum ſubinde à Perſarum Zopho bello laceſsitus, retrò ſe in Aſiam vertere cogitur. Ita virtutis fulgores diſcutiunt popularis malevolentiæ tenebras, ac livori & invidiæ dudum præconceptis, ex meriti æſtimatione meta ſubinde ponitur. Vbi finierat, mox à Trono proloquente Vicecancellario Reg: repenſæ Duci pro navata opera grates, nec denegata ex merito debita virtuti præconia; unde mox facili Ordinum aſſenſu Pacta cum Scytharum gente ratificanda decernuntur; donaria exolvenda promittuntur; quominùs ex pacto obligãs conditio priùs adimpleretur, tam retinêdis in ſocietate armorum iſtis, quàm eliberandis ex vadimonio obſidibus. Nec benemerito Exercitui, ob rem præclarè geſtam competens defuit gratitudo. Publico encomio laudatæ fortiſsimæ Legiones, appromiſſâ cunctis Principis gratiâ, quæ dum ſpem tantùm expectanda alit, in præſens meritis in juge tranſibat tormentum. Attamen dum de ſolvendo militari ſtipendio Ordines deliberare, ac ſanciendis Contributionibus inſiſtere adveitunt, utcunq; placati recedere oſtendebant: eo ſemper militaris genij candore, ut unciam realitatis præhabeant, mille pondo verborum. Hinc negotia publica nihil implicat in Aula magis, quàm recens ſubtilitatis Aulicæ praxis, & ambiguarum formularum mæandris involuta perplexitas, dum nihil præſtant, & multa promittunt; ac ſupra eos qui ſtrenuè manu rem geſſêre, linguæ diſcurſibus activitatem extendunt.

1668.

Pactorum initorũ approbatio.

Grates Ducici ex merite.

Exercituì promiſſa gratitudo.

Subinde Ioannes Wielopolski Palatinus Cracovienſis, idemq; obtento pro Filio (ut vocant) Minoris Poloniæ Generalatu, Varſavienſis Præfectus; Vrbem propè Oborijs, recens ſibi parta ditione vitam clauſit. Vetus ea in Submontano tractu Wielopolſciorum Stirps, pro teſſera gentilitia Equum antiquum uſurpat, ab Oppido Wielopole Domûs nomenclatura derivata. Quem Equum alio nomine Zaprzaniec dictum, inde fert traditio; ubi duo Toporei Fratres, Zegotam juniorem apud exteros diutiùs verſatum, creditumq; vivis exceſsiſſe, Fratrem olim abnegarent, ut excluderent cohæredem. Quâ iſte proſtrictus injuria, pro ſæculi more abdicata

Mors Wielopolſcij Palatini Cracovienſis.

1668. Aſcia, ſeu Starza ſtemmate avitò, Equum cujus opera in bellis externis uſus, pro teſſera aſſumpſit; à quo demùm propagata poſteritas, albicante pilo ac latiori zonâ præcinctum quadrupedem, in hanc diem pro inſigni defert. Cæterùm dum alios creſcere, alios minui oportet, in præſens Wielopolſcij Comitatum Pieskowy Skały, qui Olim Zaprzancorum, ſeu Szafranciorum fuit, pro hæredio habent; quæſito jure partam ditionem, indeq; titulum Comitatûs arceſſunt: cùm tamen neſcio an jure Conſulatus ei competere poterit, quiſquis conſulis domum acquirit? Præſertim in Polonia, ubi ſimiles externorum titulorum appendices, Leges Patriæ vetant, & æqualitas noſtra ejuſmodi crepundia excludit. Cæterùm Palatinus ſibi & meritis magnitudinem debuit, favente Pietati Deo, ac honorum gradus opeſq; largiente, quatenùs omnis boni Dator & Fons eſt. In Hungariam ad Ragocium Tranſilvaniæ Palatinum Legatus, contra Rebelles Coſacos ſubſidia obtinuit. Etiam Procancellario Regni Boguslao Leſzczynski Collega adjunctus; apud Leopoldum Rom: Imp: alioſq; Electores Principes, pro juvanda contra Suecos Republ: efficaciſsimè egit, impetratis & conductis in Regnum Germanicis auxilijs. Idem ampliſsimi Ordinis dignitatem, quà Senatoria gravitate, quà ſplendore congruo tuitus, etiam favorem popularium aſſecutus, ex reali nihilq; ſimulantis oris ingenuitate, tum liberali in quosvis vivendi lautitia. Ingenium illi peracre, hinc cedendi æmulis indocile; donec mitigaret ardorem ætas, & meliùs locata ad ſtabilimentum Fortunæ ſtudia. Siquidem in re Oeconomica providus & ſolers, in brevi rem auxit; congregando injurius nemini, in uſu partorum multis proficuus. Plurima in Templorum decorem largiebatur, in egenos ac miſerabiles perſonas liberalis: fœnerari Deo viſus, dando ut acciperet. Neq; hæc in oſtentationem, diſpenſatore talium ſeveriùs correpto, ſi opera ejuſmodi cuiquam innoteſcerent. Sic largam in pauperes manum, adamavit Cælum redonando: cùm nullus diteſcendi modus facilior ſit, quàm per egenos ad ſe trahere opum vim. Corpus exangue tumulatum apud PP. Bernardinos, quos vocant de Obſervantia Varſaviæ, quibus Templum grandius per injuriam belli Suetici in ruinam datum, baſilicè ut nunc eſt in forma ampliſsima reſtauravit; in ipſo Templi aditu, Sepulchralem ſibi ſuccincto ſenſu jubens inſcribi epigraphen. HIC IACET INDIGNVS PECCATOR, ORETVR PRO EO. Inſcriptio ſanè amplitudine tanti Viri modeſtior, & Laconiſmus Chriſtianum ſenſum revera ſapiens. Poſt hunc Palatina Cracovienſis dignitas, ad Alexandrum Lubomirski ſtabuli Regni Præfectum delata; diu ante debito ei honore, niſi ſuſpi-

Comitatq Pieſkowy Skały.

Legatq ad Exteros.

Tumulatur Varſaviæ.

Palat: Lubomirſcio cedit.

niſi ſuſpiciones livorem concirent, & concepta in hanc ſtirpem odia obſtitiſſent. 1668.

Sic demùm alluceſcente aliqua ſpe pacandæ Reipubl: ubi ad impendentia diſcrimina de remedijs proviſum eſt, conſilia utcunque procedebant. Honorarium tamen Æs Scythis promittere, nec repræſentare deciſum, quominùs interim Conſtantia probaret amicos, neu haud ceſſantibus Turcici belli minis, acriorem in nos ſuppeditato nervo hoſtilitatem concitaremus. Tum demùm Comitia finita magna omnium admirabilitate, ad jactos privatim de Abdicatione Regia per compita rumores, ijſdemq; rursùs in publico ſtudioſè celatis: ut pleriq; eo commento decipulam explorandis animis inſtrui crederent, dum quod Aula nullatenus velit, id ſimulando flagrantiſsimè cupere oſtenderet. Aſt meditamenta ejuſmodi non abijciebat, ſed tantiſper differebat Caſimirus donec cum tempore matureſcunt conſilia. Etiam ſuorum intimiorem ſenſum introſpecturus, quid de re tanti momenti ſentirent Regni Incolæ? an reſignandi Sceptri conatus inhibituri? an verò deſerere volentis, æquioribus oculis abitum laturi eſſent? Itaq; obſirmatus animo ac immobilis, demùm ſe eas ad curas accingit; vel moli Regnandi per ætatem impar, vel continuo rerum motu in tædium amplitudinis Regiæ adductus. Eo in negotio ubi primùm cum fidiſsimis contuliſſet, mox invincibili firmitudine per literas Commonarchas Chriſtianos ejus propoſiti certiores faciens, rationes intentorum explicat, ac pro amicitiæ aut neceſsitudinis Iure, in ulteriori progreſſu conſilium exquirit. Aſt id Principibus cunctis pro Paradoxo acceptum, quomodo verò è tanto faſtigio ad eam ſubmiſsionem imò obſequium ſe inflecteret, à ſolo immediatè Deo dependens Rex; & qui modò ſupra legem poſitus, jam nunc alieno Iuri & imperio, ſubjectum ſe profiteretur. Si ad eas deponendi diadematis curas ſtimularet æmulatio gloriæ, & celebritas exemplorum, vetus & rarò intervenientium: præcipuè Caroli V. Proavi Materni; Reg: Maj: multum id circumſtantijs diſcrepare, cùm Caſimirus improlis Carinam hanc Regni ſui ſine velis ac remis in arbitrium ventorum Interregni dimitteret; contra Imperator Carolus, plena Cæſarum domo, Faſces Sac: Rom: Imperij in Fratris Ferdinandi, Hiſpanicam Monarchiam in Philippi Filij humeros reclinaverit: & plura in hac materia diſcurſuum projecta, in vulgus emanabant. Cùm interim Rex Sedem Apoſtolicam per Literas conveniret, cui uti Magiſtræ Gentium, viva Salvatoris voce, attributa competit confirmandorum Fratrum prærogativa; quidni & Filiorum hortatus? præſertim obſequentiſsimi ſemper Caſimiri, ob præclaræ geſta pro Chriſtianitate con-

Comitia finita.

Caſimirus in Abdicãdo Regno perſiſtit.

Encomium à Sede Apoſtolica Caſimiri.

1668. te contra Barbaros: uti ejuſdem Oecumanicæ Sedis præconio, DEFENSOR FIDEI dici mereretur. Præſidebat tum ad clavum Eccleſiæ CLEMENS IX. ſtirpe Roſpiloſius, ſi quis unquam Pontificum pro grege Chriſtiano ſolicitus ac vigil, qui parùm egiſſe advertens, quod per Franciſcum Martellum Archiepiſcopum Corinthienſem, Nuntium in Polonia ſuum, ab eo abdicandi propoſito Regem dehortaretur, ſuperaddebat inſuper binas ad eundem Româ per Breve Apoſtolicum diſuaſorias; quominùs paternis monitis acquieſcens, reſiduum vitæ in Trono Regio ac curis Regnandi tranſigeret: inſuper oggerens ſcrupulum, indiſſolubilem nexum eſſe ut Eccleſiæ cum Chriſto, ſic Regis cum ſubjecto populo; cui ad vitæ tempora duraturam Fidem, & indivulſam aſsiſtentiam regnans obſtrinxiſſet. Notabili inter alia Literarum Pontificiarum commate. *Quare ſi quid habes Fili Chariſſime, quod animæ tuæ rationes tangat; ſolicitè petimus, ut antequam quidquam decernas, confidenter nobis aperire non omittas: memor quòd animæ tuæ rationem, in re præſertim ad tot animarum & Populorum ſecuritatem ſpectante, diſtrictè Dei Iudicio reddere teneamur. Age igitur Char: Filij & Patrem in Chriſto tuum ſalutaria monentem audi; reſpice tot millia hominum, quæ Deus curæ & Fidei Tuæ Majeſtatis crediderit, ex tali facto graviſſimè periclitaturus, niſi privatos voluntatis tuæ ſenſus, & intenta, publico rei Chriſtianæ bono poſtponis, ac remittis, aut generoſo animo prudentiâ ſingulari, in tempus commodius differs. &c.* Paria & Auguſtiſsimus Rom. Imp: Leopoldus, imò pro ſanguinis vinculo fidentiùs, velut in problema differebat. *Gratiùs ne Deo futurum ſit, onus publicæ ſalutis procurare ipſo vocante injunctum? an ſemel ſuſceptam Spartam præ tædio abijcere? certè generoſius fuerit ſtare erectum, contra conſurgentes undiq; tẽpeſtates: præſertim cùm vires per Dei gratiam adhuc ſint vegetæ, quàm ſibi ſoli in ignavo otio vacare. &c.* Similia à Chriſtianiſsimo Rege, alijſq; Europæis Principibus perſcribebantur; immobili adversùs inſurgentes fluctus ſcopulo, ob invictam propoſiti tenacitatem.

Cui Pont: Max: Abdicationẽ diſuadet.

Notãdum.

Etiam Imperator Leopoldus.

Senatus Varſaviam convocatur.

Quominùs verò Conſilia jam tandem defæcata in apricum prodirent, accire in ante Senatum per invitatorias Varſaviam placuit; nulla explicitè poſita cur vocarentur cauſa? quam tamen ut prudentior quiſq; ſubodorari ex famâ publicâ poterat. Et ad diem xj. Junij non infrequentes confluebant, ut à Primate Regni præter alios Conſiliarios, præſentes Senatores, xxxxvj. numerarentur. Ij ſalutato in Conclavi Rege, ac ex Ordine conſidentes, excipiunt attonitis ſimiles enuntiatam à Procancellario Reg: propoſitionem, eo ipſiſsimo ſenſu. *Neminem latet, S. R. M. deſtinâſſe pridem Abdicationem*

1668. *cationem Regni Polonici, Dominiorumq; annexorum, caſq; curas adhuc vivente Ludovica Regina agitatas, quas in præſens ubi commodum & opportunitas adeſt, omninò reſumendas S. M. cenſet ideo, quòd conſilium ejuſmodi, bellorum diverſorum moles, Exercituũm Nexus, interiorum motuum turbæ, aliaq; obſtacula tantiſper diſtinuerant, hoc nunc tranquilliore Patriæ Statu in effectum deducere S. R. M. intendit. Nempe Diadema deponere, regimine ſe abdicare, Remq; publicam liberis ſuffragijs veſtris ſibi collatam & traditam, vobismet ipſis in manus reddere, & reſignare. Ejus conſilij potiſſimas affert rationes, primò ſtatum conſcientiæ ſuæ tangentes, uti inter curas Regnandi, & extremam vitæ lineam, interſtitium temporis habere poſſit, comparando ad æternitatem animo; jam valetudini tam annis quàm laboribus fractæ & labaſcenti conſulturus, ob quam tantæ moli rerum ſufferrendæ impar, caſum prævenire malit, quàm præveniri. Etiam boni publici & quietis Patriæ causâ, præſertim in eo Malecontentorum livore & obtrectatione: pijſſimas S. R. M. pro bono Reipubl: ſuſceptas intentiones, ſequiùs interpretantium, paſſimq; violentæ Electionis ſuſpicionibus innocuum Principem onerantium, quibus expedire ſe aliter ſine moleſtia non poſſit, niſi abdicato Sceptro; etiam amoris in populum ſibi ſubjectum ſpecimen, & facultatis liberè eligendi Succeſſorem, ære perennius Polonis relinquere vult monumentum. Igitur S. R. M. fixum ſibi & deliberatum jura Regnandi in manus tradentium reſtituere declarat, & denuntiat; ſimul in præſens congregatum Senatum obteſtatur, ut vanis & nihil profuturis expoſtulationibus, de mutando propoſito abſiſterent; huc definitivè conſilijs tendentes, uti quàm honorificentiſſimè, eumq; commodo & ſecuritate Patriæ, is è Trono deſcenſus expediri queat &c. &c.* Ad ea Regis nomine obnuntiata, triſte ſuper omnes ſilentium imò ſtupor ingruit, & ipſa impracticabilis Actûs novitas, dolorem & lachrymas jugiter cunctis movet. Nullum ejuſmodi Abdicationis in Hiſtorijs veſtigium legerant, nihil ſimile per traditionem acceperant; antecedaneis Regibus ubi inſediſſent Tronum Poloniæ, ibidem & ſepulchrum occupantibus. Et aliquos Principum extorres Patria vidit, ſed ſuâ culpâ non Subditorum ingratitudine. Quippe veterrimo ſæculo Boleslaus Audax, ob Paſtoricidium juſta Nemeſi, & innocentis in pænam ſanguinis, extra Regnum profugit, periturus; Vladislaus Locticus ſua exoſus crudelitate, ter Regno pulſus, repetito tamen Trono in Polonia tumulatus; Henricus Valeſius paternum Regnum potius ducens, capiti locum in Gallia quæſijt, ubi parricidali manu confoſſus, ſepulchrali lapide tegeretur. Præter hos, omnes ab immemorabili ævo Poloniæ Reges, ut in vita Troni poſſeſſores, ſic in morte ubi regnaverant tumulum ſortiti ſunt. Vnum

Themacõſultationis propoſitæ.

Quæ doloſter & cum lachrymis acceptæ.

Reges Polꝛ extra Patriam tumulati.

1668. ultra Patris Atavorumq; exempla, & longam Anteceſſorum Regum ſeriem Caſi-nirum, dolendum cum gente ſibi addictiſsima apparare divortium, in quo tamen ſeparationis quæ Deus conjunxit articulo, vel ipſe univerſalis Chriſtianitatis Paſtor, cui deſuper claves ligandi & ſolvendi creditæ ſunt, apertè ob allegatas rationes diſpenſare renuat. Quam verò indignum viſu, exire de Regno Optimum & meritiſsimum Principem, cui dies jugi labore, anni continuis bellis, & exantlatis pro Republ: diſcriminibus ſignati; cui æſtates in Caſtris, hyemes ſub pellibus, & tota vita ſub caſside inter viros & arma acta eſt, abire non rediturum: eam labem Genti Polonæ imputandam, ſi moleſtas regnandi curas pertæſum, jam ex Trono ad obſequium relegat, & modò ſupra Leges poſitum, alieno nutui & imperio obnoxium, planè extrudit. Indelebilem manere Sacri Chriſmatis in uncto Domini characterem, cumq; Regnum cum Sacerdotio mutuam relationem habeat, hinc ut Sacris Ordinibus initiatis, ita & Regibus, ad curam & regimen populorum ſolenni voto obſtrictis, impreſſa & jurejurando firmata obligatio nequaquam tolli, aut abdicari poteſt. Etiam verò maculoſum genti Polonæ, fide & amore in Reges ſuos ab omni ævo celebri, ſi traducentibus malevolis, adversùs Majeſtatem ingratitudinis rea, apud Exteros deferatur: imò & apud poſteros, ex ea levitate & priſtini moris repudiatione, quâ Reges etiam diſcolos conſtantiſsimo ſemper proſequuta obſequio, non ſine opprobrio vapulaturam. Multò plura prudentes adferebant in contrarium, dum contenta propoſitionis inter ſe enucleatè examinant. Imperato demùm ſilentio, ſenſum ut promeret Archiepiſcopus Gneznenſis ex ordine requiſitus. Primo ad rem velut inſperatam, haud ſuppetere ſibi quid proloqueretur dixit ex eo; quod ad ſolam de tempore indicendorum Comitiorum materiam huc vocatus eſſet: eo magis nunc ad tam graviſsimam & quævis Senatûs conſulta tranſcendentem materiam, ſe ſe deliberativè, vetantibus Legibus, nequaquam intrudere auſit. Vnius tamen diei interſtitium ad deliberandum abs Rege petijt, intra quod vel Majeſtas juſtiſsimis Senatûs poſtulatis locum, vel illi ad propoſitam Theſim legale reſponſum afferre poſſent. Hinc die xij. Iunij in Palatio Archiepiſcopali congreſsi Senatores, diu multumq; diſceptavêre, pro formando ad Propoſita reſponſo; quale demùm poſtridie Primas Regni, deliberationem expediens, conſidente in Trono Rege, ijs verbis expoſuit.

Senatꝰ ad deliberandum ſe recipit.

Quam expediēs Primas Regē allo quitur

Ore totius hîc præſentis Senatûs, Ser: Rex Dñe Clementiſſime, uſq; quaq; Maj: Tuæ fidelis, & addictiſſimi (uti quos in his Curulibus favorabiliter collocâſti, auxiſti beneficijs, extuliſti ornamentis) ad heſternam

ſternam inſperatam omninò, & cunctis doloroſam Theſim, nequaquam 1668.
reſponſum aut replicationem, ſed potiùs vix humillimum poſtulatum afferre valemus. Propoſitæ quippe materiæ gravitas, ſilentium non eloquium requirit, & ſuboriens dolor in ſtuporem attonitos rapit, nec permittit verba conari. Quippe revocando in mentem Iagiellonum Regum apud nos per bina ſæcula dominatum, à ſeptuaginta annis D. D. Patris Fratriſq; dulce & lene etiam ſuæ Majeſtatis Regimen; quem liberis ſuffragijs in Trono collocavimus, votis cælum onerando ut idem Patriæ Pater, & Princeps Clementiſſimus, Remp: hanc quam diutiſſimè moderando, nobis conviveres; ſic ſerò nimis univerſæ carnis viam ingrediens, & nobiſcum commoriaris. univocum Patriæ noſtræ votum eſt. Hinc eo flagrantiori deſiderio æſtuantes, complicatas manus extendimus, petimus, obſecramur, ſupplices ferendo preces MANE NOBISCVM DOMINE. Id quippe non pietas modò Regio pectori ingenita ſuadet, ſed etiam requirit luſtitia, unicuiq; quod ſuum eſt reddere injungens: nempe debitam Eccleſiæ Dei protectionem, ſecuritatem Populis, Patrocinium bonis, & juratam univerſo Regno defenſionem. Ea ſunt vincula Monarchas in officium obligantia, qui tametſi videantur ſupra Leges poſiti, non tamen per legem divinam exempti; quominùs publicis curis ſe exolventes, contra ſponſionem Deo præſtitam, à clavo & moderamine Regnorum, pro arbitrio ſuo ac libitu, quando vellent abirent. Iam ſi fracta laboribus valetudo S. R. M. & inclinantis in ſenium ætatis rationes huc impellunt, præſertim in ea Orbitate, quâ egregio fulcro & adminiculo regnandi (Sereniſſima (inquam) Conjuge Ludovica Regina) deſtitutus es nihilominus in his turbis & viciſſitudine rerum, cenſcientia ipſa divortio ejuſmodi obſtat, imò cogit inclinari ad neceſſitatem Populorum, cum quibus mutua ſponſione in manum (ut formula antiqua ſonat) conveniſti. Hujus voti & Officij, niſi à propoſito recedis, reus manes Ser: Rex; neq; eum ſcrupulum nos Epiſcopi, ad quorum vocem ex Chriſtiana humilitate ſua Majeſtas coronatum Caput inclinare ſolet; ſed nec ipſe Oecumenicus Eccleſiæ Paſtor, reſolvere nodum Conſcientiæ poterit, nimisquam aggravantem & periculoſum; ubi de tot millibus animarum fidelium, ab Ovili Chriſti avellendarum periculo agitur: imò Orthodoxæ Eccleſiæ contumelia grandi, quæ evidentiſſimè jam rebelli Schiſmati, jam prævalidæ Turcarum potentiæ, imò & infeſtiſſimæ Hæreſi in deriſum exponetur. Neq; vergens ætas abdicando Sceptro in cauſam ſufficit, cum perennantis memoriæ S. M. Parens Sigiſmundus III. multum ſua Majeſtate longævior, ad extremam uſq; lineam vitæ, his Gentibus dominatus ſit. Si labores Regnandi premunt, & hæc ipſa ingratitudo Civium ſua bona ignorantium moleſtiam parit, en tot Capita Senatûs? ex Lege ad latus reſidentis?

1668. *tot fidelium Miniſtrorum pectora & brachia? quibus velut adminiculis inſiſtens, in hoc gravante cuncta regendi onere, aliquomodo fulciaris? cum iſtis (etiam ego humilis Reipubl: Primicerius) optimum Principem, Patremq; Patriæ, non in manibus ſolùm, ſed in cordibus noſtris ſupportabimus, & auxiliabimur pro modulo virium indefeſſi. Modò non alibi ſuperfuturos vitæ annos tranſigere intendas, niſi nobiſcum: ac ab Gente hac ſemper adversus Regnantes fideliſſima, eam maculam abſtergere velis quaſi verò tam benignum Principem, & Clementiſſimum Patrem, venerari ex debito neſcia, nimio libertatis zelo, & importunis indemnitatum prætenſionibus, Trono relegaverit.*

Senatq deprecatur Abdicatio nem.

Hic Primate è Curuli ſua conſurgente, ſimul omnes quotquot è Senatu aderant, ad Tronum progreſsi, & ſingultibus verba impedientibus in ſupplicem geſtum conformati, novam adhibebant deprecationis formulam, dum linguæ parcunt, lachrymis perorando. Ac prope erat, ut exemplo Vchanſcij Archiepiſcopi, Sigiſmundum Auguſtum Regem, ab Catharinæ Auſtriacæ divortio averſuri, etiam nunc ante Majeſtatem cernui Senatores provolverentur, niſi id ipſum Rex parari prævidens, mox Trono ſe proriperet, per extraordinarias preces vim ſibi fieri vetans, & indebitam Sacri Ordinis ad Scabellum pedum genu flexionem, quaſi in contemptum ſui præſtandam, omninò interpellaret. Sic in propoſito obſirmatus, inhibita aliquatenùs ſubmittentium ſe veneratione, ad factum ſilentium ipſe Regiæ vocis oraculo repoſuit. Fixum ſibi & immobile abdicandi Regni conſilium; ex rationibus præcipuè conſcientiam tangentibus; tum alijs permoventibus cauſis, in propoſitione à Procancellario Regni ſpecificatis. Fruſtra igitur actum agerent, & in diſſuenda immutabili ſic volentis Numinis diſpoſitione, in vanum oleum & operam perderent. Sic Concluſum Sen: Convocati Conſilium negando, ac demùm excuſſa multis ſuſpicio eſt, non in ſpeciem prætendi Abdicationem, ſed ab animo deliberato Principis provenire: imò nec ex oſtentatione agendi, aut experimento affectûs popularium, ortum habuiſſe. Sed vel inſtinctu Numinis, vel prioris ambitûs pœnitudine, ut tam regnandi onus nunc enixè faſtidiret, quàm ante flagrantiùs cupiêrat. Vbi verò non ultra precibus locus, mox de modo Abdicandi dictæ Sententiæ, repertis qui ut pacta ſponſalia, ſine juſta & legitima cauſa nequaquam dirimi poſſe dicerent; eo magis inter Regem & ſubditos vincula ex quibus indivulſus ex pacto mutuæ adhæſionis Nexus, in extrema obligaret. Plures tamen piæ intentioni indulgendum, imò ſanæ rationi repugnare cenſebant, ſi quæ unicuiq; privato conſilia ſalutis æternæ comparandæ permittuntur, ea provido Conſcientiæ ſuæ Principi agi-

Caſimiri de non mutando propoſito declaratio.

tare non

tare non licet. In eo conveniebant omnes, illatam de Abdicando Regno materiam, non niſi ex totius Reipub: conſenſu trutinandam, & diſputabilem fore: cumq; inſcendentis Tronum Electi Regis Denuntiatio, non niſi in Comitijs Generalibus promulgata eſſet, ijſdem gradibus & diſcenſum ex Trono moliri expediat; ac in pleno Ordinum Conventu reſignationem Sceptri inſtituendam. Ergò iterùm congreſsi, cùm & Rex deciſivam ejus negotij poteſtatem, ad univerſam Rempubl: pertinere agnoſceret, remq; tanti momenti honorificè & legaliter perficere intentens, (prævidebat autem non ſine popularium motu tranſigendam) ad indicenda Comitia demùm inclinavit, celebrandis ex præſenti Sen: Conſilio indicto tempore, ad diem xxx. Auguſti immediatè ſequentis: adeo mens humana ambulatoria eſt, ut quod effictim nuper deperibat, pari nunc faſtidio & properantia, velut voratum hamum ejicere vellet. Sic in materia Abdicationis prima glacies fracta eſt; vel ipſa Aula improbante conſilia, quæ bonis pridem diſplicerent; repertis nihilominùs qui diſpendio publico, ſi ramoſa quercus ſuccumbit, ligna colligere intenderent. Equidem ſi unquam, aliàs certè tunc Reſp: Polona cadaver vivum dici potuit, nihil uſpiam deforis integrum, nihil ab intra tutum, convulſa omnia, & in cardinibus Legum nutantia. Corpus Regni cacohymum & exangue, quid ſi per Abdicationem acephalon redderetur? actum planè de Populo iſto, imò Antemurali totius Chriſtianitatis firmiſsimo. Cuncta circumcirca limites ab hoſtibus infeſta, & belli minæ; nec minùs ab Amicis periculi aut metûs, aureo vacantis Regni pomo irritante ambitionem, & ex competitoribus unoquoq; habere partum, quàm delatum Regnum expectare, potiùs ducentibus. Iam in Republ: nulla inter Cives unanimitas, diffidentijs & ſuſpicionibus plena omnia; perſtringi à Senatu nimiam Equeſtris Ordinis libertatem, ab Equeſtri Ordine viceverſa redargui poſtpoſitas per Senatum boni publici curas, & in arcendis Exorbitantijs, alijſq; Reipubl: vulneribus indebitam Legum Cuſtodibus conniventiam exprobrabant. Illis (etſi non omnibus) conſcijs, permiſſa cognato ferro licentia, & ex Sen: Con: ad Civile bellum armatæ Legiones; per eadem Sen: Con: exinanitum publicum Ærarium; nec ſolùm interverſæ publicæ Exactiones, verùm etiam per adulterationem Monetæ depauperata Reſp:, pluribus ſæculis malo vix corrigibili. Ne in præſens quidem, Abdicationem Sceptri niſi his conſuaſoribus imputandam, quibus autoribus & peſtifera nuper Electio caput extulit, & adhucdum efferre non deſinit; ut detracto per fas & nefas ex capite Regio Diademate, novo commento diù ante deſignatum, & commodis privatis obno-

Comitia Abdicationis indicuntur.

Reip: Polonæ tunc faties.

Reciproca Ordinum Querelæ.

1668. xium Principem, in Tronum ſufficiant. Talia & plura ejuſmodi ab infenſis ad invicem, ultra Civilem diſceptandi modum obijciebantur; infauſto nutantium Regnorum præſagio, ex mutua Statuûm colliſione, niſi propitiatum Numen calamitati Poloniæ modum ponere ſtatuiſſet. Venit tandem Decretoria dies, quâ divinitùs deſtinatum fuit, abdicari à Principe, à Deo tamen non deſeri. Imminent Comitia, in quibus poſt irrita Pontificiæ ſolicitudinis dehortamenta; poſt non admiſſas præcipuorum in Chriſtianitate Com-Monarcharum diſuaſiones; repudiatas Senatûs Regni preces; permittetur demùm alea Fato, quâ nemo innocentùm damatus eſt. Prodeunt Generalem Conventum indicentià programmata, ad diem xxx. Auguſti Varſaviæ; Primas Regni, pro loco & Officio, commonefactorias ad Palatinatus dimittit literas, redditq́; per ſcriptum rationes, nuperi Varſavienſis Sen: Conſulti, quamq́; immobilis in propoſito Abdicationis Rex fuerit, ſine ambage Ordinibus aperit; irritaſq́; ſuas cum Collegio Senatûs preces, in flectendum Principẽ iterùm reſumendas ſuadet. Ad rem novam, & antehac nunquam practicabilem multi mirantur: pleriq́; ſtupent, neq́; deſunt qui intenta Principis in diverſum ſermone traherent: plures tamen reperti, qui amoris Civilis ductu, ſpontaneum exilium indicenti ſibi condolerent; ſimul Patriæ ad eam contumeliam ſpreti regiminis delapſæ miſererentur. Quoniam verò datæ ad Palatinatus Inſtructiones, non ſat exprimebant permoventes rationes, quibus inductus Rex, ad conſilia Abdicandi Sceptri induceretur, primo loco Nuntijs injunctum, ea motiva inveſtiganda; demùm ijdem Nuntij, fide, honore, & conſcientijs obligati, quominùs à tam perniciolo regnantis intento, Caſimirum in Troni poſſeſsione omni poſsibili modo, ac precum demiſsione firmarent retinerentq́;. Sed velut pugiles olim in luctam prodeuntes, ſe ſe oleo, aut quopiam ceromate perungebant; non tam facilè à manu vim inferente capiendi; etiam hic præſtructæ in anteceſſum machinæ fuêre, quibus vel poſtulata petentium eludi, vel oppoſitiones negantium, diſcuti poſſent.

Comitia Abdicationis.

Primatis ad Palatinatus literæ.

Contenta Inſtructionum pro Comitys.

Itum enimverò notabili concurſu & frequentiâ Varſaviam; non ſolùm Ordinum, ac quos ea cura tangebat ad eum Actum ex Provincijs Delegatorum; verùm etiam multi è privatis accurrebant, deſiderio ducti, uti paradoxo illi, & Regiæ amplitudinis cataſtrophe curioſos oculos propiùs admoverent. Hic exoratum Lectorem velim, ut ignoſcat quod prolatis ultrò citròq́; orationibus prolixior ſum, interim parcior verborum exiſto in exponendis rei circumſtantijs; nimirùm vel quòd eæ in arena habitæ, etiam ſecretum ad poſteritatem poſcunt, vel juſto metu ne plura interſerendo laboret

laboret Annalium fides, imò & vapulet illibatus Gentis adversus Regnantes amor, adeo tunc ab Externorum pleriſq; Theonino dente arroſus, ubi ingratitudine Civium depulſum Solio Principem, rerum & animorum noſtrorum ignari, cum opprobrio traducunt. Cùm revera ſi quis ſemel placitis Caſimiri contraria ſuaderet, vel ſuggereret molliora, infallibilem incurrebat offenſam, efferveſcente protinùs Rege, & ne per jocum quidem (ſemper feſtivioribus dictis & jovialitate delectatus) de retinendo Diademate ſibi inſinuari paſſus. Hinc cum Procancellarius Regni Olſzovius, aliquando vacuum curis nactus, familiari ſermone mentionem Abdicandi ipſimet inijcientem, ingenuè compellaret. *Quam (inquit) melius Poloniæ conſultum foret, ſi ſua Mai: cum quibus vixit Populis, ijſdem poſt ſera fata indivulſus cohærere non dedignaretur.* Etiam ſubjungens. *Quid interim vetat? ut iterato Matrimonij voto Liberorum Parens, faſtiditas regnandi curas dulcedine ſobolis leniret? vel ſaltem amore ejuſdem ad Sceptra Polona gignendæ, Tronum Sarmaticum non ita flocci faceret?* Ad quæ vultu commotior Caſimirus reſpondit. *Major (inquit) P. Rńde hæc conſideratio eſt, quàm ut obiter expediri poſſit; præſertim ſeni in nubendi materia, cui non quid velit, ſed quantum poſſit, accuratè perpendendum?* Hinc alij ubi ſuaſiſſe profutura ad offenſam referri vident, penitùs Placentiam ſe conferebant, inveterato Aularum more, ut quiſq́; blandiùs loquitur, fideliſsimum putare, limine exactis Veronenſibus.

1668.

Caſimirus diſuadentibus infenſus.

Procancellarius Rex reſpondet.

Iam vix quiſq́; è Senatu à latere Regis abeſſe ſuſtinuit, imò Sacri Ordinis Præſules à nupera Convocatione hærebant Varſaviæ, alij brevi diggreſſu ibant redibantq́;, hùc omnium collimantibus votis & ſtudijs, ſi quo modo menti Principis tam tenaciter impactus clavus, evelli poſſet. Terrebant pericula ab hoſtibus, metus à vicinis, colorata ubiq́; amicitia: ſed vel maximè imminentis Interregni mala, perſtringebant. Vt ferè pavidis etſi longiùs diſcrimen abſit, propè tamen imaginatio facit; & qui navigaturi mari ſe committunt, procellarum vim, & infidam pelagi naturam, ſæpiùs in ſpatijs imaginarijs fingentes, interea vano metu ante periculum percelluntur. Sub hæc Rex Caſimirus priſtini moris retinens, ut quemq́; Senatorum, pro veteri confidentia privatim adeuntes, ac ſalutantes, perhumanè excipiebat; alloquiis & dicterijs vacando vultu renidens quidem, & aditu facilis; donec Comitia aperiuntur: ſed vix aliquam intentorum mentionem admittens. Vbi verò Nuntiorum Terreſtrium Rota, Directorem ſeu Mareſchallum concorditer elegerat, Stephanum Sarnowski Łencicienſem Succamerarium; (Majori Poloniæ tunc ex vi recidentis alternatæ debita vice) mox ad Stu-

Frequentia Senatus Varſav:

Regiæ in adeuntes benignitas

1668. ad Stubam Senatoriam invitati Nuntij pergunt, ac mox imperato per Irenarchas silentio, se se ad excipiendam deliberandorum Thesim, seu Propositionem, componebant. Diutiùs Orator Troni, quamvis eloquij promptissimus, velut attonitus stetit, (Andreas Olszowski Episcopus Chełminensis, tunc Regni Procancellarius) donec velut excusso à sideratione aliqua animo, his formalibus plenum Comitium afflatur. *Novum imminet tempus, nunquam (quod sciam) à condita gente Polona, in Patria nostra auditum. Venit summa dies. Venit tempus, quod post lætissimas transactæ ætatis delicias, in molestum & turbidum vergit autumnum; ac deportatam in horrea fertilium camporum messem, non sine suscepti laboris fœnore, & messorum gaudio, granarijs providè includit: eodem tempore autumno ineunte, maturus annis, plenus meritis, Gentilius Sac: Reg: Maj: Dñi Nostri Clem: Manipulus, ex arvis Sarmatiæ, ex publico agendi Theatro, ex perpetua contra hostes Crucis Statione, jam jam ad privatas tendit umbras, & immortales Regiorum operum fructus, dolenda nobis, etsi ipsi Serenissimo enixissimis votis exoptata, concludere intendit Epilogo. Hic Manipulus sat fertilis & speciosus, qui in Christiani Orbis aprico, ac sub Iove Libero in amplissimam meritorum segetem excreverat, varios Fortunæ casus, & discrimina rerum, æstus & pruinam sustinuit: diutiùsq; è grano fertili panem non fulmina mittebat; cujus curâ ac providentiâ Aquila Polona viginti ferè annorum spatio, non ad necessitatem modò, sed ad delicias usq; saturata est; jam nunc ex oculis, imò Horyzonte nostro decedere intendit. Equidem Ministerij mei deterrimæ sorti indoleo, ac planè Fatorum acerbitati indignor: non hos ornatus in usus: ubi eam auribus Patriæ peracerbam, & ab hoc Trono immemorabilem Orbitatis Reipubl: vivente Principe Propositionem iterato proclammatæ, denuntiare cogor. Servilibus ingenijs innata labes est, mutatione Dominorum gaudere: generosi pectoris proprium, ut sincero* Propositio à Trono deliberandorum. *Regnantes affectu colere, sic voto prosequi, uti ijs in longam annorum seriem indivulsum convivere liceat. HIS VITA ET SANGVIS SACRA SVNTO. Præsertim in Gente nostra, apud quam non in marmore, aut postium summitatibus, sed in ipso cordis arcano insculpsit natura. FERENDA REGVM INGENIA NEQVE VSVI CREBRAS MVTATIONES. Antiqui Reges coërcendis Subditis nihil rigidiùs, nihil graviùs minitari poterant, quàm abituros se è Regno. Præsens S. R. M. propositio ejusmodi quidem est; sed quæ nihil minarum aut severitatis præseferens, stupendo exemplo sinceram Patriæ caritatem, & augendi boni publici studium in se contineat. Quæ Coronati capitis Propositio ut intimiùs penetrata, sincerius intellecta, & firmiùs memoriæ Ordinum Regni impressa maneat, Projectum ab ipso Serenissimo Rege, manibus*

manibus meis traditum, relego universis, de tenore tali. Hîc mox 1668. stupor aliquis omnes invadit, & rei hactenus nusquam creditæ, aut pro impossibili acceptæ, fides demùm tribuitur. Primò Sacri Ordinis Præsules, antequam Rex è sinu depromptam schedam Procancellario relegendam traderet, ut quisq; è Curuli sua se proripientes, circumvolvuntur Trono. Etiam Primas; ac velut elingues cunctos dolor præstaret, suspirijs tantùm, & verborum inopes muto perorant silentio. Enimverò tunc magno exemplo patuit; ingentes curas stupere, parvas loqui. In qua omnium cummotione, ipse Casimirus Rex sedare Mareschallis tumultum, debitumq; Consessûs locum cuiq; repetere mandat; ut protinùs genuinas abdicâdi Sceptri rationes & motiva ex Regiæ mêtis Mercurio, excipere faciliùs possent. Quod ubi ægerrimè præstitum, tum demùm Procancellarius legendo scripto instat. *Ex vero supponit S. R. M. Dñ: Clem: cunctis innotuisse tam ex publica fama, quàm facta & nuper propalata in frequentissimo Senatûs Consilio propositione, quod fixum sibi & consultum maneat, Regni Poloniæ Diadema, per libera Gentis suffragia impositum, in manus & liberam Reipubl: dispositionem resignare. Ad eas intentiones suscipiendas adducitur, unum porrò necessarium censens; quominùs saluti animæ suæ consuleret, disponeretq; tempestivè conscientiæ eo modo, si inter occupationes profanas, & novissimam vitæ lineam, ad reflexionem habere possit aliquod temporis interstitium. Etiam præter comparandum, quod principale est, ad iter æternitatis animum, idem persuadent exactæ ætatis anni, fractæ valetudinis vires, & in declive vergens Senectus: in qua amplius labor tantùm, & dolor. Præter eas non indecentes Christianum Principem considerationes, sensu percipit fractum se bellorum incommodis, Castrorum laboribus, consultationum publicarum secùs cadentium ærumnis; unde non amplius tantæ moli curarum parem se agnoscens, pro sincero erga hanc Rempubl: affectu, & effuso in omnes Ordines amore & benevolentia, hoc quod sibi tantisper impositum onus fuit, totaliter & plenissimè in Rempubl: Ius Regnandi refundit. Insuper advertit, tot suspicionibus petitam existimationem suam; quasi verò agitati consilij, quominùs violenter Trono imponeret Successorem. A qua iniquiore credulorum suppositione, reputationi suæ vindicandæ simul tranquillandæ Patriæ non aliter consulturus, nisi id documentum exhibeat, adeo alterius subjecti non esse promotorem in Solium, quo magis eodem sua sponte ipse & ultrò decederet. Quo non alio magis actu Resp: agnoscet, ab ejusmodi moliminibus Ser: Regem remotum egisse, atq; alienum: ut qui non modò intrudere quenquam ad Sceptrum Electivum nolit, sed & ipse Regimine se abdicans, in manus qui contulissent Subditorum, integrum & illibatum Ius Regni à se nunc abdicatum, cum* Contenta scripti de Abdicatione.

1668. *tum, cum pleniſſimo libertatis uſu reſtituat; cui placebit deferendum. Amore igitur in ſubjectos Populos dictante, ac Reip: a vano metu liberãdæ, præſentia Comitia indicta eſſe declarat, ſemel atq; iterum cunctis Reip: Ordinibus innoteſcens, quia hic & nunc Regnum abdicat. Trono decedit, & quibus gradibus ad clavum Reipubl: admotus eſt, ijſdem ex hoc apice deſcendere intendit. Nempe uti per ſolenne Nominationis Diploma Rex inauguratus eſt; ſic pari Abdicationis Diplomate, curis Regnandi ſolutus exaugurabitur: quod manus Regiæ ſubſcriptione firmandum promittit. Reciproca à Statibus ſeu Ordinibus Regni ſponſione; eoq; vinculo mutuo partes dirimente aut obligante. In eo Diplomatis Reverſali cavebitur de Proviſione annua, ſtatis temporibus ex bonis Oeconomicis ad vitæ tempora ſuæ Majeſtati exolvenda, & per pacta à futuro Regnante ratificanda. &c. &c.* tum demùm concludebat. *Quæ præmiſſa animo deliberato & firmo ſuſcepta, jam nunc eam Abdicationem ſeu Diadematis reſignationem, per Ordines Regni & Mag: Duc: Lith:, Provinciarumq; Regno Poloniæ annexarum ratam vult fieri, omni meliori modo, aut quomodo univerſis Ordinibus, in forma ampliſſima videbitur, Ordinum Regni arbitrium in omnibus ſecuturus, imo ſecurus exiſtens, eo in negotio hùc cunctos conſiliorum maturitate collimaturos, providendo honori, & integritati Famæ Gentis ſimul & omnimodæ Libertati & ſecuritati Reipublicæ.*

Iterùm in Concilio motus.

Ad ea vehementior iterùm motus conſurgebat, ac velut novam animorum procellam ſuſcitaret, jam omni dubio carens Abdicationis Regiæ Propoſitum, omnes pertinaci ſilentio involvit; actum de Republ: cenſebant, etſi & tales non deforent, qui obfirmatum Abdicantis animum hùc traherent, ut pluries rogaretur. Collatis itaq; abſente Rege conſilijs, iterùm per ſupplices preces tentare vadum placuit, in aliquo modo demitigata perſeverantia, in deponendam ſatiùs obfirmatam voluntatem, quàm Regnum duceretur. Repertis ex Ariſtarchi Schola Mythologis, qui præteritorum memores, ut in aſpirante nimiùm Regni ambitum, ſic nunc præpoſteram in reſignante abdicationem redarguerent. Multùm itaq; ac diu inter ſe, an conceſsibilis ea contra mutuæ obligationis vincula, reſignandi Regni Propoſitio eſſet? altercati: ad Stubam demùm Equeſtrem Nuntij ſeceſſerant, unde in triduo expedita deliberatione ad Senatum regreſsi, eo in vim humilis poſtulati, Director Cætûs Sarnovius, Regem eſt ſermone allocutus. *Non extra laudem in omni ſtatu mortalium, ſed præcipuè in ſumma fortuna moderatio animi fuit, præ alijs inſignior virtus; ut quippe nihil arduûm magis quàm ſeipſum vincere, inſurgenti felicitati contrahere vela, publicis ſatiùs quàm proprijs conſulere commodis, & ex ſublimi Majeſtatis apice, ad inferius deſcendere ſubſelium, peram-*

Et diverſa Ordinum ſententia.

1668. *Deprecatur Abdic: Ordo Equeſtris per Directorem Cætûs.*

peramplaq; Regnorum peripheria abdicata, arcto ſe includere circulo; ut ætas antiquior, ſimilia, etſi rarò admodùm, protulit exempla; ſic nec præſenti inſtructiori ad virtutes per Evangelium ſeculo, haud defuêre motiva, ad nobiliſſimum animi ſpecimen, in Regio apice monſtrandum excitantia. Apagè verò cum impia voce Tyrannum, ſi (inquit) violare lura, Regni cauſa violanda ſunt? aut ad idem facinus tendente Auguſto, dum Abdicationem Imperij oſtentat, exequutionem facti diu nimis moratur. Is quinq; & quinquaginta Annis, de reddenda Repub: deliberans, demùmq; reputans, & ſe privatum non ſine periculo fore, & illam temerè plurium arbitrio committi, in retinenda perſeveravit. Primus Diocletianus hanc ſtratam inoffenſo pede calcare viſus, in abdicando Imperio firmus, & in mutatione Statûs omninò perſeverans; reſiduum vitæ, quo ſuper vixit per decennium abjectus, ex Imperatore Hortulanus, colendis viridarijs ac transplantandis arboribus ſe ſe addixit. Poſt hunc longo ſæculorum tractu, vix ardua imitatu virtus, aliquos exempli ſequaces invenit, non tamen ex publici boni aut amoris Populi rationè; verùm magis ut vitæ propriæ conſulerent, aut honeſtiùs decedere Trono, quàm pelli viderentur; Montium, Sylvarum, aut Cænobiorum ſecreta petebant. Etiam Parentes ingeniti amoris ductu, Filijs Regna abſceſſu ſuo conſtabilivêre; uti nuperrimè Carolus Quintus Auſtriacus, cum plauſu Orbis, intimam mentem tanti Heröis non planè pervadentis, Ferdinandum Fratrem ad decus Imperij; Philippum Filium Hæreditarijs Regnis Hiſpaniarum admovendo; ſibi gloriam inuſitatæ moderationis, iſtis ſecuritatem regnandi reſpectivè partitus. Huic catalogo Heroûm mundanas curas faſtidientium (in quem rarò quiſquam Regum adſcriptus, ſine comite pœnitentia) ſinceriſſima mente, & ſine ullo privato reſpectu, dum ſua Majeſtas D. N. Clem: ſociari intendit, utiq; non ſine dolore accideret nobis ea orbitas, lene imperium & Paternam benignitatem S: R. M. Veſtræ, populis iſtis ex merito æſtimantibus; ſi modò Patriæ noſtræ rationes in tranquillo exiſterent. Verùm ubi navis hæc Reipubl:, ad cujus clavum & ſupremum moderamen, etiam ex vi Iurisjurandi Regij, Numen Majeſtatem Veſtram admovit, undiq; procellis quaſſata fluctuat: teneris enim verò Ser: Rex Dñe Clem:, furore belli exagitatam, Externorum factionibus concuſſam, Civilibus diſſidijs & motibus laceratam & in turbido tempeſtuoſi maris æſtu, fragilibus anchoris innixam Carinam Reipublicæ; imminenti priùs eripere naufragio, antequam celoce iſto Abdicationis, ſeipſum in tutum ſubducas; dum undiq; mala imminent, & nihil eſt ſpei reliquum. In oculis, in foribus, imminentia mala obverſantur, diſtrictus enſis ſuper cervice noſtra pendet, metuimus non injuſtè, ne vel nos conſpiratio malevolorum allidat ſcopulis, vel interni diſſenſus compagem hanc Reipub: violenter

1668. *disrumpant. Terremur sat valido concurrentium ad Coronam ambitu, ne lassos & enerves obruat potentia? si adsciscimus Exteros, ne Legibus & Libertati Gentis derogent? sub his discendi erunt peregrini mores, ferendum fastidiosum Imperium, & cum Iuvene Rege non minùs tolerandæ erunt vitia hominum, quàm ætatis; aderunt pejora novæ Aulæ mala, æq; perstringentia non æq; excusata; revera commutatio hæc Dominorum sortiri in melius nequaquam poterit, ut nec feliciùs conciliantur Nuptiæ post fata mariti, quàm post abominabile divortium. Opponere equidem possemus, quia nec decet non licet Ser: Rex D. N. Clem:, divortiari nobiscum reluctantibus nobis, per naturam Legum, & Nexum Iuramenti suæ Majestatis, ad tutellam Patriæ obligantis. Sed non disputamus de Iure, qui in eo proposito disuadendo, nihil efficaciùs submissione petentium censemus: cùm non alius gloriosior Regnandi finis sit, quàm commodum obedientium, & utilitas subditorum. Discrimina tantùm, universam Patriam afficientia exponendo, humillimas preces, ad ima pedum Sac: Reg: Majestatis D. Clem: deferimus, uti in partem & commodum Reip: inclinatiore mente & animo esse dignetur. Quod si merita nostra, vitæ sanguinisq; oblatio, ac quævis fortunarum dispendia, haud ejus momenti fuerint, ut nequaquam immutare propositum suæ Maj: valeant, at certè salus Regni aviti, & quæ omnium charitates complectitur Patriæ amor, justum ex condigno meretur suæ Maj: respectum. Petimus plusquam supplices, desinat sua Majestas cum fatis luctari; nec contraire pergat, æternæ sic ordinantis Iehovæ dispositioni, quæ suam Majestatem in paterno Fraternoq; Trono collocare voluerit. Adextremum divini Honoris zelus, & in quibus rite colitur Numen Templorum securitas, perstringat piam mentem suæ Majestatis ne in ea Orbitate Reip:, loca Deo consecrata deveniant ad desolationem abominationis. Eas pro immutando proposito, semel atq; iterum geminando preces, & supplicia vota; invitamus ardentissimè intermedium Ordinem Senatorium, Majores Fratres nostros, ut ad eundem finem una nobiscum cooperati, simili suasu, & flagrantissimis postulatis, inflectere suam Majestatem annitantur. Interim*

Tu Regem Patremq; geras, Tu consule cunctis:
Nec tua te magis moveant, quàm publica damna. D.

Motus in Cœtu Ordinum.

Ita dum Cætûs Equestris nomine, per Sarnovium, (ab ingenita magis realitate, quàm à calamistris Eloquentiæ instructiore) de mutando proposito compellatur Casimirus; rursùs popularitatis aura reflante, animorum mare intumescebat: ijsdem fluctibus, qui Reipubl: navim in Syrtes impulerant, jam scopulis allisam, ex medijs Pelagi undis retrahere nitentibus. Nimirùm qui nuper tædium ex Regnante ostenderant, jam retentant Abdicantem, seraque æstimati-

1668. æstimatione, gratius esse lumen Phæbi, jam jam cadentis monstrant; quàm fulgorem mox orituri; & dum perspectæ virtutes tædium subit, mox sublatam ex oculis quærimus invidi. Frequentissimo ille Senato, Equestriumq; Cætus, turmatim omnes exorando Principi ad Tronum eunt; uti propositum mutet postulant; & in extrema vitæ cum fido sibi populo perdurare dignetur. Idem Sacri Ordinis votum, & desiderium: (etsi Primas Regni ampliùs iterandas preces abnueret, vel irritas non vanè prævidens, vel auctorus sibi dignationem, ubi abscedente Solio Principe, Interregem agit) cæterùm Casimirus per postulata Ordinum, si non vim destinatis suis, saltem moram adferri videns, in sequentem diem solvere sessionem jussit: quâ demùm veniente, non jam vicariâ Ministri linguâ, aut per substitutum mentis suæ interpretem, sed ore proprio enuntiabat, quàm fixum & immobile staret, reddita Civibus Reipubl: necessitatem deponendi Diadematis prolixiùs explicare. Vbi pleno Comitio aliquantum in solio majorum recumbens, ac cum circumstantibus more suo familiariter collocutus, demùm ad imperatum silentium arrectis omnibus, & in auscultandum paratis, his cunctos affatur; vel eo solo jam se Exregem ostendens, quòd non per instrumenta publica, sed per se ad Subditos loqueretur. *Effluit hora, quâ Paterni in hanc Remp: affectus debitum, per Domum meam à ducentis octoginta & amplius annis contractum, exolvendum est. Lassus annis, Castris & Consultationibus fractus, viginti & unius Annorum ærumnis pressus, Rex & Pater Vester; hoc quod mundus maximè æstimat, Regni hujus Coronam depono, inq; manus Vestras Vobis reddo Poloni. Pro Trono loculum eligo, & funeri meo superstes, pro possessione Sceptri glebam tantùm telluris mihi relinquo, Vobiscum communem: quâ intra peripheriam Patriæ, ac majorum meorum cineres tumulatus, memoriam mei ad seram posteritatem vobis inculcare possim, eum me esse, qui primus in prælijs, postremus in discrimine & recessu: etiam nunc ob amorem Patriæ & commodum publicum, Regiæ amplitudini renuntiem, Regnumq; ijs, à quibus accepi postliminio reddam, amor Populi me in hoc Trono, per libera suffragia Vestra collocavit; vicissim amor meus erga hanc Remp: me ex eodem demovet. Multi anteriorum Regum tradebant sceptra Filijs, aut Fratribus respectivè; ego charissimæ Patriæ reddo, & cujus Pater & Filius extiti, jam nunc ex Principe gregarius, ex Domino Subditus, ex Rege Concivis fio, ac Iuniori & Validiori quem Deus & libera gentis suffragia successorem destinabunt, loco decedo. In quo ex commodo Reipubl: eligendo, uti Numen hanc Rempubl prosperare velit, in solitudine curis vacuus, flagrantissimis votis Cælum onerabo. Iam nunc grates omnibus habeo, pro tot meritis, consilijs, & exhibita obse-*

Casimiri Reg: pro Abdicatione sermo.

Abdicationem deprecantes.

1668

quiorum promptitudine: si quibus non ex mente aut desiderio regimen nostrum complacuit, ex ratione Statûs, vel Fatorum fuit: parcant quæso, ipse vicissim, qui secûs meriti remitto: valedico omnibus, unum quemq; Paterno applicans pectori, quorum dulcem memoriam quoad vita suppetet, gratus feram. Insuper Paternam benedictionem Universis & singulis impertior: ac quamvis distantia loci utrosq; separante, nihilominûs corde ab hac dulcissima Matre avelli me, haud quaquam patior: in qua Cineres mortalitatis meæ deponere velim. Plura, cum & doloris vis, & memoriæ fragilitas proloqui haud permittat ex hac Scheda, quam ad relegendum trado, amoris & sinceritatis meæ documentum intelligetis.

Ordinum ex Abdicatione dolor.

Sic demùm post molestam utrinq; disceptationem, imò veriùs inter Abdicantis Regis, ac retinentis populi luctam, irritæ diu preces in querelas propè, & altercationes vertebantur: negata in contemptum sui accipientibus Nuntijs; quæ precibus à Majestate obtinere nequirent. Præ alijs Martinus Dembicki Vexillifer Sandomirienſis, obnitebatur destinatis Casimiri, resignationem Diadematis ex arbitrio Coronati capitis abdicabilem non esse censens; nulla in Pactis Conventis apposita, quæ permitteret Clausula, ac ut suscipere onus beneplaciti fuit, sic retinere ex vinculo obligante, necessitatis esse. Cumq; alij conditionem, qua vetaretur explicitè, & per expressum non positam, in excusationem adferent: ille tamen subintelligendam dicebat, ut semel more Antecessorum Regum inauguratus esset, ita indelebilem unctionis Regiæ Characterem semel susceptum, nequaquam amoliri, & contracta cum Regno sponsalia nullatenus dirimi permittens. Vicit demùm Subditorum Modestiam, in proposito inexpugnabilis perseverantia, ut quod impetrare bonis modis non poterant, jam tandem extorquere rationib⁹ erubescerent. Conversis itaq; velis, demùm Ordines animis hùc inclinavêre, quomodo cum destinantis Principis voluntate, nec minore Gentis obsequij gloria, Actus is quam honorificentissimè finiretur. Adeò mens humana in curriculo passionum rarò temperat, dum vel cupiditate adipiscendi immodicè flagrat, vel tædio & molestiâ usus, cupita efflictim abijcere festinat. Ventum dehinc ad Diplomata, quæ ob similitudinem, Libellos admissi utrinq; repudij, haud vanè dixero. Nam cum inter Regem Remq; pub: Sponsaliorũ vicem Pacta Conventa obtineant, jam nunc fastiditæ Dominationis tædium, aut alia ex causa deponendi Diadematis meditamenta, itidem per Declaratorias literas, seu separationis cum Principe Diplomata, quando aliter fieri non posset, vocanda Ordines censuêre. Vti verò à primis Gentis Polonæ cunabulis similis Abdicatio exemplo caruit, sic im-

Et pro retinendo Rege controversia.

Demùm ad Diplomata ventum.

1668.

sic impracticati actûs ad posteritatem transmittendi, difficilior ratio visa. Vnde diutiùs de cognomine ac vocabulo hallucinatum? alijs abscessûs à Trono Actum tabulis publicis repungere, ne exemplum in sequellam transiret: alijs non in chartis modò sed in marmoribus insculpendum judicantibus, non aliud Electivi Iuris in Polonia majus firmamentum, & liquidissimum in Principes, constantis Fidei ad posteritatem testimonium. Itaq; confectæ eo nomine Tabulæ seu Diplomata gemina, quorum essentialia subjungo.

Diploma Abdicationis. Cas: Rex.

Ioannes Casimirus D. G. Rex Poloniæ, Mag: Dux: Lith: &c. &c. Necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumq; Hæreditarius Rex: Notum testatumq; facimus præsentibus & futuris temporibus. quod cùm prægravescente ætate nostra, debilitari nos in dies sentiamus, defessiq; & fracti ingentibus pro Rep: Polona curis, & laboribus, sustinendæ amplius tantæ regnandi moli, vires nostras impares fateamur: cæpimus demum ultrò, & motu proprio consilium, Coronæ Regiæ deponendæ, quo residuum declinantis ætatis, tranquillè & privatum intra modum agentes, componendis ad meliorem & haud interituram vitam, conscientiæ nostræ rationibus, libertius vacaremus. Eam ob causam Convocato nuper Varsaviam frequentiore Senatu die xij. Mensis Iunij, Anni præsentis. Mentem nostram ijsdem D. D. Senatoribus & Consiliarijs nostris aperuimus. Quibus magnitudine ac novitate rei, præterea reverentia Legum Patriarum deterritis, remq; integram ad Vniversam Rempubl: referentibus, Comitia Regni Generalia pro die xxj. Augusti, omnibus Ordinibus indiximus; ac primo statim Comitiorum exordio, Abdicationis Regni Propositionem publicam fecimus. Hic experti sumus amorem & affectum Civium, fideliumq; Subditorum nostrorum, qui Serenissimorum Antecessorum Regum merita, & in Remp: hanc beneficia, grata recolentes memoriâ, nostrorumq; similiter per viginti Annos, tot Castris, tot Comitijs curarum laborumq; & periculorum plurium memores, omni quâ par fuit renitentia, & ardentissimis precibus nos in Trono retinere nitebantur. Sed nobis immota ad hæc perseverantia, in semel destinato proposito hærentibus; tandem eo descensum est, ut Abdicationem, seu resignationem Sceptri Poloniæ, realiter & solenni ritu, in Comitijs Ordinum faceremus. Prout quidem matura deliberatione præhabita, ac consentientibus omnibus Ordinibus Regni, sani mente & corpore, liberè nec coactè, Regno Poloniæ, & Magno Ducatui Lithuaniæ, Dominijsq; eidem annexis, nosmet in præsens & in perpetuum abdicamus; Iura Majestatis, & alia quævis Monarchis Poloniæ & Magnis Ducibus Lithuaniæ, Regalia, ex antiquo competentia, plenè & integrè in manus Senatûs, & Nuntiorum Terrestrium, totiusq; Reipubl: omni meliori modo restituimus, ac reponimus; omnes Status, & Ordines, & quemlibet Sub-

1668. *bet Subditorum seorsim, à Iuramento Fidelitatis nobis præstito, quovis modo resolvimus, atq; ab obligatione Subiectionis, Homagij, Vasallagij, emittimus, & absolvimus. Ducem in Prussia, ab obligatione ratione Ducatûs Prussiæ ex Pactis debita, & Iuris Feudalis ratione; Bychoviæ ac Leoburgi. Etiam Ducem Curlandiæ, ab Homagio seu quibusvis alligationibus, ex nostra tantum persona, liberos pronuntiamus &c. Quâ Abdicatione seu resignatione Coronæ Regiæ, jam protunc rite & legitimè peracta, ac Diplomate præsenti corroborata, Ius & potestas erit, atq; est Reverendissimo Domino Archiepiscopo Gneznensi, uti sub tempus Interregni, cum omnibus Statibus & Ordinibus ad Electionem novi Regis, juxta Leges & consuetudinem antiquam procedendi. Quam quidem liberrimam Electionem, nulla ratione impedituros nos, neque Candidatum quempiam promoturos; imò remotiùs ab actu & loco Electionis durante eadem Electione mansuros, promittimus. in cujus rei fidem & robur perpetuum, præsens Diploma nostrum Sigillo Maiestatis communiri jussimus. Datum Varsaviæ, in Comitijs Regni Generalibus die xvij. Mensis Septembris. Anno M. DC. LX. VIII. Regnorum nostrorum Poloniæ xxj. Sueciæ xxij Anno.*

Et hic quodammodò reconventionalis Actus erat, nam cùm Princeps abdicato diademate, Regnum sibi quatuor lustris administratum, Remq;publicam Civibus redderet: vicissim Ordines Regni, ac Mag: Ducatûs Lithuaniæ, Provinciarumq; annexarum; quod suum erat recipientes, fusiùs expressis in Diplomate rationibus, cùm ejusmodi resignationi Regni, affectatæ magis quàm necessariæ, pro modo Subditorum obtemperarent; & quam in Trono manendi gratiam à Principe, humili postulato obtinere nequirent: demùm volentis Majestatis propositum, assensu & submissione, necessariò adprobarent. Ijs velut mutui repudij instrumentis, pleno Ordinum Comitio lectis, demùm & comprobatis; vicissim Respublica manumissa, & suprema jam potestate libera, ac sui Iuris facta; ulteriores cum exaugurato Principe deliberationes continuavit. Notabili humanarum rerum ludibrio, cùm Rex bello & Pace gestis clarissimus, idemq; tam prosperis, quàm adversis in palæstra Regnandi æq; exercitus, ne quid ampliùs cæco Numini in se liceret, ex eminentissimo Troni apice, in imam demissionem ibat, projceretq; Regnum, ex quo non vi aut fraude hostium trusus, ast invicta fortitudine animi, ultrò & sponte se abdicaret. Delibabat ille Annum Ætatis tunc nonum supra quinquagesimum, quippe natus Anno Christi 1609. die Lunæ, quæ fuit xxj. Martij Cracoviæ, ibidemq; Anno 1649. xvij. Ianuarij Diademate insignitus; jam nunc annosior licet, attamen vegetus animo, & nulla palam virium aut sanitatis lassitudine,

Abdicationem Ordines dimùm.

dum disua dere nequeunt natum habēt

Piasecius Pol.

dine, quæ longævum senium promitteret, Regnum abdicabat. Etsi vera dici probavit eventus, neminem semetipsum, ipso se ab intra nosse melius; cùm ab peracta Abdicatione, ad triennium vix quidquam ampliùs superviveret Casimirus. Cæterùm donec Reversoriale Diploma ab Ordinibus confectum est, injecta ex parte Regia expostulatio fuit; pro sancienda in bonis Oeconomicis Pensione annua, quà ad vitæ tempora cum dignitate, aut veriùs necessitate statûs sui commodè sustentaretur. Adeò ne ipsæ curæ æternitatis sublistere queunt, sine rerum temporalium provisu. Competebat enimverò omni jure, requirenti eam largitionem annuisse, nec quisquam repertus, qui contrairet; multi tamen rem vix concessibilem inde judicabant, quod de ea Provisione in Instructionibus ad Palatinatus datis, supino Cancellariæ errore, Ministri Statûs reticuissent: hinc vix integrum Nuntijs, sine Commisso Fratrum domi manentium expeditis, ad eam condicendam pensionem se demittere. Vnde tenuit pro & contra differentium Contentio, donec tandem vel postulati æquitas, vel personæ respectus, etiam Gentis existimatio, ab invitis extorserit, ut minoribus assentirentur, qui ad majora limitatam sibi potestatem, absolutè extendissent. Confectæ itaq; eo nomine tabulæ sunt, assignatis ter centum florenorum millibus, ex bonis Mensæ Regiæ, per Procuratores Ærarij utriusq; Gentis persolvendis, qui donec vita superstes Casimiro, quotannis rederentur. Tum demùm reciprocum abdicanti Regi Diploma à Rep: oblatum, lectumq; in Consessu Ordinum fuit: cujus magis ad rem pertinentia in sero.

1668.

Pensio Exregi Cassassignatur.

Nos Regni Poloniæ, ac Mag: Duc: Lith:, Provinciarumq; annexarum Ordines, &c.

HOrtantibus exemplis Majorum nostrorum, qui nihil glorioſius, nihil posteritatis memoriæ mandandum nobilius putârunt, observantiâ & veneratione Regum suorum, eorumq; cultum & amorem per tantam temporum seriem integerrimè conservatam, velut compendium omnium gloriarum nobis tradiderunt: uti Studia nostra huc conferentes, retinere augereq; imperantium benevolentiam erga Remp: valeremus. Ad quam omni possibili medio obtinendam, non modò honesta æmulatione Majorum; verùm etiam obligante gratitudine, & plurium beneficiorum Domûs Regiæ obstricti debito, præsertim inclytæ Stirpis Iagiellonicæ, trecentos propè per annos in Patria nostra Regnantis. Sed cum primis Sac: Reg: Mai: IOANNIS CASIMIRI D. N. Cl spatio xxj. Annorum, pace æq; quàm bello inclyti, post summos Prædecessores suos, per libera suffragia Ordinum Regni, & Mag: Duc: Lith:, Sceptra Reip:

1668. *noſtræ moderantis, inſignes ad ſtuporem Orbis animi dotes, &c. &c.* Et hic in debita effuſi encomia, quæq; proſpera ex vero memorabant, ſubjungendo Apodoſim. *Quapropter accepta notitia ab Illuſtriſſimo Regni Primate, de hocce triſti & inſperato nobis deponendi Diadematis S. R. M. propoſito, & abſceſſu Troni: omnes adhibuimus curas retinendo, in eo Regali Anteceſſorum Solio; (in quo eundem ſupremi Numinis æterna diſpoſitio, & unanimis conſenſus Gentium Poloniæ ac Mag: Duc: Lith: per libera Suffragia collocaverat,) imterpoſuimus enixam Illuſtriſſimi Senatûs autoritatem, addidimus ſupplices Ordinis Equeſtris preces, denicq; totius Reipubl: obteſtationes, juncta voce & ſuffragio nobiſcum, omnium Orbis Chriſtiani Principum inſuper oppoſuimus vetantes Leges, Regij Iuramenti vincula &c. &c. Verùm cùm prædicta omnia in caſſum ceſſerint, nec ſuperare immobilem deſtinantis mentem, ac propoſiti firmitudinem ſuæ Maieſtatis immutare ea valuerint; præponderante æternitatis curâ, etiam feſſæ valetudinis ratione. Tandem urgentibus Fatis cedere adacti ſumus, nec ultra obluctari voluntati S. R. M licuit, ſinceriſſimum animi eius candorem perſpiciendo, & aduertendo, nihil eo actu impreſſum cordi S. R. M., præterquam quòd pietas, & ingenitus in hanc Rempubl: Amor dictarent; quam ille uti demùm avitum fundum, & Patrimonium proprium animitùs diligeret. Nec minùs informati Diplomate S. R. Majeſtatis, quo ſe obſtringit, Cælo & Orbe terrarum teſte, nullo privato intereſſe, ad eam Abdicationem inductum, ſed ſolâ laſſæ valetudinis curâ, & æternitatis reſpectu, puro & candido animo ad deponendum Diadema acceſſiſſe. Et quoniam S. R. M. reſtituit Diploma, quod in pignus conſtantis noſtræ & perpetuæ Fidei, à nobis acceperat; aliudq; ſpecialiter confectum ſuperaddit, quo ſubiectione & Iuramento Fidelitatis, Rempubl: Liberam pronunciat; proinde conſentaneum Ordinibus Regni viſum, hoc mutuo Reverſali, à Iuramento vicißim per delegatos ſuper Pacta Conventa in Eccleſia Collegiata Varſavienſi præſtito; dein ſubſequente in Baſilica Cathedrali Cracovienſi, tempore Felicis ſuæ Coronationis publicæ confirmato, reſolvimus: & illud in omnibus totaliter punctis, & articulis reſcindimus, & annihilamus; ſalvis per omnia luribus & Privilegijs noſtris. Id vel maximè præcavendo, ne actus modernus, quicquam præiudicare valeat Liberæ Electionis Legibus Gentium, & immunitati nec unquam inter exempla conſuetudinis trahatur, & computetur ad poſteros, &c.*

Hactenus in reſcindendo mutuo Dominationis, & Subjectionis Contractu, efflictim laboratum; lætioribus ſemper contrahendi Matrimonij, quàm diſſolvendi curis, & fortiùs operante amore ubi in ſpem erigitur, quàm ubi deficit: aut indivulsa Comite premitur facti

facti pœnitentia. Abſolutis eo quem enarravi modo actus eſſentialibus, tum demùm velut ad Civilem Officioſitatem verſi Ordines (quales olim Ceremonias nunc complementa vocant) quod verbis ſupplicibus diſuadere non poterant, jam aggeratis encomijs efferentes, ſeriò gratulabantur. Eo magis promptiore Aulica facundia, dum à repudio recentes Civium animi, vel mœrores amâſſe, Ex-Regi jam abituro valedicunt; vel verſa ad futura mentis ſolicitudine, ſuam ipſorum orbitatem introſpiciunt. Nec poſt confecta Diplomata, ampliùs Cõſilijs Publicis libuit, aut vacavit diu immorari. nam cùm ſequenti die ad indictam Seſsionem Ordines frequentiſsimi conveniſſent, pro loco Senatorij Ordinis primo, talibus Primas Regni Prazmovius, nomine Collegarum Caſimiro valedixit. *Ecquod illud tandem per tot ſæcula & ætates nuſquam viſum? eocq; nobis triſtius? aſpiciente Orbe oculis noſtris intuentibus, Voluntas Altiſſimi exhibuit ſpectaculum? Spectaculum eheu! quod multos in admirationem rapit, plurimos ſtupore attonitos reddit, nos verò Patriamq; noſtram ærumnoſa involvit calamitate. Vbi S. R. Maieſtatem Veſtram, quod maximè æſtimat ambitio, iam die hodierna ultrò & beneuolè repudiantem Sceptra videt, & Iura Regnorum, ac Dominationem deponentem contuetur? quis enim portentum demiſsionis eiuſmodi, & ad miraculum in homine mortali ſimile moderamen animi, ſine ſtupore & admiratione intueri queat? cum aureum pomum hoc, quod à primis mundi cunabulis appetitus humanus efflictim deperit, & pro eo ſudat ambitio, ingentibus curis acquiſitum, enormi ſuſtentatum labore, è manibus tuis dimittis? eo dolentius, dum vix pro dimiſſo, & adhuc in manibus hærente, iam diuerſi competitores flagrantiſsimo ambitu contendant. Deſeris ſponte Ser: Rex Tronum iſtum, trecentorum ferè annorum ſpatio, piiſsimis & in ſeram poſteritatem memorandis Sac: Reg: Mai: Vræ Maioribus poſſeſſum & inſeſſum; & ex eo haud interrupta ſerie Iura his populis reddentibus. Relinquis ipſiſsimam & genuinam Patriam, quæ ut ſemel à cunis Infantem S. R. M. Veſtram ulnis ſuis excepit, ita eundem adultum fovit, virum & Regem in avito Solio concordibus Liberæ Gentis ſuffragijs collocavit. Grande hinc doloris noſtri augmentum, dum S. R. M. Pater & Princeps noſter valedicis Senatui, quem potens & benigniſsima Maieſtatis Veſtræ plantavit dextera: ut nemo ex hoc ampliſsimi Ordinis Collegio reperiri poſſit, qui non ſe Creaturam manûum S. Mtt: Veſtræ fateatur, qui non ſe excultum gratia, ornatum beneficijs, obligatum benignitate in perpetuum recognoſcat. Valedicis inſuper huic non poſtremæ Regni noſtri Portioni, inclyto & inuicto gloriæ tuæ ex bellis partæ Inſtrumento, Equeſtri Ordini; ſtabile dominationis tuæ fulcrum recognoſcens, & tot trophæorum pararios, quot partis ex hoſtibus*

1668. *Mutua Ordinum erga Abdicz Officioſitas*

Primatis Senatûs nomine valedictio.

1668. victorijs, Patriam noſtram illuſtrâſti. Amplissima hic nobis materia dicendi ſe aperit, inenarrabiles labores & ærumnas recenſendo, quas ob commodum publicum & amorem Patriæ, viginti & amplius annis ſuſtinuiſti, durante regiminis ſui intervallo: hoſtium circum circa inſurgentium repreſſos inſultus, invincibili animi firmitudine, eoq; Martij pectoris robore, ut non de hoſtibus tantùm, ſed de ipſa Fortuna triumphâſſe videreris. Aperit ſe Campus patentiſſimus, leniſſimis & planè Paternæ dominationis argumentis memorandis, quæ non Imperioſi Principis, ſed benigniſſimi Patris Patriæ, demonſtrarent affectum. Si modò enarrandis ex æquo & vero ijs, premens corda non faceret elingues dolor, & irreſarcibilis jactura noſtra verbis ſine auxeſi, non imponeret modum. Eam tamen profitemur in pectoribus noſtris, optimi Principis perennaturam memoriam, quàm efficaciſſimè animis populorum impreſſit, perpetua & in ævum duratura præſentium beneficiorum recollectio, & debita ad ſeram poſteritatem Regiorum meritorum gratitudo: cui verbis rependendæ omninò inſufficientes, hoc tantùm ex merito extollendæ cum Prophæta adferimus: Aa a NESCIMVS DOMINE LOQVI. Nec quid reſtat amplius, niſi humillimè à S. R. M. V. precari, uti hos ſuccumbentis facundiæ noſtræ defectus, innata Maieſtati ſuæ Clementia contegere, & in abyſſo congenitæ bonitatis abſcondere velit. Et hic omnis Senatus è Curulibus ſuis conſurgens, humillima genuflexione Regem veneratus eſt, injungentibus continuationem Seſsionis Mareſchalcis, donec tertius Ordo, ſuas quoq; valedicendi vices expleret. Vbi verò Trono promiſcuè adrepentium turba, in localem conſeſſum ſubmota fuit, tunc à Collegio Equeſtri requiſitus Sarnovius, his ferè verbis, nomine Cætûs Nuntiorum, extremùm vale dixit.

Similis altera ab Equeſtri Ordine.

Vti Sereniſsimi ſolis ſplendor, oculis noſtris gratus exiſtat, non ſolùm vis illuſtrativa Orbis, ſed etiam influxus radiorum eius, uberrimos fructus è terra producentium, facit gratiorem. Nec diſpari modo Terreſtria hæc Luminaria Regum Maieſtates, quibus Numen Æternum, vicariam in ſublunaribus ſphæris contulit poteſtatem, ſe habent, ad effectum in animis & pectoribus Subditorum producendum, quibus non magis ſe ingerunt, opum & Maieſtatis amplitudine aut potentia, quàm candore animi, & clementia: dum Regnant ut benefaciant, & præſunt, ut proſint. Faceſſant ſanè ambitioſæ Maieſtatis tituli, Magnorum, Felicium, Auguſtorum, in honorem Imperantium excogitata cognomina, peculiaris unus Patris Patriæ titulus, omnibus præferendus eſt: uti bono Principi apprimè competens, qui ex reciproca Regnantis beneuolentia, & Subditorum obſequij promptitudine, emanavit. Nam ſi amantem Parentem peracerbè affligit, delinquentis Filij error, neq; minus bonum

1668. *num Principem, periclitans crediti populi ſalus, apud quem nemo tam vilis eſſe poteſt, ut ipſo pereunte non ſe perire Princeps arbitretur. Ejus rei (licet quadrimeſtre tantùm Romanæ urbis tenuerit Imperium) reliquit exemplum Salvius Otto; cui ſatiùs viſum, ſpontanea morte abrumpere vitam, quàm multo Sanguine Civium ſuorum mercari Imperium: mortemq; ſibi ultrò accerſijt ne plura funera Romanæ pubis, pro ſe morientis aſpicere cogeretur. Eam Heroico facinore in pectoribus Civium excitans gratitudinem, ut multi caritate Principis, ad rogum eius manus ſibi conſerverint. Similis amoris in populum ſibi Subditum, hanc Rempubl: gubernando & conſervando, ſtetere rationes, à Pijſſimis S. R. Majeſtatis V. Maiorbus uſurpatæ; Regibus pro populo intrepidè periculis Coronata capita obijcientibus: viciſſim Civibus, ſecuriori Regum quieti, ſinum & pectora ſubſternentibus. Hâc via à Majoribus trita, etiam ſua Majeſtas prima Regni inchoavit gubernacula, & eodem tenore ad præſentem actum perſeveravit, immortali ad poſteritatem Zbaroviana Expeditionis documento, ubi pleriſq; Ducum Regias Copias hoſtilibus impares conſiderantibus, ſatiusq; Zbarażcenſes obſeſſos ſuæ ſorti permittere cenſentibus, dummodò Rex cum Flore Exercitûs evidentiſſimo diſcrimini ſubduceretur: quod providum tunc, aſt re ipſa puſillanime conſilium, ſua Majeſtas generosè rejecit, unum Antigonum pro multis millibus cenſens, pro ſalute tot fortium virorum, jam jam ſuccumbentium, Regium Caput ſuum & vitam, in qua omnium noſtrûm vita erat, ad inſtar Curtij pro Patria devovendo. Quâ Heroica animi fortitudine, Coſacorum ſtupendam exarmâſti potentiam, Scythicæ Gentis cohibuiſti barbariem, ſuorum accendiſti fervorem, excitâſti puſillanimitatem, ut proſperante fortiſſimam intentionem Numine, pacem poſtularent, qui bellum fecerant Rebelles, & qui jam planè ſemivictores erant, demùm S. R. M. incredibili virtute, victos ſe faterentur. Hæ ſunt aureæ præclarè factorum catenæ, amorem Subditorum Principi obſtringentes; hæ compedes obſequij, perpetua beneficiorum reminiſcentia devincti, quibus æternùm obligatæ Gentes noſtræ, etiam nunc & ultra, nimiùm quàm cupierant perdurare ſub alis feliciſſimi Dominatûs, & immutabili S. R. M. V. protectione: hùc curis noſtris, hùc ſtudijs omnium verſis, quomodo non Fortunis, non ſanguini, imò nec vitæ impendio parcentes, & quidquid unicuiq; cariſſimum natura eſſe voluit; modò in hoc Majorum Solio recumbentem, & ad ſera Fata Regnantem S. R. M. V. D. N. Cl: aſpiceremus, ſolidam illam optando ſuæ Majeſtati gloriam, quæ omnes ſuperat Regum titulos; AMARE MAGIS REMP:, QVAM FILIOS. Sed quoniam neq; Illuſtriſſimi Senatûs humillima poſtulata, neq; Statûs Equeſtris utriuſq; Gentis flagrantiſſimæ preces, nec totius Reip: demiſſa interpoſitio, Patriæ diſcrimina, Monarcharum Chriſtianorum*

1668. *norum dehortamenta, tenacem propositi mentem, à semel susceptо consilio haud dimovere potuerunt: indeq; palam nobis liquet, quod fatali rerum ordine præsciptum sit, ut fiat. id quod non consilio prudenti, non remedio sagaci, non vi ingenij, aut prudentiæ humanæ adminiculo inverti, aut immutari possit, ne non fieret. Accedimus ergò inviti, ad hoc abominabile nobis divortium, valedicimus non sine grandi cordolio, Fideles Subditi Clementissimo Principi, & in orbitate relicti, Patrem Patriæ benignissimum, ad plantas pedum procumbentes, demissè veneramur. Quod si vel avitæ Libertatis zelus, vel humanæ naturæ fragilitas, aliquam displicentiam vel offensam provocavit; à paterna M. Vestræ Clementia indulgeri poscimus. Deprecamur item innati erga hanc Rempublicam amoris immutabilitatem, & perennantem Patriæ affectum, quæ à primis cunabulis Sac: Reg: Mai: Vestram enutrivit, tenerrimè fovit, & aluit, etiam Sanguinem, & intima viscera pro felici eiusdem Dominatione litare haud dubitavit. Qua de causa, potissimum retinebis Serè Rex, haud obliteratam addictissimi tibi populi memoriam, & nos vicissim, ad recolendas laudes suæ Majestatis flagrantioribus accendemur studijs. De Successore Troni haud requirimus sensum suæ Majestatis; certi non aliud responsum relaturos, quàm quod idem requirentibus amicis, Alexander Macedo dedit.* Eligendi dignissimum. *Vel quilè Iulianus Imperator (nisi à fide se apostasiâ temerâsset, revera inter egregios Principes numerandus) sub bellum* Perficum lethali vulnere saucius, supremi in Patriam affectûs testimonium reliquit. Alumnum me Reipubl: sciens, eidem frui opto post me reperiri Rectorem. *His ergò uti supervacuis curis, haud fatigando suam Majestatem, certi omninò, & ipsiusmet vivæ vocis oraculo confirmati, apprecamur cuncta prospera & gloriosa S. M. & perennes diuturnæ longævitatis annos. Iam verò uti semper alias, pro agnitione debitæ subjectionis, consuevimus victricem suæ Majestatis dexteram osculo venerari, etiam nunc in tesseram immutabilis affectûs, & constantissimæ propensionis pignus, parti cultu & vultu ad eam exosculandam ferimur. D.*

Iterùm de Pensione Quæstio.

Sic pro Rostris Varsavienſibus, dum Oratorum utriusq; Ordinis desudat facundia, fuêre pleriq; qui ultra verba suam Exregi Casimiro testarentur propensionem: nempe eodem Comitiorum Actu sanciendam abscedenti Trono, Provisionem nec dum condictam quâ pro decoro statûs Regij, ad vitæ tempora sustentaretur. Consonum quippe æquitati visum, peregrè abeuntem in sumptus itineris, non vacuis manibus dimittere, ac Regno se exuentem lure Provisionali redonare, ad subsidia necessaria prospicienda: vel solocandoris & amoris Poloni erga Principes suos impulsu; cum juxta Theologum, sit probatio dilectionis, exhibitio operis. Et ferè multi in eo

in eo conveniebant, uti memoravi, quominùs quàm verbis testarentur, re ipsa præstarêt benevolentiam. Sed obstabant pleriq; quominùs non iniquum postulatum approbaretur; jam quod in universalibus Literis ad Palatinatus datis, nulla ejus Provisionis requisitio esset, nec in Instructionibus Nuntijs Terrarum concedendi facultas permissa foret; jam nunc Abdicatione subsecuta, Remp: sine capite existere, nec pro novo emergenti decisuram valide, nisi dum sui Iuris facta in proxima Convocatione, eam materiam ex condigno & necessariò stabiliêrit: sic demùm in fundamento Legis firmiorem fore. Quibus rationum momentis, assecuratio tantùm Pensionis coaluit, de sola bonorum Oeconomicorum specificatione controversia manente, in quibus Hypotecæ nomine solvendi onus firmaretur. Quæ Comitia ut verborum complementis extracta, sic novissima officiositate valedicenti finita sunt. Procancellario Regni Olszovio uti nomine Casimiri cunctis ordinibus extremum vale diceret, in eum modum proloquente. 1668.

Ad Comitia Convocationis reiecta.

Comitia finita.

Iteratum valedictio per Procancellarium Reg.

Ergò jam Serenissimus Princeps Ioannes Casimirus, Dom: Noster Cl:, amplissimarum Gentium modò Rex, Pace belloq; inclytus, potentia insuperabilis, Regni Poloniæ Monarcha; triste dictu! hodie, hac hora, hoc temporis momento, attritas laboribus vires, & finem vitæ respiciens, expetita à Republ: missione Regimen suum concludit; ac Trono hoc Sarmatico decedens, hæreditaria Serenissimorum Antecessorum, suaq; ipsius decora, victorias, triumphos, omneq; in universum actus, almæ huic Patriæ, Filijsq; ejus, Illustrissimis utriusq; Gentis Ordinibus, dat, donat, resignatq;: ea memorabili gestis suis superaddita epigraphe, Sine me, per me, fruimini: *Deponit ecce Serenissimus, è Regio capite Diadema, quod grave admodum & onerosum, in varijs bellorum discriminibus immota cervice tulit; reddit creditum manibus suis Sceptrum, quo turbines & tempestates procelloſi maris sedabat, consulebatq; naufragijs pluries imminentibus: restituit vobis hanc circularem Sphœram, effigiem Orbis demonstrantem, sub quâ laboriosus Atlas viginti annorum & amplius spatio, nusquam subduxit humeros, nec gravissima regnandi mole pressus succubuit, nec abjecit onus vix tolerabile. Provolvit ad manus Vestras Regium pomum, eo cum voto & desiderio.* Digniori detur. *Antevertit nempè maturato consilio novissimum terminum illum, æq; Regibus ac mendicis communem, in quo sepulchralis cinis æquat omnes, ac è Majestate Regia spontaneè decedens, remigrat in habitum conditionemq; privati; subducens ex hac perillustri umbella, ac Magnifico Regiæ amplitudinis Trono, præsentiam suam. Relinquit nihilominùs non solùm in hoc Augustali, sed magis in generosis Polonorum pectoribus memoriam sui, nec ingratam per annos viginti & amplius meritorum*

1668. *torum reminiſcentiam; ſine dubio in animis Subditorum ad ſeram poſteritatem Regnaturus. Iam nunc liceat Sac: Reg: Maieſtati ſub extremum vale, & noviſſimum diggreſſum, uti verbis illis, quibus olim Magnus Imperator uſus, dum vitam & Dominationem concludendo, ad aſtantes infit.* Ergo valete & plaudite. *Retulit jam exauguratus Princeps, ac ſe ipſo minor, Senatûs ac Equeſtris Ordinis ore, bene adminiſtratæ Reipubl: teſtimonium, & encomia: exceperunt viciſſim ab eo inclyti utriuſq; Gentis Ordines, vivæ vocis Oraculo valedictionem, nec quicquam ſupereſt ſuæ Majeſtati, niſi ultimariè ſingulis & univerſis paternè benedicere, & effuſo cordis affectu lætiſſima Reipub: tempora apprecari. Auguſtæum illud ingeminando* Plaudite. *Bene ſit in ævum huic communi Matri Patriæ, vigeat Reſpubl: Trophæis, Ciues concordia; auita floreat Religio, & compoſitis concordi unione animis, liceat optimum quærere, Throno Sarmatico Regnaturum. In cujus immutabilis affectûs teſſeram, ſtipulatam manum cunctis Sereniſſimus porrigit. Illam manum, inexhauſtam beneficiorum in Populum ſibi ſubiectum diſpenſatricem, quâ dextra nuper circumfuſos undiq; à Patria hoſtes depulit, vicit, aut ſubegit, ea nunc cunctos ad pectus ſuum applicans, vadem offert, & manu Regia fœdus ſancit, licet ſi ad priuatas umbras ex publico decedat, quod unum quemq; Veſtrûm, tam præſentium, quàm domi manentium, nunquam paterno affectu excludet; & donec vita ſuperſtes erit, haud extinguibili affectu proſequi uniuerſos dignabitur. Quoſq; nunc ex ſubiectionis vinculo, à Nexu Iuramenti præſtiti ſolutos manumiſit, eos demùm ad prehendendam manum iſtam, & oſculandam, velut in ſtipulatum admittit.*

Nonnulla circa Abdicationē.

Ita demùm Abdicationis finiêre Comitia, ut dum incipiens autumnus hornas fruges horreis abdit, eodem ferè momento Regius Manipulus, ex arvis Poloniæ decederet; pluribus ad diggreſſum Abdicantis, quàm ad ſtatum orbatæ Patriæ reſpicientibus. Aliqua tamen non injuſtè in conſiderationem veniebant. Ac primo quàm is Rex deſtinatorum tenax, uti qui univerſo Chriſtiano Orbe diſuadente, in mutationem Propoſiti haud quaquam inflecti poſſet. Miſereſcebat alios inſolitæ demiſsionis; iturum enimverò in privati modum redactum ad Exteros: qui ſolio depulſum famigerarent, privationem ſceptri, vel ſuæ inſufficientiæ, vel Polonorum ingratitudini adſcribendo. Abire quidem ſtatu & ſorte Regia conſpicuum, ubi aviti Suecorum Regni ſuppetunt tituli; ſed iſti ad apparentiam tantùm Magnificum nihil, & diſcriminoſi uſurpati appendices, ſi modò Poſſeſſor Rex eripiendos in præſens mallet exermi. quàm cum vitâ deponendos longum expectare. In Galliam iter cui bono? ſi in Polonia curæ Regiæ aggravant, & ex diggreſſu per Provincias moleſtia

Ioan: Caſimiri cōſideranda.

moleſtia afficit; vix ſperandum ut itinerum longinquitas affectæ valetudini commodior ſit: aut quomodo in itinerario eſſedo ſubſiſtere vergens ætas permittet, cui vel in Trono reſidere tædioſum fuit. Iam verò ſi ad Lepores & illecebras Pariſinas feſtinamus? ſi mori in Gallijs placet? cur ſepulturæ locum in Polonia deſtinaret? niſi ut iterùm ſpontaneo Gallorum carceri ſe tradens, mortuus tamen inter Poloniæ Reges ambitiosè tumulum quæreret? &c. Etiam orbatæ Poloniæ ſpeciem, poſt abſceſſum Caſimiri, cum alijs Interregnorum conferentes Idæis, ſanè diſformem oſtendebant. Nam cùm poſt anteriorum Regum Fata, univerſam Rempubl: pulla veſtis involveret; jam nunc viduatam Principe Poloniam, lugubris veſtis exſortem, ac nullo comparente mœroris indicio, uno cunctos nitido ac diverſicolore Ornatu, acſi in feſtiva pompa indui: poſtquam Rex eſſe Caſimirus deſijſſet. Inſuper cùm Anteceſſores Reges, vel deſumpta ex virtute encomia, vel appoſitæ Nominibus numerorum notæ ſignarent, inditum Caſimiro epithetum Abdicans, (ſeu Abdikacz) ut quale ipſe ſibi ex contempto Regno agnomen adſtruxerat, eo ad ſeram poſteritatem inſigniretur. Ac ut ſæpiùs inter alumnos Aulæ Aſtrologos, aut Poëtas reperias, etiam tunc carminifex aliquis, propalato diſticho notaverat Perſonam reſignantis, heſternum Regem Caſimirum vocans.

Craſtinus Auguſtus Rex dicebatur apud nos,
Heſternus nobis jam Caſimirus erit.

Poloniæ pulla veſtis ex deceſſu Regis indutur.

Voſdaſſus.

Neq; minus inter paradoxa regiminis ejuſdem ponendum, quòd toto regnandi curriculo, ad unum ſupra viginti annos extenſo, continua inquietudine Polonia vexaretur; vel externorum hoſtium armis, vel domeſticis Civium controverſijs agitata: jam verò ubi is deponendo Diademati ſe accingit, tanquam ad ſuborta in mari halcyonia, turbulentos fluctus tantiſper deſediſſe, ac velut exaugurato Principi, quàm dominanti magis faveret cælum, concluſuro Dominationem, miram procurâſſe circa Exodum, rerum malatiam. Nam & à Turca aliquantum refriguerat impetitio, armis Poloniam invadendi, vel demitigata Porta Ottomannica, ubi præmiſſus Internuntius, liberum commeatum adventanti Extraordinario Legato ab Aula illa depoſcit; vel iterùm ad conturbatum Hungariæ ſtatum, etiam Regis Perſarum non ſat ſtabilem amicitiam reſpiciente Sultano, ne pluribus ſimul gentibus laceſsitis, multiplicaret ſibi, ſuſpectus cunctis, diſcrimina. Moſchi penitùs hoſtilitatem exuerant, cæptos in Kraſne Pacis Tractatus Andruſzoviæ per Armiſtitium continuando; quod ibidem per mutuos utriuſq; partis diſpunctum & concluſum arbitros, omnem ab ea parte hoſtilitatem

Tranquillitas Pol: ſub Abdicatione.

Cum Moſchis Armiſtitium Andruſſoviæ.

1668. sopiebat. Quorum Tractatuûm seriem, tum quomodo aut quibus conditionibus coaluerint? in ulteriori Historiæ contextu (si Deus vitam) fusiùs attexam: posteris ad memoriam & reflexionem. Scythæ quinetiam etsi gens rapax, & prædis vivere sueta, quo tamen pacis studium, & condictæ amicitiæ iura de plano manutenēda monstrarent, ab incursu ditionum Regni temperavêre: misso interim nomine Hani Crimensis, internuntio Murza, qui mordicùs exolvenda, & Camenecum ex pacto remittenda Donaria flagitabat; quæ nisi protinùs redduntur, cohiberi Scytharum vim, ne finibus Regni noceant, nequaquam posse: ac perpessam jacturam, non Hano justa requirenti, sed qui debitum exolvere nollent, imputandam. Sed hos facilè jam obsidum sub manu hærentium vadimonium, jam satagentis Fisci accelerandam satisfactionem promissa, in Officio continuêre. Reliquum Christianæ ad occiduum solem Viciniæ, magis discretè egit, præponderante pacis studio, aut mutuo retaliandæ hostilitatis metu. Hinc inexpectata sub Abdicationem rerum tranquillitas, ut usui nobis, sic admirationi Exteris: turbulento admodùm rerum potientis Casimiri regimine, undiq; ventis procellarum autoribus, velut ex utre Aeolico prorumpentibus.

Scythæ donaria requirunt.

Casimiri iter in Italiam ac de

Consignatum extat in itinerario Italico Casimiri. Vladislao IV. regnante, Romam perrexisse Principem, inibiq; tam à Pontifice Max: quàm à varijs Principibus, prout tanti Regis deceret Filium, competenti honore acceptum; ubi qualem vitæ regulam institueret dum meditatur, inter suscipiendi Habitus Religiosi apud PP. Soc: Iesu meditamenta, & oblatæ Purpuræ Cardinalitiæ decus, quid potiùs duceret? ambiguum & deliberantem, divino planè instinctu resolvebat, Pater Iosephus de Copertino Franciscanus. *Neq; (inquit) tu Iesuita, neq; Cardinalis.* Erat quippe is P. Iosephus, Ordinis Minorum Conventualium, religiosæ vitæ innocentiâ, & moralium virtutum splendore insignis, uti cujus spiritum & Apostolica Inquisitio aliquoties probans, à Deo esse compererat: & Numen ipsum donum infallibilis Prophætiæ tribuens, supernaturalem gratiam collatam testaretur. Addit insuper Robertus Nuntius, vitæ ejusdem servi Dei autor. Casimirum Abdicato jam PP. Soc Iesu instituto, & Cardinalitio cinctu ornatum, dum Assisium transmittit, uti ad D. Francisci Minorum Ordinis Patriarchæ sepulchrum, Deo supplicaret; enixè apud Superiores Cœnobij contendisse, quominùs cum eodem P. Iosepho, pro veteri familiaritate oretenus conferre posset. Ast Vir Dei colloquia profana refugiens, vel ad quæsita curiosa reticens, demùm subita extasi in sublime raptus, ubi ad Christi in Cruce affixi Figuram aliquantum obhæsit: dehinc Cœnobiarchæ

Statu vitæ deliberatio

Quem Pater Iosephus resolvit.

archæ obedientiam interponente mandato in terram delapsus, reluctabundus ac nauseans responderat. *Ah regnabis? (inquit) sed nec tibi optabili, nec Subditis conducibili regimine.* Vaticinium verum fuisse dehinc probavit eventus, toto Ioannis Casimiri regimine sat turbulento, & planè ad incitas redacta Polonia. Cæterùm ne is servus Dei, Pater Iosephus de Copertino, per transennam tantùm in Annalibus nostris memoretur; pauca de tam illustri Sanctitate Viro inserenda duxi, vel ut denigratum tot sequioribus factis sæculum, ejus exemplari vitâ velut splendente gemma radiaret: vel quod sub cursum Climacteris istius, feliciter emigrantem è vita, jure merito Annalibus inserendum censeam. Natus is Copertyni, in Statu Neapolitano in Italia; Patre rotifice, ac Matre ejusdem conditionis honestis Parentibus, Anno Christi 1603. accepitq; bono omine Iosephi nomen, eo enixiùs Deo famulaturus, quando & ipse Christus, sub ejusdem nominis & artis Materiario, putatitiam Filialitatem sustinuerit. Lares Paterni, ut apud mechanicum, admodùm angusti fuêre, vel ob tenues ex minùs lucroso artificio reditus; quos eo magis coarctaret in obærratum Patrem, Creditorum duritia. Sed rependit Deus præsentem angustiam, indole Filij; proba admodùm & simplicissima, qui sæpiùs eligit humilia, ut confundat fortia. Ingressus Religionem PP. Minorum Conventualium, in ea complures annos, inter irremissa pietatis exercitia exegit, comprobante Deo Signis & miraculis non fucatam Sanctimoniam; etiam Sede Apostolica ad Lydium humilitâtis lapidem affricante, & experta. Dehinc bonorum operum plenus, & famâ sanctitatis illustri, feliciter ex hoc sæculo migravit. Anno Christi 1663. respondente anteactæ vitæ, extrema periodo.

1668.

De eodem P. Iosepho brevis mē. tio.

Humanis decedit.

Interea Casimirus in procinctum destinatæ in Gallias viæ se dabat, deposita jam ut supra recensui, Regiæ amplitudinis scæna, ac eo celeriùs diggressum maturans, uti sub ipsam Vniversalium Primatis Interregnum denuntiantis proclamationem, limite Poloniæ decederet. Quas inter emigrandi curas, illam tamen à teneris imbibitam haud omittebat pietatem. Ac primo in Fabricam ubi tumularetur Sacelli, Cracoviæ, congruos sumptus providit; mendicantibus & miserabilib⁹ Personis, Eleëmosynas pro posse largiebatur; Ministerijs Aulicis, ut cuiq; debitam stipem persolvit; cum jam in ante Regiæ Gazæ parapherna, inter Amicos distribuisset. Etiam in Virginem DEIPARAM pristini affectus memor, non priùs ex Polonia decessit, quàm loca ei sacra Czestochoviæ, ac Sokalij instituta peregrinatione visitasset. Insederat menti, uti Sokalium pedes iret, adoraretq; sine Regali pompa Divam Sospitatricem, quæ humilita-

Casimiri è Regno abitus.

Et abeuntis pietas.

Ad loca Sacra peregrinatur.

1668. tis exemplar, ea vel maximè virtutis dote Deo placuiſſet: aſt ad pedeſtrem viam intentus, ubi tumor pedes invadit, & convulſæ Podagrâ plantæ ægrè veſtigia promovent, carpento adire locum, & deſtinatum iter trahentibus equis proſequi debuit. Etiam Czeſtochoviæ exolvit vota abiturus, dimiſsiſq; ac valedictis à proximo limite, officij cauſa comitantibus Amicis, ipſe Koſſęcinum in Sileſia divertit; ad Philippum Nicolaum à Rauten Baronem, olim Parentis Sigiſmundi Tertij familiarem, etiam nunc in eo fortunæ devergio, ſibi addictiſsimum. Vnde poſt breve reſpirium ulteriorem viam capeſsijt, non ampliùs niſi exanimis in Poloniam rediturus. Refricantibus memoria pleriſq;, Nicolai Zorawski ex ſcrutinio Aſtrorum prognoſim, ſub tempus belli Suetici prolatam. *Recuperaturum quidem Regnum Poloniæ Caſimirum, aſt alibi vitam ei claudendam.*

Deniq; in Sileſiam pergit.

Prognoſis Zorawſcij Mathem.

Ad curas publicas interea, ex ratione loci & Officij Primitialis, verſus Archipræſul Prazmovius, deferebat per univerſalium programmata (Innoteſcentias vocant) cunctis Regni Provincijs, abſceſſu à Trono Caſimiri, orbam Principe Rempubl: ad Interregnum deveniſſe? cui orbitati ex inſtituto majorum conſulendo, ad ea media ſe verti aſſerens, quibus ex præſcripto Legum, jam ſui juris facta Reſpublica, ad liberam futuri Regnantis Electionem quàm commodiſsimè diſponatur. Tum de tranquillitate publica patheticè præfatus, in unione animorum Civilis concordiæ, & executivæ juſtitiæ fundamento ſitam dixit, quæ niſi ex ſe præſtant amore Patriæ Ordines, integritatem Regni periclitaturam omninò, ac ne quid gravius Reipubl: inter tot diſcrimina poſitæ accidat, verendum maximè. Quæ ubi publicata Vniverſalia, mira per totum Regnum apparet rerum metamorphoſis, ac mutatio. Tribunal Regni Generale, Venerabilis Sacræ Themidis Areopagus, indicto Iuſtitio ſuſpendit diſtrictam Iuſtitiæ lancem; ceſſant minorum ſubſeliorum Fora, & Iuriſdictiones; Acta publica occluſa manent; Iudices activitate ſua privati, cauſarum Patroni quæſtu; unde ſceleribus fiducia, & innocentiæ metus. Aſt ubi præfinita ejuſdem Primatis Edicto, dies jx. Octobris advenit, quâ Conventus Particulares pro condicenda interna ſecuritate indixerat; confluxêre ex utroq; Ordine frequentiſsimi Proceres, à quibus Lauda condita, & per Provincias eliguntur, qui compendiario Proceſſu Ius dicant Iudices, ac in acumen diſtringitur Iuſtitiæ ſecuris, ne malis eſſe liceret. Ea ſub Interregnis Iudiciorum forma, (quàm Latinus Nomenclator Syncretiſmum ex Græco dixit) obſoleto apud nos vocabulo Kaptur, velut Caputium dicitur: fortè ideò, quod involutum eo regnine caput, oculos involvat aureſq;: conſimili ejuſdem Iudicij rigore, ut nec

Interregni denuntiatio per provincias.

Electio Iudicum in Conventibus Nobilitatis.

1668. ut nec reſpectu videndo moveatur, nec preces audiendo admittat. Vbi per inſtituta Iudicia proviſum internæ ſecuritati, tum demùm Primas indicit Convocationis Generalis Comitia, ad diem v. Novembris Varſaviæ celebranda; in quibus Ordo Senatorius per ſe, Equeſtris per Nuntios Terrarum comparent, præliminaria futuræ Electioni, & diem ipſum Actûs condicentes: ſed vel maximè pro unione animorum, & Vniverſali in ſuffragijs ferendis concordia fœderantur. In Directorem cœtûs Equeſtris, ſeu Mareſchallum electus erat ex Lithuanis, (ad quos tum ex vi alternæ functionis vices pertinuêre) Ioannes Antonius Chrapowicki Succamerarius Smolenſcenſis, vir nativa realitate, & paribus ei muneri qualitatibus monſtratus: unde non improſperè, ad deſtinatum ſalutis publicæ ſcopum, ejus Ordinis conſilia tendere viſa, etſi interverirent pleraq; quæ haud vanum metum nec injuſtam ſolicitudinem Ordinum requirerent. Ac primò ſtatus plebis in Vkrayna ſat turbulentus erat, Doroſzenko ac Sierkone Tribunis Coſacorum, capitali odio inter ſe diſsidentibus. Prior patrocinio Portæ Ottomanicæ fretus, & in ſubjectionem Turcæ malè ſuaſam plebem trahens, Sierconem perſequebatur; auxilijs Scytharum erectus, quibus anteacto anno Sierco Crimæam, & adſita Ponto Euxino cubilia devaſtâſſet. Iſte rurſùs veteranos Coſacos & robur militiæ ſibi adjungens, æmulo totis viribus & peritia bellandi Superior erat; ea terrarum plaga id nominis aſſecutus, ut in Taurica Matres, vagientes parvulos, dum aliter nequeunt vel ipſo nomine Sierconis venientis, (Sierco idet) perterefactos mulcerent. Erat ille juſta & virili corporis ſymmetria, algoris & æſtûs, vigiliæ & famis, diſcriminum, laborumq; Caſtrenſium, tolerantiſsimus; ac quæ in illa gente haud pro virtute reputatur, ſobrietate Spectabilis. In Inſulis Boryſtenis æſtatem, in confinijs Vkraynæ hiemem exigebat; non ſegni otio diffluens, aut voluptatibus marcidus; ſed continuis excurſibus Scythicæ genti inteſtus, quam capitaliter & irreconciliabili hoſtilitate perſequebatur. Eam indolem, vel natura ipſa nobili nota conſignante, ubi alteram faciei partem coccineo panniculo inſigniviſſet. Hunc ſuccurſu erigendum, uti partes Reipubl: ſecutum, æquum cenſuêre Ordines: ſed conſilium effectu caruit, rarefacto admodùm Exercitu, cui tunc apud Ptycza Caſtris conſiſtenti, Vladislaus Wilczkowſki Præfectus Wiśnenſis, ſub Regimentarij nomine præerat; uno quoq; Commilitonum à ſignis dilabente, ubi & Duces ambo ad Convocationis Comitia pergunt, inde plus ſpei, quàm præſentis opis, Sierco in adverſarium recipiebat.

Comitia Convocationis Generalis.

In Ukrayna inter Coſacos diſſidia.

Exercitus noſter ad Ptycza conſiſtit.

Neque minùs alterum percelluit accidens, Friderico Wil-

1668. helmo Marchione Brandeburgenſi, & Duce Pruſsiæ ; Fiduciario licet Principe, & qui ex Nexu Homagij pro membro Regni Poloniæ habeatur, eodem planè ſub tempus Interregni momento,

Drahymi violenta receptio. Drahimum in finibus Pruſsiæ Præfecturam, armata manu nihil tale ſperantem invaſiſſe, omnem appertinentem ditionem violenter recepiſſe, ejectiſq; curatoribus bonorum Poſſeſſoris, in ſuam apprehendiſſe diſpoſitionem. Ea Drahimi Præfectura, collata in Feudum erat, Demetrio in Zbaraz Wiśniowecio, Campeſtri Exercituum Duci, ad vitæ duntaxat tempora extenſum: qua demùm advitalitate expirante, pacta Velavienſia ſeu Bydgoſtenſia, reddi debuit. Illuſtriſs: Pruſsiæ Duci, in ſumptus & expenſas belli reſpectivè,

Sed hæc ſopita incũctanter. quas ſub tempus hoſtilitatis Sueticæ, Regni cauſa pertuliſſet. Perculit ſanè rei indignitas, congregatos Varſaviæ Ordines, & non ſatisfidam amicitiam ſpirans Actio, neq; minus Wiśniowecio animi erat, ut hic & nunc permittente Republ: in reparandam injuriam, ſibi & Regno illatam convaleret; niſi certus Elector offenſæ, providiſſet media in ante Civilibus modis diluendæ, ac ubi ſatisfactus Poſſeſſor Feudi; præſertim accedente Overbeci Miniſtri Electoralis agilitate, omnes ſenſum injuriæ, quæ ad unum pertineret tantùm animis facilè expunxerant.

Quin etiam ex futuri ſolicitudine, conſurgebat mutuarum diffidentiarum, inter Proceres ſeges, prompta in exitiabile excreſcere lolium, quo internis malis difficilior ſemper medella eſt. Laborabat odio cunctorum Primas Prazmovius, ut quemq; eminentiorum ex Senatu infra ponens, pluresq; acerbioribus literis (uti illi nos) offendebat; neq; minùs in populo ſat proſpera ſui fama fruebatur. Sed maximè cum Stanislao Warſzycki Caſtellano Cracovienſi, eadem ex cauſa privatis ſimultatibus conflictatus, audiebat paſsim regeſta ob vitam laxiorem ſcommata; huic imputabantur conſultori, externa bella, nullo emolumento aut concluſione geſta; diſpendium Ærarij; Legionum clades; etiam turbæ domeſticæ, non alium autorem mali, vel fomitem deſignabant. Quo modo verò jam nunc Inter-Rex, melius velle Patriæ intelligi poſſet? qui Miniſter Status eandem ad incitas redegerit. Conſiderabant alij, per lucroſas penſiones Externis Principibus illigatum; offendebat privatim morum tumor; vix cuiquam conſervata, niſi ſic expediret, amicitiæ; flagrans attollerandæ Familiæ cupiditas, & gravis ſub eo Interregni Capite Fratriſmus (qualem Romæ Nepotiſmum vocant) quorum ille quaternionem circa ſe retinens, ac alios opimis in Iſraël reditibus, alios opulentis Matrimonijs ditans, ſe propè collocatos vellet: eum Principem nactus, qui luſtit iæ

Simultates inter Proceres.

ſtitiæ diſtributivæ lancem permitteret promoventi. Et ſi ille ad ejuſmodi projecta immobilis, & ſtomacho quævis opprobria digerente, ut quemq; elaborata in tempus modeſtia mulcens, publicis negotijs vigilantiſsimè intendebat, nec priùs rumores ponens ante ſalutem, hùc omnes induſtriæ nervos intendit, ut ſin minus eſſet, ſaltem frui pro Patria videretur. Ita demùm Convocationis Comitia non improſperè finita ſunt; die vj. Decembris; præfixo futuri Regnantis Electioni termino, ad diem ſecundam Maij, in Anno 1669. Vbi & benignitas auræ, Campeſtri negotio commodior eſſet, & Centuriatis Vniverſi Regni Comitijs, tam explicatum ſub libero Iove theatrum exhibet faventius Cælum, quàm & pro jumentis pabulum provida matre terrâ facilè ſuggerente.

1668.

Convocatione finita, etiam Climacteri finis.

Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.

A. M. D. G.

Finis Climacteris Tertij.

A. M. D. G.

Finis Chirurgiæ Tertij

2

2

Gesch. Polen
152